

I

P E T R I A N D R E A E
M A T T H I O L I M E D I C I

Senensis Commentarii,

IN LIB. PRIMVM PEDACII DIOSCORIDIS
ANAZARBEI, DE MEDICA MATERIA.

Præfatio Dioscoridis.



20 **Q**UANTVM, amicissime Aree, complures non veterum modo, sed recentiorum quoque, de medicamentorum compositione, uiribus, atq; probatione scripserunt; nobis tamen nec uanum, nec à ratione abhorrentem impetum animi ad hoc opus incessisse, tibi ostendere tentabimus. propterea quòd eorum nonnulli absolutum nihil ediderunt, alij plurima, ut ex narratione acceperant, scriptis tradiderunt. Siquidem Bithynus Iolas, & Heraclides Tarentinus, ommissa prorsus herbarum tractatione, rem ipsam paucis perstrinxerunt. neque uerò omnes illi de metallicis quicquam rebus, aut odoramentis memoriæ prodiderunt. Crateuas autem herbarius,

& Andreas medicus, qui cæteris diligentius hac in parte versati videntur, radices multas apprimè uti-

30 les, herbasque aliquas haud quaquam adnotatas reliquerunt. Veruntamen priscorum subscribere oportet sententijs: quos, etsi pauca ipsis referantur accepta, magnam tamen impendisse diligentiam constat. Iunioribus minus assentiendum: è quibus est Iulius Bassus, & Niceratus, & Petronius Niger, & Diodotus, Aselepiada omnes, qui medicinalem materiam uernaculam, cognitamque uulgò, dignam censuerunt, quæ ab ipsis literis exactè mandaretur: & ut medicamentorum uires, probationesque cursim complexi, sic nullo experimento eorum effectus colligentes, inani uerò reddendarum causarum studio uerba fundentes, alia interdum pro alijs scriptitando, rem in aceruum, congeriemque controuersiarum extulerunt. Siquidem qui inter eos egregius habetur Niger, euphorbium nascentis in Italia chamelæ succum esse contendit: androsæmonque eandem herbam cum hyperico esse: quinetiam aloë in Iudæa fossilem nasci: & pleraque his similia falsò exponit, quæ prorsus ueritati refragantur. **Q**uibus coniectura colligi potest, ea non oëculata fide, sed narratione potius

40 ab alijs accepisse. In ordine præterea iidem ipsi aberrarunt, partim eorum discrepantes, nullaque cognatione coniunctas uires collidentes: partim per elementa literarum scripta in ordinem digerentes, quòd facilius memoriæ mandarentur, genera & eorum effectus à sua cognatione disjungentes. Nos uerò ab ineunte, ut ita dicam, iuuenta, iugi desiderio cognoscendæ materiæ allecti, multis regionibus peragratis (nec enim nescis nos militarem uitam exegisse) tuo hortatu commentationem in sex libros contulimus. Quòd opus tibi dicamus, Aree, animi gratitudine obsequentes, ob eum quo nos prosequeris affectu. Etenim natura cum in omnes eruditione excultos, tum uerò in eos, quibus cum tibi eiusdem artis necessitudo intercedit, pronus ad amicitiam esse soles; in nos etiam aliquantò peculiaris. Enimvero non paruum præbet tuæ probitatis argumentum, optimi uiri Licinij Bassi singularis erga te amicitia: quam unà nobiscum degentes nouimus, cum mutuam inter uos beneuolentiam æmulatione dignam intueremur. Admonitum autem te uelim, eosque qui in hosce commentarios incident, ne in uerbis facultatem nostram æstimetis, sed potius adhibitam rebus cum peritia curam. Etenim plurima uisu ipsi exactissimè cognouimus: quædam etiam ex ea, de qua inter omnes conuenit, historia, percunctationeque rerum apud singulos uernacularum, diligenter accepimus. Dabimus igitur operam, ut differenti ab alijs ordine tradito, genera singularum medicinarum, uiresque describantur. Quòd autem necessaria sit medicamentorum doctrina, nemo est ferme qui ignoret: quòd ea & toti arti coniuncta sit, uniuersisque eius partibus efficax administret auxilium. Quare per medicamentorum compositiones, atque milturas, & facta in morbis pericula extendi, & incrementum capessere potest, plurimum conferente singulorum medicaminum cognitione. Quinetiam uernaculam, familiaremque materiam complectemur, ut perfecta sit, quæ a nobis relinquatur, doctrina. Verum in primis curam impendere oportet, ut suis temporibus singula & de-

50

a metantur,

metantur, & recondantur. certè pro horum ratione, medicamenta aut ualent uiribus, aut euanido nulloque munere funguntur. Serena igitur cali constitutione demetenda sunt. magni siquidem refert inter colligendum, si uel squalores, uel imbres infesti sint: quemadmodum si loca, in quibus prodeunt, cliuosa, & uentis exposita sint, & perflata, frigidaque, & aquis carentia: in his enim locis uires eorum longè ualidiores intelliguntur. Contrà, quæ in campeltribus, riguis, & opacis, cæterisque locis à uento silentibus enascuntur, plerunque degenerant, & minus uiribus ualent: multoque magis, si non suo tempore, nec opportunè colligantur, aut si per imbecillitatem intabuerint. Neque ignorandum, hæc sepe pro peculiari loci natura, aut anni clementia, maturius, aut serius adulescere. nonnulla propria in hyeme florent, & folia pariunt: quædam bis anno florifera. Quare cui in animo est horum peritiam assequi, necesse est eum prima germinatione solo emergentibus, adultis, & senescentibus adesse. Nam qui pullulanti herba duntaxat adfiterit, adultam cognoscere non potest: neque qui adultam tantum inspexerit, nuper erumpentem noscet. Quo fit, ut propter mutatam foliorum faciem, caulium proceritates, florum seminisque magnitudinem, & id genus alias peculiare notas, nonnulli, qui olim has rerum uarietates non perspexerunt, magno in errore uersentur. Quæ causa etiam nonnullis scriptoribus imposuit, qui herbas quasdam, uerbi gratia, gramen, quinquifolium, & tussilaginem emittere florem, fructum, & caulem negant. Ergo qui sapius ad uifendas herbas, & earum naturales se contulerit, earum cognitionem maximè consequetur. Scire etiãnum conuenit, sola ex herbaceis medicaminibus ueratri genera, nigrum, inquam, & candidum, multis edurare annis: reliqua à trimatu inutilia. Quæ uerò fruticosa sunt, sicut stæchas, triflago, polium, abrotonum, seriphum, absinthium, hyssopum, & alia id genus semine prægnantia demetantur. Flores quoque antea, quàm sponte sua decidant. Fructus autem, ut maturi decerpantur, necesse est: & semina, ubi sicari cœperint, priusquàm defluant. Herbarum succus, & foliorum elici debet, germinantibus tum primum cauliculis. Lac, & lacrymæ excipiantur, inciso per summum adolescentiæ uigorem caule: Radices, & liquamenta, corticesue ut recondantur, eximere conuenit, cum herba suis folijs exuuntur. siccantur etiam expurgatæ inibi, locis asperginem non redolentibus: sed quæ luto, aut puluere sunt obstita, aqua elui debent. Flores, & omnia, quæ iucundum odorem efflant, arculis tiliaceis, nullo situ obductis, reponantur. Nonnunquam charta, aut folijs semina, ut perennent, aptè inuoluuntur. Liquidis medicaminibus densior materia, argentea, uitrea, aut cornea conuenit. Fictilis etiam, si modò rara non sit, accommodatur: & lignea, præsertim è buxo: sed ænea uasa ocularijs medicamentis, liquidisque, & omnibus ijs, quæ aceto, pice liquida, aut cedria componuntur. Adipem autem, & medullas stagnæ uasis recondi conuenit.

COMMENTARIVS MATHIOLI.



Galeni nauigationes, ut legitima cognosceret simplicia.

Medicamenta adulterabatur etiam Galeni tempore.

QUANTVM oporteat Medicos omnes, qui legitimum in arte nomen sibi comparare student, simplicium quorumcunq; medicamentorum, quæ medicinæ usui competunt, cognitionem, ac facultatem sensibus exactè consequi, non modò hac præfatione declarat Dioscorides Anazarbeus in hac materia cæteris facile princeps; sed id quoq; post Dioscoridè admirabili doctrina pluribus in locis memoriæ prodidit grauissimus auctor Galenus: qui hac in re præ cæteris Dioscoridè secutus (ut eius luculentissima monumenta passim attestantur) in simplicium medicamentorum uiribus, ac facultatibus indagandis, relicta (hoc etiam ipse fatetur) Dioscoridi historiariæ palma, omnes, qui in hac materia scripserunt, longè admodum superant. Quippe tantæ animi propensione oblectationeque cognoscendorum simplicium captus fuit (sciebat enim non posse ritè se dici medicum sine eorum scientia) ut nullo magis laboris metu, nullis periculis deterritus, in Lemnum, Cyprum, Syriam nauigauerit, atq; alias plurimas peragras uerit regiones, ea demum causas, ut quæ legitima et sincera, quæque spuria & adulterata essent medicamenta, certò dignoscere posset. Quapropter lib. III. de medic. comp. per generata scriptum reliquit: Hinc enim puto bonæ indolis iuuenes incitatum iri, ut medicamentorum materiã cognoscant, ipsimet insipientes, non semel aut bis, sed frequenter: quoniam sensibilibus rerum cognitio sedula inspectione perficitur: cuius rei euidentissimum est indicium, quòd gemini per omnia similes esse nobis uideantur, differentes autem ijs, qui ipsos inspicere consueuerunt. Itaq; herbarum, fruticum, & arborum materiã, priusquàm è terra eximantur, contemplari pulcherrimū est, dum fructus uidelicet et futuri sunt, dum eduntur, dum auferunt, & dum uigent. Hæc siquidem continua eorum speculatio docet te, quando potissimum ipsos commodè decerpas, ac in siccis domunculis repositos custodias. Vos ergo admonco, amici, ut in hoc quoque me sequamini, si artis opera pulchrè obire uolueritis. Nouistis enim, quomodo ex omni natione præstantissima quotannis mihi afferantur medicamenta, eo quòd perditis illi omnigenarum rerum cõemptores (Græci ἐπιτονωταὶ uocant) uarijs modis ea contaminant. Præstiterat forsitan non hos solum, sed multò magis etiã mercatores, qui illa aduehunt, incusare, atq; his multò magis ipsos herbarios. item nihil minus eos, qui radicum liquores, succos, fructus, flores, & germina ex montibus in urbes conferunt: hi siquidem omnium primi in eis dolum exercent. Quisquis igitur auxiliorum undiq; copiam habere uolet, omnis materiæ stirpium, animalium, & metallorum, tum aliorum terrestrium corporum, quæ ad medicinæ usum ducimus, expertus esto, ut ex eis et exacta, et notha cognoscat. Nisi enim hoc modo instructus ad præsentis operis præsidia ueniat, uerbò tenus quidem medendi methodum sciet, opus uerò nullum ipsa dignum perficiet. Et primo

de antidotis: Medicus autem (inquit) omnium stirpium, si fieri potest, peritiam habeat, consulo: sin minus plerum saltem, quibus frequenter utimur. Earum genera quisquis toto ætatis illarum decursu nouerit, multis in partibus orbis terrarum reperiet, ut ego in Italia multis in locis inueni: quæ nec quando pullulant, nec quando crescunt, nouerunt isti, qui sic eas stirpes tantummodo cognoscunt. Hæc Galenus. Ex quibus satis medicis omnibus perspicuum est, non posse quenquam sine certa simplicium medicamentorum cognitione, nec morbis ratione mederi, neque artem recta methodo exercere, nec nisi fortuna quadam, uel naturæ ipsius robore ægros sanare. Neque enim ullo pacto eis ad stipulandum censeo (ut medicorum plerique faciunt, & ij sepe, qui primas sibi deferri existimant) qui compositis tantum officinarum medicamentis, ipsiq; admodum uulgaribus contenti sunt. Nam cum satis sibi fore persuadeant, scire Diacatholicum omnes in uniuersum humores deicere, Deiectorium è succo rosarum flauam bilem, 10 Diacnicum pituitam, Diasenam, & Catapotia ex cæruleo atram bilem, Coccia caput & cerebrum expurgare; sicuti, quæ Lucida nuncupant, oculis, & quæ ex hermodactylis dicuntur, ac quæ Fœtida uocantur, arbriticis esse peridonea, nihil ultra requirunt: quin potius scire negligunt, è quibus ea simplicibus componantur medicamenta, & an ijs ea insint iures, quæ suis nominibus pollicentur. an simplicia, quibus conflantur, legitima sint an spuria, sincera an adulterata, recentia an exoleta, sicca an humore, uel situ corrupta, an suo tempore, & opportune decerpta, sole siccata, an umbra, an igne, ut sæpius in temporis angustia officinis fieri solet. Neque unquam animaduertunt, quod deiectorijs medicamentis, quæ nostro æuo parantur ad bilem deiciendam, semper Scammonium lacte tithymalorum, ac pityusa adulteratum, magno ægorum detrimento immiscet. Iis uero, quæ pituitam ducunt, sepe legitimi Turpeti loco, modo pityusæ, modo thapsiæ, modo pæoniæ radicum cortices imponunt, quæ impostorum mangonio ita Turpetum referunt, ut non seplasiariorum modo, sed etiam medicorum quoruncunque oculos sepenumero fallant, nisi fraus gustu, & legitimi Turpeti scrutinio, & collatione deprehendatur. In Catapotijs deinde, quæ ex hermodactylis uocant, ephemerum Colchicum legitimi hermodactyli utce, in Fœtidis uero eicutæ semen pro agrestis rutæ semine, quorum utrunque mortiferum est medicamentum, omnes iniiciunt. Adde præter hæc, quod sepenumero medicamenta ex ijs simplicibus componunt, quæ etate exoleta, nihil uiribus præstant. quo fit, ut penitus euanida, ac inualida reperiantur. Quod etsi quandoque malitia, ac propria artificum impostura fiat; id tamen plerumque accidit, ex ipsorum tum incuria, tum etiam imperitia. nam pauci, uel potius nulli habentur pharmacopole (cos semper excipio, qui simplicium historias amplexantur) qui supposititijs, ipsiq; innumeris non utantur simplicibus. Nanque asaro utuntur pro bacchare, cytiso pro trifolio, syluestri loto pro fertula Campana, colutea pro sena, acoro odorati calami nice, cypero pro galanga, hieracio pro soncho, sphondylio pro acantho, chondrilla pro eichorio, agresti lactuca pro intubo, ophioscorodo pro scordio, quibusdam arborum lacrymis pro succino, thapsia pro turpeto, picæ pro pissasphalto, resina Larigna pro abiogna, & legitima terebinthina, 30 phyllitide pro aspleno, obscuris quibusdam radicibus pro meo, peucedano, & costo. Ad hæc casiam pro cinnamomo usurpant, santala pro aspalatho, lacem ex brasilio & cocco insectorio confectam pro canamo, Rhodium oleastrum pro agallocho, ossa & carnem humanam pro mumia, macim pro macere, chartam pro papyro, crespinum (sic enim uulgo uocant aculeatam quandam plantam) pro oxyacantha, conuoluulium, siue leuem simlacem pro ligustro, agrestium prunorum succum pro acacia, succum uero baccarum ligustri, & periclymeni pro lycio, nucem, quas Arabes uomicas appellant, pro metellis ita uocatis, caneros pro ganmaris, ranunculum pro coronopo, saponariam uulgo dictam pro struthio, carduum, quem benedictum nominant, pariterq; chamæleonem album pro leucacantha, parthenium pro artemisia, cotulam fœtidam appellatam pro parthenio, canis testiculos (sic enim radices quedam nominantur) pro satyrio, polium pro chamæpity, paronychiam, & trichomanem pro adianto. Cadmia præterea officinis ferè omnibus pompholygem refert, ærugo æris floræ, æris squama stomomatis (quod chalybem dictum putamus) squamam, sandyx minuum, terra quedam mangonizata sphragidem lemniam, salnitrum nitrum, & aphonitrum. Alia denique plura, ac diuersa simplicia medicamenta sunt, quæ ubique locorum apud uarias nationes, huius, uel illius uicæ nulla penitus ratione indifferenter subiiciuntur, ubi tum prauum, tum spurium sibi iandiu uendicant usum. quæ, ne uerbosus rem hanc prosequi uideamur, silentio prætermittenda censemus. Hæc autem pluribus in locis non euenirent, si medici omnes ueram, & exquisitam simplicium rerum doctrinam consequerentur, quam maxime, & iure consequi deberent. Quippe materię huius peritiam assecuti, & errorum cognitionem nacti, ne seplasiarj in eiusmodi uersarentur scandalis, obstarent: neque eis ulla unquam medicamenta confici permitterent, nisi sibi prius perspectis, cognitis, ac probatis simplicibus, quæ in ipsis componendis expetuntur. Denique itaque iam operam imperiti, ut huiusceteri materię cognitionem exactè consequantur. quandoquidem artificij nihil quidem execrabilius, ac turpius esse potest, 40 quam suæ artis subiectum, & instrumenta ignorare. Quod sanè unicuique medico usu euenire comperimus, qui non modo alienis utitur misturis, sed nec simplicia quidem, nec eorum facultates nouit. Proinde scite à Galeno dictum est lib. VII. & VIII. de composit. medic. secundum locos; quod non poterit is, ex quo ordine eiusdem generis medicamentorum compositum sit, cognoscere, num ex mollissimo, an uehementissimo, aut medio, aut alio aliquo inter hunc, & alios intermedio, qui singulorum simplicium potestatem exactè antea non perceperit. Veruntamen nemo in hac materia se peritum euadere confidat assidua tantum librorum lectione, etsi eos quidem grauisimi conscripserint auctores, nisi se sæpius ad uiscendas stirpes se cõtulerit, et quod à præceptore in herbarum agnitione diu exercitato, digni demonstratione prius fuerit doctus, ac oculorum sensu, gustatuq; uarijs anni temporibus omnia hæc diligenter omni ex parte perpendant. Id enim, cum maxime perpendisset Galenus (ut sexti libri de simplicium med. facul. præfatione legitur) inquit. Equidem non possem non accusare & illos quoq; qui primi herbarum formas scriptis docere sunt conati, cum melius existimem ab ipso præceptore oculis discere, ac non ad simulari ijs, qui ex libris procedunt gubernatores. nam sic et uerior, & manifestior esset doctrina, non herbarum modo, & fruticum, arborumq; sed et aliorum om-

Sine simplicium cognitione maxima est medendi ratio.

Officinarum lapsus.

Officinarum abusus & ignorantia.

Simplicium peritiam nemo potest adipisci ex librorum lectione.

Herbarum forma descriptarum conferunt.

Scripta quorū
cōmendat Ga
lenus.

Simpliciu per
ritia à præce
ptoribus, non
ex libris com
paratur.

Impostores
quādoque et
peritos deci
piunt.

Stirpes folia
immutantes.

Stirpium ima
gines parum,
uel nihil pro
funt ad simpli
cia dignoscen
da.

nium medicaminum. Verum enimvero si omnino libris est opus, quis adeo miser est, ut præteritis scriptis Dioscoridis, Nigri, Heraclidis, Crateuæ, et aliorum innumerorum, qui in arte ipsa consenuerunt, libros grammaticos scribentis incantationes, transformationes, & decanorum, demoniorumq; herbas sacras perferat? Et libro primo de alimentorum facultatibus: Optima (inquit) illa doctrina est, quæ uiua uoce traditur. neq; enim quisquam ex libro nauclerus, aut alterius artis artifex euadit. In hoc nauq; comparati sunt libri, ut nobis sint corum, quæ ante didicimus, monumenta, nõ ut rudes & ignari per illos doctrinam perfectam assequamur. Quod si qui sint, qui præceptoribus careant, uelintq; ijs, quæ luculentè, ac copiosè sunt scripta (qui nobis scribendi mos est) diligenter incumbere, magnum ijs fructum capient, præsertim si eadem relegere identidem non grauentur. Et primo de antidotis: Quod si nullo (ait) monstrante ex libri alicuius lectione, quales sunt commentarij Heraclidis, Crateuæ, Dioscoridis, aliorumq; quorundam in simplicium medicaminum cognitionem peruenire aliquis uelit, longè maiore ipsi opus est inspectione, ut exactè singulorum medicinarum uirtutes, ac utia diiudicare sciat. Nam qui simplices medicinas diuendunt, tam callidè illarū quasdam concinnant adulterantq; ut etiam exercitatisimos in eis decipiant. Quare idem Galenus lib. 1x. de simpl. medic. facultatibus in diphyrgis mentione ita scriptum reliquit. Adijciam huic, qui de illo habetur, sermoni, rem non modo de diphyrgis scitu uilem, sed & de Lemnia sphragide, & pompholyge, & opobalsamo, & lycio Indico. Nam etiamnum adolescens didici hæc ita præparare, ut à ueris natiuisq; nihil differre uiderentur. Erat autem qui me docebat ingenti mercede, homo curiosissimus, non in his tantum, sed & alijs similibus. Itaq; in Lemnum, in Ciprum, in Palaestinam Syrian eo studio nauigauit, ut medicamentorum istorum cuiusq; multam copiam, quæ in omnem uitam meam satis foret, reponerem. Sed & Lycium Indicum cum aloë Indica id temporis commodum accipere contigit, cum à Palestina iter reflecterem: cum persuasum haberem, eo quod à camelis cum tota sarcina aduectum esset, proculdubio id esse Indicum: quodq; adulteratum haud nosci ab ijs, qui portassent, posset, propterea quod materia, ex qua id præparatur, illis in locis haud nasceretur. Porro satius usum est mihi illegitimorum compositiones haudquam adscribere, utpote cum homines scelerati in lucro ponant talia posse discere. Nec enim necessarium est cum uerorum ac germanorum notis ac indicijs, adulterandorum nosse compositiones, cum nihil ad ea discernenda conferant: imò optem, si queam, quæ à maioribus me perperam conficiendorum atq; adulterandorum medicaminum proditæ sunt compositiones, omnes prorsum delere atque extirpare. hætenus Galenus. Ex cuius uerbis manifestè percipi potest, ex libris dumtaxat non posse in simplicium agnitione peritum fieri quencquam, etiam si in ipsis stirpium imagines uidentibus per similes omni exquisito artificio fuerint adiectæ. Siquidem (ut hac in præfatione scribit Dioscorides, & locis iam citatis asserit Galenus) qui in stirpium historia peritissimus euadere cupit, illum quidem uiuas omnium plantarum non semel tantum, sed diuersis anni temporibus inspicere oportet. Quandoquidem plantæ ipsæ folia aliàs exhibent, cum prima germinatione emergunt, aliàs cum adolefcunt, & caulè edunt, aliàs ubi flores erumpunt, & aliàs ubi siccescentes maturum gestant semen. Videmus enim aperte populum nigram, sicuti ricinum, per initia folia explicare rotunda, quæ tamen post tempus huic platani, illi uerò triangulari sectione laciniata uisuntur. Sed contrà hederæ euenit. quippe huic prima statim inuenta triquetra folia insunt, quæ uetustiora iam facta quadantenus rotundantur. Si symbrij aquatici folium cum primis erumpit, rotundum est, cum uerò adoleuit, in erucæ modum laciniatur. Lepidio, et nasturtio folia primo exortu circinata, ac circunquaq; apij ferè modo laciniata emergunt: at cum pubescunt, præ longa oleaceis similia euadunt. Quo etiam modo hortense nostrum uulgo petroselinum uocatum cum suis ludere ceranimus. Lathyrus amygdalinis folijs caulem uestit, quæ in cacumine ita prioris formæ obliuiscuntur, ut in aristolochiæ, aut hederæ circa totum caulem folia promit tam crebra, acuta, implicata, densa, ac minuta, ut nucamenti speciem quandam referant. Sunt & aliæ nonnullæ, quæ has foliorum mutationes per tempora ostendunt, quarum nomina breuiter tati consulentes nunc prætereunda censemus. At fieri quidem nequit, ut huiuscemodi stirpium uariationes ex libris, in quibus figuræ expresse, atq; etiam coloribus exornatæ habentur, omnes obseruari possint. quandoquidem plantæ ipsæ appictæ ex tot uarijsq; unam nobis dumtaxat imaginem representant. Huc etiam illud accedit, quod ea, quæ picturæ artificio fiunt, etsi ex optimi artificis penicillo emergant, nunquam tamen naturalium rerum lineamenta ad unguè referre, ac exprimere queunt, quauis etiam naturam exactissimè imitentur. Eadem ratione putauerim ex cuiuslibet grauisimi auctoris commentarijs, qui stirpium historiam continent, neminem absolutam earum notionem unquam adepturum esse, quæ maxime medicis requiritur. quippe quod ijs suis simplicium monumentis, ac foliorum, caulium, & reliquarum partium historijs, non nisi unam lineamentorum, ac similitudinum enarrationem tradiderint. Quæ tametsi uera sint, nullum tamen præbent mutationis exemplum, ut sepe ac sepius plantis compluribus uarijs totius anni curriculis tum in folijs, tum in caulibus, reliquisq; particulis euenire comperimus. Quo fit, ut hæc uariandi series nullo alio pacto addisci possit, quam longa oculorum exercitatione, dum ætate tota plantæ ipse solo educatæ uirescunt. Cæterum ubi scriptores in suis historijs stirpium notas explicant, illi quidem ferè semper similitudinibus utuntur, acorum exempli gratia, xyridem, gladiolumq; iridi similem reddentes: Meon præterea anetho, cyperum porro, asarum hederæ, phu smyrnio, & hoc illi, & illud huic sepius comparantes. Vnde fieri non potest, quin aliquis, non prius perspectis unà cum doctissimis ac exercitatisimis præceptoribus plantis quibuslibet, cum quibus aliæ inijsse tum similitudinem, tum etiam cognationem narrant auctores; & non habita hoc modo earum ratione, possit unquam ex solis libris cum stirpium imaginibus, uel sine eis editis, in summum & perfectum herbarium euadere. Quamobrem etsi stirpium imagines, quæ magno tum pictorum, tum typographorum studio libris excuduntur, insipientium oculos blandè admōdum detineant, atq; illas prius à nobis cognitæ in memoriā reuocent; magni tamen eas esse emolumentum ijs non crediderim, qui usu & præceptoris auxilio numerosam earundem partem non acceperint prius: quanquam fortasse seculus uulgus existimet. Adhibeant igitur curam ijs, quibus in animo est rei herbariæ peritiā adipisci, ut in primis uiros huius

10

20

30

40

50

huius

huius rei non imperitos sibi preceptores asciscant: deinde ut assuescant per diuersa temporis interstitia, montes adire, ualles, syluas, ac cetera terræ loca, ubi oculis, reliquisq; sensibus simplicia medicamenta inspicere, & cognoscere ualeant. Quos nec pigeat se conferre ad fodinas, ubi metallica & fossilia medicamenta tam diligenter contemplantur, ut legitima quæq; deinde ab adulterinis discernere sciant. Neque solum in fodinis ipsis uersari debent, sed etiam in fornacibus, ubi metalla funduntur. nam ibi & diphrygem, & pompholygem, & spodium, & cadmiam, & argenti spumam, & alia nonnulla dignoscere poterunt: quæ hæc nostra ætate factitia, spuria, et adulterata in myropolijs ferè omnibus habentur. Quin & ad magna emporia, luculentissimasq; ciuitates se conferant, ubi peregrina undiq; importata ueneunt. At certè ridiculi sunt, qui inter legendum tum herbas, tum etiam radices, uana ducti religione, quibusdam uerborum, carminum, & suffusionum superstitionibus uis præcipiunt, quasi uires, & facultates medicamentorum uerbis, & carminum incantationibus infundere, augere, & diminueri uideant, ut stulti, & supersticiosi falso credere, & affirmare non erubescunt. Quos tamen lib. v. de simp. med. facul. superius citato acerrime damnauit Galenus, sic inquit. Et Pamphilus eum in modum tractatum de herbis composuit, uerum is ad fabulas uersus aniles est, simulq; præstigiaturas quasdam, iunctis nonnullis incantationibus, quas, cum herbas colligunt, admurmurant. Et sanè utitur ijs τὸς τὸς ἐπιλάττω, id est, ad quæ suspenduntur, & ad alias manganas non solum curiosas, & à medicina alienas, sed etiam falsas uniuersas. Ex hac Galeni sententia omnibus palam fit, quòd si modò commentarios aliquos admittamus, omnis omni ex parte supersticiosus, eos tantum legere debeamus, atq; in ijs nauare operam, in quibus uera, & exculpta simplicium doctrina nitet. Quos præsertim posteritati donarunt ij, qui exactam eorum peritiam indefessis laboribus sunt consecuti: inter quos omnium primus est Dioscorides. Ideoq; iure quidem eodem loco cæteris à Galeno præfertur, cum inquit. At Pamphilus, is scilicet, qui libros de herbis composuit, planè ex ijs, quæ uel ipse scribit, præ se fert grammaticum, indicatq; se nec conspexisse herbas, quas exponit, nec uires earum expertum, sed ijs, qui ante ipsum scripsere, fidem habuisse circa ullam explorationem. Hic sanè libros exscripsit frustra à annexo ad unamquamque herbam nominum aceruo: deinde etiam exponens, si qua ex homine ferebatur transformatio: tum incantamenta, & libationes, atq; thymiamata, quæ in colligendis illis adhibebantur, adscribens: necnon & alias eiusmodi præstigiaturas nugaces. At Dioscorides Anazarbensis quinque libris materiam omnem utilem absoluit, non herbarum tantum, sed & arborum, & fructuum, & succorum, & liquorum: memorans insuper & metallica omnia, & partes animalium. Et mihi utiq; uidetur omnium perfectissimè tractatum de materia medicamentorum confecisse. Nam licet à maioribus multa de illis bene scripta extant, tamen à nemine omnium æquè de omnibus. Ceterum quæ scripta reliquit Heracides Tarentinus, & Crateus, et Mantæas, non in ordinem digesta, nec in unum omnia collecta uisuntur, quemadmodum illa, quæ scripsit Dioscorides. Et primo de antidotis uolumine: Ac de omni quidem (inquit) medica materia sufficienter à Dioscoride quinque libris traditum est, à quo tibi discere licet cum alias omnes notas, tum gustu, olfactuq; perceptas, quibus maxime probiora medicamenta à deterioribus cognoscuntur & discernuntur. Hinc ergo auctoritate Galeni satis perspicuum esse potest omnibus medicis, itemq; seplasiarijs, ad quos potissimum spectat rei medicæ cognitio, in ea simpl. medicamentorum facultate Dioscoridem ceteros excellere, & facile primas tenere. Quapropter ab ijs præclarissime ageretur, si eius scripta tantisper legerent ac perlegerent, perpetuoq; in sinu gestarent, donec eum planè sibi familiarem redderent. & hoc quidem eo præsertim tempore facerent, quo à peritissimis præceptoribus uera, ac legitima simplicia tum oculorum, tum gustus, tum olfactus sensibus offeruntur. Quod eò citius ducet illos ad optatum finem, quò magis Dioscoridis præclara scripta castigatissima, & à mendis quam plurimis expurgata reperient. Quinetiam nostris commentarijs, qui præterea Galeno referunt, acceptum ferè quicquid ipse scripsit de simplicium medicamentorum materia, ita dilucidata & illustrata, ut maximam (ni fallor) secum adferant claritatem. Huic igitur soli se dedant, hunc solum sequantur ob iam dictas rationes omnes ij, qui non modò stirpium, sed & reliquorum simplicium medicamentorum doctrinam & facultatem consequi uolunt. Ac contra tum uulgo semper ignaro, tum ijs etiam, qui coxantium ranarum instar, è sordido palustrum aquarum limo caput exerere nequeunt, nugaces, ac penitus deprauatas Pandectas relinquunt, unà cum tenebrosis officinarum Luminaribus, et reliquis mendacibus uoluminibus, ubi simplicium, & compositorum materia ab ijs tractatur, qui uix lactucam nouissent, nisi eorum cœnis frequentissima extitisset: pariterq; urticam, nisi acerrime tangentes pupugisset. Quorum inscitiam animaduersus Galenus, contra eos locutus esse uidetur lib. v. de simpl. med. facul. præfatione breuiter & scitè, sic inquit. Verum abstinentum est à multis mendacibus, multoq; etiam magis fugiendus est Pamphilus, qui ne per somnium quidem herbas uidit, quarum aggreditur figuris perscribere. nam id genus hominum (quomodo assimilauit eos Heracides Tarentinus) simillimum est præconibus, qui formam ac notas fugiuiu mancipij, licet ipsi non uiderint unquam, præconio tamen publicant. notas enim ab alijs, qui norunt, accipiunt, & ceu cantilenam eas proferunt, ut si forte is, quem præconio indicant, adisteret, agnoscere tamen non possent. Hucusq; Galeni uerba. Quæ longè satis sufficere possunt ad eorum monitionem, qui ad simplicium materiam noscendam per rectum ostium introire cupiunt, & securo totius itineris gressu progredi. Verum in primis, ut opportunè singula demetantur, nosse oportet tempora, quibus maxime plantæ uiribus ualeant. Quapropter à radicibus initium sumentes, dicimus harum uires, sicut etiam aliarum stirpium partium, non eodem anni tempore æquè in omnibus reperiri. quandoquidem aliæ hoc tempore, aliæ uerò illo humore prægnantes deprehenduntur. Tamen si non desint, qui haud quaquam infirmis rationibus innixi, radices è terra eruendæ asserant semper autumnò, cum scilicet folia decidunt, & caules contabescunt. alij uerò inuente uere, priusquam folia concresecant: siquidem hisce temporibus radicibus maior uis inest, quam cæteris partibus. Sed ut ingenue in hac re fatear, quid sentiam, crediderim ego omnino maiorem succi ubertatem inueniri in his, quæ uere effodiuntur, quippe quòd plætæ nondum caules, folia, neque flores emisserint, à quibus omnis radicem succus exhauritur. Sed & rationi consonum mihi uidetur, autumnales radices omnes tum paucioris, tum imbecillioris esse succi, quam uernales, quòd sci-

Vanū & superstitiosū incantationib⁹ uti, dū plætæ effodiuntur.

Dioscorides à Galeno maxime commendatur.

Dioscorides i simplicium medicæ materia primas tenet.

Libri explorandi.

Tempus, quo stirpiū partes legendæ sunt.

Radices quando effodiendæ.

licet pauco ante tempore & caules, & folia, & fructus ediderint. Non tamen inficiari uelim, quod quæ uere le-
guntur, copiosiore, quam par sit, humore redundantes, illoq; longè minus concocto eo, qui in autumnalibus habe-
tur, putredini & corruptioni non sint magis obnoxie, præsertimq; si longo asseruentur tempore. Quare à Diosco-
ride animaduersa, is sanè iussit stirpium radices effodiendas esse, cum stirpes ipsæ folijs exuuntur. Quod cum uarijs
anni temporibus eueniat pro natura diuersarum plantarum, curam impendere oportet, ut suo tempore unaquæq; ra-
dix integrè, si fieri potest, cum omnibus suis adnatis euellatur, & ijs in locis, atq; sub ea cæli constitutione, quam maxi-
mè familiarem habent. Porrò radices abunde nutritæ sint oportet, ac omni putredine, et imbecillitate uacantes: non
ita tamen, ut præ nimio alimento ex pingui solo, ubi nascuntur, accepto, debitam & humoris copiam, & corpulentie
metam excedant, neq; ut eiusdem alimenti inopia inanes, & rugosæ reddantur. Quod cum maxime perspexisset Gale-
nus de iridis radicibus differens libro primo de antidotis: In uniuersum (inquit) ex omni medicinarum genere ille ra-
dices inutiles habentur, quæ inanes sunt, & rugosæ. Atq; illæ quidem deteriores sunt mediocriter nutritis, & medio-
crem magnitudinem nactis, quæ crassitudinis modum excedunt, & plus humoris in se continent, quam illis usu ueniat.
Hæc Galenus. Cæterum ubi radices è terra fuerint exemptæ, primum quidem tandiu aqua clara elui debent, donec
omni undiq; terra, uel limo penitus abstergantur: mox deradi tum à fibris, tum capillamentis omnibus, quibus uniuersim
ferè omnes comantur: postremo sicari eas conuenit omni adhibita cura. Quod si fuerint quales sceniculi, apij, aspara-
gi, rusci, polipodij, rubiæ, intubi, & consimilium, in umbra, ubi orientales uenti respirent, diligenter siccentur. At om-
nino cauendum est, ne sole feriantur: quippe quoniam potior earum pars ab eis prorsus euanesceret, utpote raris &
tenuibus. Verum enim uero si ex eis fuerint, quæ natura crassæ sunt, ueluti gentianæ, helenij, mandragoræ, bryoniæ,
& id genus aliæ, & aer sit nubilus, & hyems, ne in umbra situ tabescant, ac proinde marcescant, in sole ac uento tuto
sicari possunt. Quod comodius fieri potest, si frustatim dissectæ ita tenui funiculo traiciantur, ut partes non se con-
tangant, aut cratibus impositæ quotidiè sepius manibus reuoluantur. Atqui curandum est, ante quam siccentur, ut li-
gnea matrix, quæ omnibus ferè radicibus includitur, ipsi in longum scissis, integra eximatur: quippe omnino inutilis
est, nullamq; uim obtinet. etsi gentiana, cyclaminus, aristolochia rotunda, iris, bryonia, centaurium maius, nymphaea,
aliæq; complures absq; matrice suas præ se ferant radices. Siccatis radicibus, quod planè constat eas sine tabe, & te-
redine per tempora adseruari posse, ijs reponantur in locis, ad quæ solares radij non penetrent, neq; fumo pateat ad-
itus, & quæ neq; uliginosa sint, neq; puluerulenta. Sit igitur locus eminens, & siccus, ad septentrionem uergens, uel
etiam ad meridionalem plagam, quando scilicet radices ipsæ non prorsus exiccatae reconderentur: adhibita tamen cu-
ra, ne eo tempore austri humidissimi status admittantur. Ita deniq; recondi, ac seruari possunt tot annis, quot ab inani-
tate, teredine, & tabe uindicari ualeant. Nam etsi quæ tenues sunt, ut asari, pbi, asparagi, rusci, & id genus aliæ, anno
dumtaxat perennent; ueratrum tamen utrunq; quauis radicibus constet tenuibus, ad trigessimum annum usque perdu-
rat. Cæterum demetendi tempus, recondendi locus, perdurandi terminus non modò in radicibus obseruandus, sed &
in cæteris tum stirpiu, tum etiam animaliu partibus, ut in hirci sanguine, lupi iocinore, intestino, ac etiam stercore, uul-
pis pulmone, apri uestica, anguium fenestra, alijsq; consimilibus. Assumantur igitur hæc omnia eo demum anni tempore,
quo magis suis uiribus sunt præditæ, nullo planè modo neglecta temporum ratione, quibus singula decerpi postulant.
Neq; enim damnandi sunt, qui in quibusdam plantis colligendis quædam decreta tempora, nonnullosq; errantium sice-
rum aspectus obseruant: quippe quod apud graues auctores scriptum inuenerint, pæoniæ radices contra comitiales
non esse euellendas, nisi decrecente luna. Quæ quidem opinio non prorsus reprobanda uidetur, nec ad ineptias incan-
tationum, aliarumq; uanitatium, quas stultè (ut Galenus inquit) prodidit Pamphilus, comparanda. Nam cum inferiora
terrestria à superioribus cælestibus gubernentur, & regantur, fieri maxime potest, ut luna, ut quæ cæteris erranti-
bus sideribus est nobis magis proxima, motuq; uelocissima, maximam cum plantis omnibus, ac rebus quibusuis alijs ha-
beat rationem, tum cum augetur, tum etiam cum minuitur singulis mensibus. Quamobrem non temerè à Galeno pro-
ditum est, abyssum herbam tantum sirio ardente ad canum rabiosorum morsus esse euellendam, sicuti etiam fluuiatiles
cancros ad idem peridoneos. Quo etiam tempore captamus scorpiones, atque anchusa radice cõstat sanguineo succo
madente. Quemadmodum & stirpes, quibus facultas exalfaciens insit, perpetuò in locis calidis, ac siccis demetere
conuenit. Quocirca Hippocrates ad Crateam scribens: Adnitere (inquit) quantum potes, ut nobis montanas maxi-
mè, & in altis collibus nascentes herbas à radicibus refeces: quandoquidem hæc firmiores, atque acriores sunt ijs,
quæ aquosioribus nascuntur locis: idq; quod in montibus terra sit densior, & aer tenuior. nam quod attrahunt, frigi-
dus est. Quinctiam dabis operam, ut flores ex his herbis etiãnum decerpas, quæ circa stagnantes aquas, palu-
des, fluuios, & fontes prodeunt, quas sanè debiles, & exolutas, ac dulcis succi esse scio. Hæc Hippocrates.

Radicu opti-
marum nota.

Radices quo-
modo mundæ
de, siccandæ,
ac conferuan-
dæ sint.

Radices quib.
in locis exic-
catæ sint po-
nendæ.

Veratru vtru-
que triginta
edurat annis.

Non est ab re
certis tempor-
ibus herbas
colligere.

Herbæ quo
paço legedæ,
siccandæq; sint.

Plantæ, quæ
colligi post u-
lant florib⁹ or-
natæ.

Deinde

Deinde terra expurgata, atq; alijs aduentitijs excrementis amotis diligenter in umbra siccentur. Nisi ex eo genere habeantur, quæ caulibus crassitudine, ut in acantho, uel foliorum lentore, crassitie, & humoris exuberantia, ut in portulaca, & eribamo, omnino insolari expetant. quandoquidem si eiusmodi herbe in umbra siccandæ reponantur, dubio procul situ obducentur, & putrescent. Ceterum cum recte siccatæ fuerint, decusso puluere, in sacculis ex corio, uel ligneis capsulis recondantur, ac diligenter claudantur, ne earum uires euanescent. Quæ in re errant seplasticariorum plerique, qui herbas iam siccatas in fasciculos digerentes ad officinarum laquearia suspendunt, ubi non solum breui uiribus destituuntur, aeris ambientis exuactione, ac uentorum perflatu, sed etiam in mille sordium sententiam desciscunt: quandoquidem & puluere, & araneorum telis obsidantur, ac inde muscarum stercore, quæ illis die, noctuq; insident, labefactata nigricant. Neque uerò planè laudibus efferendi sunt ij, qui in linteis sacculis, **10** ipsisq; textura admodum raris eas trabibus appendere consueuerunt: quippe æstius aer in ipsos penetrans, quicquid boni inest, absimit, & abolet. quin etiam puluere obsitæ corrumpuntur, & contabescunt. Idcirco ut tam herbe, quam radices suas integras asseruent facultates, nihil quidem præstantius, quam eas capsulis tiliaceis, uel piceis, uel fictilibus diligenter clausis reponere, ut docet Hippocrates ad Crateum his uerbis scribens. Omnia medicamenta, quæ succi, & liquores fluidi sunt, in uitreis uasis ferantur. quæ uerò folia, aut flores, aut radices sunt in fictilibus nonis probè obturatis, ut ne uentis perflata, medicamenti uigorem, uelut in animi deliquium collapsa, amittant. Quod si Hippocrates in recentibus obseruandum præcipit, id maxime in siccis fieri operæpretium erit. Flores insuper non secus, atque reliquæ plantarum partes, eo tempore colligendi sunt, quo magis suo in uigore consistunt, non autem cum iam staccæscentes decidui euanescent. At capparum flores muria asseruandi, antea quam se explicent, decerpuntur: rosarum uerò cum non planè explicati uisuntur: ceteri deinde cum omnino expansis folijs patent. **20** Verum cum maiori ex parte omnes ferè flores sint herbis fragiliores, molliores, & tenuiores; idcirco tantum abest, ut in sole siccandi sint, ut ne quidem in umbra, si calida, uel eminentia fuerint loca: quippe, ut solis feruore, sic & aeris calore nimio exoluuntur. Siccentur igitur in locis temperatis, quo tempore sæpius reuoluantur, ne situm contrahant, adhibita etiam cura, ne sicci natuum colorem deperdant. quandoquidem certum est flores, qui inter siccandum à proprio colore degenerant, nullius esse in medicina usus. Flores itaq; in uniuersum sicci ad annum duntaxat, educant, est anthemidis, centaurij, chrysanthemi, millefolij, spartij, & rosarum flores etiam longiori asseruentur tempore, si ligneis arculis optime inclusi diligenter recondantur. Non minori etiam studio sunt colligenda semina tam ea, quæ suis in stirpibus nuda inuascuntur, ut lichospermi, phalaridis, sceniculi, anethi, & cari: uel uasculis, aut capitulis inclusa, ut papaueris, nimphææ, melantlij, hyoscyami, & ocimoidis: aut siliquis tecta, ut fabæ, ciceris, phasoli, dolichis, & lupini: aut corniculis recondita, ut fœni græci, fertulæ Campanæ, sinapis, & erucæ: aut uarijs inuolucris **30** contenta; quam ea, quæ circa medullam quorundam fructuum intus conduntur, quale est mali medici semen, aurantij, limonis, pyrorum, cydoniorum malorum, peponum, & melopeponum, cucurbitæ, & cucumeris. Veruntamen hæc asseruere oportet, cum fructus, à quibus eximuntur, suam maturitatem planè senserint: illa uerò, ubi herba iam sicca, non amplius uirent. Et quamuis multa reperiuntur semina, quæ ad annum ultra suas asseruent uires, ea tamen quotannis renouare satius, ac tutius erit: siquidem pauca sunt, quæ inueterata rancorem non redoleant. quo fit, ut calorem nanciscantur extraneum, & sibi non congenitum. Vbi igitur sicca fuerint semina, arculis ligneis reponantur in locis siccis: facile enim contrahunt locorum humores. Ceterum fructus, quemadmodum pruna, serica, myrti baccæ, cydonia mala, cerasa (quæ uulgò marasces uocant) corna, sorba, ficus, punica mala, & alia id genus, quæ in medicina usum reponuntur, operæpretium est, ut maturi ex arboribus decerpantur: quanquam sorba, ut siccentur, immatura decerpere conueniat. At animaduertendum est, quod ubi adstrictione, & repressione sit opus, fructus adstringentes ut paululum potius immaturi, quam secus, demetantur oportet. Porro iuglandes, amygdalæ, pistacia, nucleipinei, & auellana non prius ex arboribus excutiantur, quam planè ultimum maturitatis gradum senserint. Id autem rectè cognoscitur, cum extima inuolucra sponte sua dehiscunt, & arbore concussa unà cum fructibus decidunt, alioquin insolatu contrahuntur, & siderantur. Ex his igitur, qui siccati asseruantur, capsulis ligneis potius, quam saccis recondantur, ne extraneos humores concipiant. Qui uerò per annum recentes reponuntur, aut maiori ex anni parte perdurant, in locis siccis minime asperginem redolentibus appendantur, ut assolet de uuis, pyris, malis cydonijs, & punicis: aut super paleas expandantur, ut sit cum malis, sorbis, ac mespilis: aut hordeo, uel milio sepeliantur, quemadmodum medica, & aurantia mala. Cortices præterea, qui fructibus auferuntur, ut citrijs, punicis, & cucurbitis: quicq; arboribus decerpuntur, ueluti thuri, ligno guaiaco, sambuco, ac fraxino: qui item herbarum radicibus detrahuntur, ut capparum, mandragoræ, thapsiæ, alypiæ, ptyusæ, ac aliarum, non **50** secus sunt siccandi, atque radices: quinetiam similiter reponendi. Succiquoq; utpote in medicina admodum necessarii, omni prorsus diligentia, ac ratione sunt conficiendi, atque ita asseruandi, ut toto anni curriculo putredinem non sentiant. Ii igitur non solum ab herbis eliciantur oportet, sed etiam à radicibus, ac fructibus. Qui à radicibus exprimuntur, ut Cyrenæicus, & glycyrrhizæ, uere quidem parandi sunt, cum primum folia emergunt. Ex folijs uerò, ante quam stirpes flores edant, & earum caules lignosi fiant. Ex fructibus denique, quidam cum ipsi ultimam maturitatem senserint, cuiusmodi esse debet malorum puniceorum, citriorum, limonum, & ex myrti baccis: quidam uerò antequam ad plenum maturuerint, ut ex iuglandibus, moris, pyracantha, ligustri baccis, & acacia: quidam ex immaturis adhuc uuis, ut omphacium. Horum omnium nonnulli diu insolati, aut lento igne siccati reponuntur, ut aloës, syluestris cucumeris, absinthij, eupatorij, hypocistidis, glycyrrhizæ, & huiusmodi generis: aliqui uerò humidi, fluxibilesq; reconduntur. Atqui non omnibus eadem est conseruandi ratio: quippe alij paululum primum ad ignem feruefacti, moxq; diligenter defecati, ut fieri solet de succo rosarum, intubi, buglosi, oxalidis, lupulorij, apij, & sceniculi. Alij uerò ignem non experti tantum subsidere permittuntur, ac deinde uasis tandiu transferuntur, do-

Officinarum lapis in herbis siccis reponendis.

Flores quo tempore sint decerpendi, siccandi, ac recedendi.

Flores quando diu durent. Semina quomodo demenda.

Fructus quando decerpendi, & quomodo conseruandi.

Cortices quo siccandi, & reponendi.

Succi quo exprimendi, conseruandiq; sint.

nec defecati pelluceant. Quod fit de succo malorum punicatorum, citriorum, limonum, cydoniorum, & mororum. Veruntamen diligenti admodum animaduersione opus est (ut Galenus inquit lib. VI. de medicamentorum compositione secundum locos) in succis liquidis conseruandis : quandoquidem facile corrumpuntur, nisi feruefactis prius, & mox à fecibus omnibus percolatis, olei parum superponatur, ut optimè norunt solertissimi pharmacopola. Adhæc habentur uaria liquorum genera, quæ quàm plurimis ex plantis distillant, ac defluunt, quorum alij gummi, alij resinæ, alij lacrymæ uocantur. In gummi genere sunt opopanax, laser, ammoniacum, sagapenum, euphorbium, galbanum, bdellium, myrrha, thus, opocalpsum, sarcocolla, styrax, & id genus alia. In resinarum uerò censu sunt terebinthina, lentiscina, strobilina, pinea, picea, larigna, & abiegna. In lacrymarum deniq; numero sunt lac, quod ex pauca uasculis excipitur, proprie opium appellatum, sc ammonium, quodq; ex thapsia fluit, tithymalorum omnium lac, cancanum, tragacanthæ lacryma, quicq; defluit è uitibus liquor, ex pruno, amygdalo, & ceraso. Quin & illud, quod uulgus Arabicum uocat gummi. quanquam non desunt, qui tam hoc, quàm prunorum, cerasorum, & amygdalorum lacrymæ malint in gummi potius referre, quàm in lacrymas. Sed quoquo modo res habeat, eò tantum summa harum rerum spectat, ut exacta scilicet earum notitia habeatur. quippe non desunt mangones, & impostores, qui eas adulterent, quemadmodum & medicamenta metallica. Postremò si forsitan cuiquam nasuto uideretur Dioscorides non parua erroris culpa suspectus esse, quòd in hac præfatione absolutè pronunciauerit, ex omni herbarum genere solum ueratrum multis edurare annis, reliqua uerò à trimatu inutilia esse, cum tamen in pluribus locis eius sententia reclamet Theophrastus antiquissimus plantarum scriptor; dicimus, ut hos ab huiuscemodi opinione distrahamus, quòd cum Dioscorides extiterit in hac facultate peritissimus, consummatissimus, & omnium facile princeps, grauisimo quoque Galeni testimonio, non modò non credendum uidetur, sed ne cogitandum quidem, quòd non calluerit is omnes stirpium proprietates, quodq; haud studiosè legerit ea, quæ ante ipsum trecentis, aut pluribus annis posteritatis memoriæ mandauerat Theophrastus, & aliorum ueterum plerique: præsertim cum nobis perspicuum sit, quantum in his rebus describendis fuerit ipse apprime fidelis, & diligens. Verum omnibus persuasum esse debet, quòd sicuti in quibusdam locis huius uoluminis scriptura deficit, in alijs spurijs additionibus redundat, in alijsq; quandoque scætet mendis, scriptorum culpa, atque etiam eorum, qui in scribendis, uel excedendis auctorum uoluminibus plus, minusue curæ impenderunt, quàm sua interesset; ita etiam in hac præfatione euenisse facile potuit. Quare pro certo crediderim, longe plura hic desiderari, quàm ea, quæ hac in re tradiderit Theophrastus, qui ueratrum ait triginta perdurare annis, aristolochiam quinque, uel sex, chanæleonta nigrum quadraginta, centaurium maius decem, uel duodecim, pencedanum quinque, aut sex, uitem syluestrem unico duntaxat anno, elaterium centenis annis, ita ut repertum esse attestetur elaterium ducentorum annorum, quod optimum erat, & pretiosum. Harum itaque rerum historias omnes tantum absit, ut credamus non legisse, notasse, ac monumentis tradidisse Dioscoridem, ut ne imaginemur quidem, etsi scriptis suis non extent: quin potius locus iste nobis suspectus & deprauatus habeatur. Idcirco non Dioscoridi, sed scriptorum, & librariorum incuriæ id uitij adscribendum est: quemadmodum additionum redundantia accusantur ij, qui, ut earum auctores essent, ab re hoc opus augere, atq; illustrare existimârunt, quales sunt spurie additiones illæ, quæ plura & Græcorum, & Hebræorum, & Arabum, & Chaldæorum, & Aegyptiorum, & Magorum, & Latinorum, aliarumq; linguarum nomina coaceruant, atq; in omni serè plantarum historia in pluribus uoluminibus Græcis statim occurrunt singulis capitibus. Quæ facile ex Pamphilo deprompta fuerunt: argumento quòd (ut superius dictum est) ei rem hanc uitio uertat Galenus, atq; sine ulla ratione sint in hoc Dioscoridis uolumen importata. Cuius rei nobis postea præbuit testimonium, quòd in quibusdam antiquis bibliothecis legitima Dioscoridis uolumina reperta sint Græcè pluribus centenis annis scripta, in quibus nullum prorsus ex his spurijs nominibus legebatur. Quorum uetustam auctoritatem simul cum doctissimo Ruellio secutus, in meis uersionibus Italica lingua conscriptis omnia illa nomina adulterina ab opere abdicauit, quemadmodum facturus sum in hoc Latino Dioscoride: etsi Hermolaus, & Marcellus uulgatis exemplaribus decepti, nomina illa suis interpretationibus reliquerint, tantumquam Dioscoridi legitima. Sed quoniam non minus utile, quàm necessarium duximus, ut omnes ij, quibus in animo est plantarum peritiâ assequi, sciant ad unguem, quo arbores à fruticibus dissideant, frutices ipsi à suffruticibus, & suffrutices ab herbis, dixerim ego Theophrasti auctoritate, omnes illas stirpes arbores appellari debere, quæ ab radice statim simplici caudice surculofo, dissolutuq; contumaci assurgunt, à quo per interualla tâquam brachia, exorti rami latius diffunduntur, uti olea, ficus, malus, pyrus, quercus, ilex, et id genus alia. Frutices uerò, quæ ab radice caudice multiplici, ramosoq; sese attollunt, in quorum classe sunt rubus, rosa, paliurus. Suffrutices, qui inter herbarum genera annuerantur, ab radice caulem emittunt, lignosis adnascentibus ramulis, folijsq; minutis, quæ nõ uelut aliarum herbarum folia quotannis crescunt, et decidunt, sed perpetuis folijs toto anno uirescunt, ut stæchas, ladanum, ruta, hyssopum, salvia, & eiusdem generis alia. Herbarum deniq; generi subscribunt reliquæ plantæ, quæ inter initia folia tantum sine caule pandunt, ac deinde in caulem erectæ, flores, & semina ferunt, ut cerealium omnia genera, olera, quæ in hortis ad cibos feruntur, & syluestrium serè innumera, quæ sponte sua in pratis, campis, ac alijs compluribus locis proueniunt: tametsi ex eis nonnullæ habeantur, quæ neq; caule, neq; flores, neq; semina gignunt, ut phyllitis, asplenium, cynoglossum, hemionitis, onosma. His ita determinatis, sciendum præterea est, herbas assiduo quodam cultu, ac diligentia nonnunquam arborefcere, quod maximè maluæ accidit. Hanc enim pluries uidi senis, septenisue mensibus cultam, tanta caudicis longitudine, crassitudine, et duritie proficere, ut haste instar grandesceret. Frutices quoq; aut temporis diuturnitate, aut cultorum mangonio in arbores nõ pumilas exeunt, ut uitex, hedera, myrica, paliurus. Contrâ similiter fit, ut arbusculæ quædam, si desit alimentum, aut si nullo cultu adhibito dimittantur syluescere, à sua natura ita recedant, ut in frutices degenerent. Quandoquidem huiusmodi per adultam ætatem, tum per cultus rationem, uendicatio sibi robore, crassos prædurosq; fundunt caudices, ac ramos. Illæ uerò tanquam indomitæ surculis, stolonibus ac gemmibus,

Gumi, lacrymæ, & resinæ.

Dioscorides defenditur à calumnia.

Simplicium nomina varia Dioscoridi adulterina.

Arbores.

Frutices.

Suffrutices.

Herbæ.

Platarum degeneratio.

10

10

30

40

50

minibus, qui circa caudicem & radices adnascuntur, luxuriantes, solidos ita ramos debilitant, & infirmant, subrepto illis humore, ut in frutices sensim elanguescant, ut myrto, lentisco, & corylo quandoq; euenisse comperimus. Tantum enim in plantis naturæ germanitas potest, ut non solum sæpe prædictos præstet effectus; sed etiam ut alteram in alteram stirpem facile uertat, ut castia in cinnamomum, silymbrium in mentham, triticum in lolium, hordeum in auenam, et ocimum in serpyllum. Porro ex his omnibus herbarum generibus quædam satiuæ sunt, quædam agrestes. Has uolunt nonnulli priores fuisse satiuæ, cum earum permultas domita cultu feritate mansuescere in hortis liquido constet: etsi in permultis quoq; & syluestre, & satiuon genus inueniatur. quarum aliæ sæcundæ sunt, aliæ steriles: aliæ florent, aliæ floribus orbantur: aliæ perpetua fronde uirent, aliæ folia amittunt. Quod non aliunde prouenire scribit Theophrastus, quàm à loco ipso, ubi nascuntur, sicuti ab aère eas ambiente: tametsi id accidat interdum particulari radicũ uitio. Magni quippe refert, ut sæcundæ, floridæ, & perpetuò uirentes plantæ conferuentur, si clemens cœli constitutio, situsq; germanitas adsit. Quare nil mirum, si circa Memphim, & in Elephantio agro sicibus, ac etiam uicibus folia nunquam decidant, quòdq; in insulis, alijsq; regionibus nuper in Indijs occidentalibus à Lusitanis, & Hispanis repperitis, nulla spectetur arbor, quæ sempiterna coma nõ uireat. Neq; item admirandum, quòd reperiantur arbores proceriores, uirentiores, aspectu pulchriores, & magis frondibus, & fructibus exornatæ in hoc loco, quàm in illo: namq; aliæ hoc situ lætantur, aliæ illo pro suæ quæq; naturæ ratione. Proinde uidemus, quòd quæ montes amant, ut cedrus, latrix, abies, pinus, picca, terebinthus, buxus, iuniperus, fagus, carpinus, ibi proceræ admodum, formaq; insigni profiliunt. Quemadmodum in planitiis & collium nemoribus quercus, cerrus, suber, ilex, lotus, ulmus, acer, fraxinus, corylus maximè proficiunt. Iuxta flumina, & in aquosis lætiores proueniunt platanus, alnus, populus utraq; myrica, salix, harundo: etsi harum permultæ non æquæ lætæ in montibus, uallibus, planis, & syluis exultent. Id quoq; discriminis in herbis, & fruticibus uisitur. quædam enim paludibus enascuntur: aliæ in lacubus, & stagnantibus aquis exiliunt: aliæ litora, & fluuiorum ripas desiderant: quædam humidos, aquosos, uliginososq; amant tractus: quædam aquas odere, & ob id arida, & saxosa sequuntur. Nec etiam desunt quæ in humidis & siccis locis uitam ancipitè agant. Sunt deinde quæ in campestribus degere cupiunt, quæ uicibus lætantur, quæ pratis gaudent: præterea quæ ualles, quæ colles, quæ deniq; editos quærant situs. Aliæ quoq; urbanioribus locis allectæ iuxta urbium, & oppidorum mœnia in maceijs, & rudibus prodeunt. In palustribus, & humentibus locis, ac secus magnarum serobium aggeres feliciter enascuntur plantago, coronopus, poterium, scordium, xanunculium, eleoselinum, sphondylium, lysimachia, alisma, chelidonium minus, epimedium, pentaphyllum, erinus, equisetum, limonium, heliotropium paruum, uerbenaca, tusilago, hydro-piper, onobrychis, coryza tertij generis. Et magis palustribus gaudent cyperus, typha, sparganium, iuncus. At tam læcunosis, quàm admodum palustribus innatant nymphaea, potamogeton, lotus Aegyptia, colocasia, folijs & in aquis conditis, & extra eminentibus. Malabathrum similiter in India paludibus nascitur, atq; nobis in Italia oryza, hippolapathon, ac millefolium stratiotes. Tribulus æquè in lacubus, paludibus, fluminibus nascitur, atq; in mari: quorum litoribus, ac ripis familiare spectatur nerium. Adiantum, itemq; trichomanes uliginosis specubus gaudent, præsertim si secundum amnes existant: aut asperginosæ sequuntur ripas, quæ præruptis locis inhaerent. Vitex deinde, elichryson, bubonion, botrys, rha fluminum ripas accolunt. Crithamion uerò, brassica marina, chamaeleo niger, androsaces, corniculatum papauer, doryenium, solanum somniferum, glaux, hippophaës, hyppophaestum, tragium, tithymalus paralius, peplis, alypion, absinthium scriphium in maritimis tum litoribus, tum scopulis, tum etiam collibus emergunt. Tripolium etiam in maritimis exurgit, ubi seilicet allidit unda, iterumq; recedit, modo in mari, modo in sicco degens. Non nisi aquis proueniunt bryon thalassion, corallium, & alga. At in riguis fontium, præsertim quæ hyeme tepescunt, sion, atq; aquaticum silymbrium unà innatant, ut quasi inuicem fraternam uideantur inisse amicitiam. Cæterum ex his, quæ in continenti nascuntur, arida, & sterculosa loca petunt eryngium, satureia, lythospermon, lycium, salua, stachys, onosma, lonchitis, cynoglossum, echium, buglossum, chamæpitys, ueratrum nigrum. Aridissimis, & saxosis exurgunt capparis, libanotis, symphytum petræum, saxifragum, helxine, hemionitis, sedi utrumq; genus, cotyledon, cymbalion, polytrichon, paronychia, asplenium, clinopodium, circaea, lichen, ita ut harum pleræq; sæpius in ædificiorum ruinis, ac saxosis admodum locis uirescant. In opacis autem simul & aridis nascuntur helenium, chrysocome, asarum, uiola purpurea, astragalus, & cyclaminus. In humidis clematis prima, quæ & secus aggeres inuenitur: item phyllitis. Collium amœnitate capiuntur spartum, nepeta, syluestre cuminum, chamedrys, etsi non oderit etiam aspera, & saxosa: item phalangium, thymum, quod etiam petroso solo nasci uidemus: quin & holostium. Culta deinde uirent lagopode, elatine, ornithogalo, coriandro, hyacintho, hypecoo, apio alio ab hortensi, chamæcisso, ægilopè, ofryde, aphaca, orobanche, melanthio, buphthalmo, anthemide, syluestri papauere, xypio, leontopetalo, phenice, hyperico, cyano. Inculta uerò uirent psyllio, hieracio. Pratis lætantur trifolium, lotus syluestris, anonis, daucus, carum, tragopogon, oxylapathon, centaurium minus, hemerocallis, colchicum, betonica: quanquam hæc & colles, & montes abunde scateant. In uicibus aluntur telephium, portulaca syluestris, peplus, helxine hederacea, ampeloprasium, capnos. Tam intra, quàm extra oppida, & urbes in plateis, monumentis, parietinis, rudibus, propter muros, & hortorum sepimenta uisuntur uerbascum, blattaria, thlaspi, iberis, malua, chelidonium maius, urtica, ebulus, sambucus, crysimum, aristolochia longa, marrubium, chrysanthemum, galiopsis, fenecio, terrestris tribulus, sideritis, eupatorium, hyoscyamus, cicuta, perfonata, xanthium, syluestris cucumis. Campestris cardui omni genere horrent, atractyli, ferulis, syluestri foeniculo, gramine, thalictro, bunio. Agrorum, & pratorum sepius hærent ruscum, asparagus, rubus, rhamnus, ligustrum, rubia. Ephemero autem, hippoglossò, filice, planitierum syluæ uirescunt. Montes adamant nardum tam Indicum, & Syriacum, quàm Celticum, & montanum, centaurium maius, mandragoras, hastula regia, satyrium, gentiana, ligusticum, alysson, smyrnium, ueratrum album, ruta syluestris, polemonia, polygonatum, tithymalus characias, polium, ptarmica, thymelæa, chamaelea, glycyrrhiza, asclepias, narcissus, thapsia, pæonia, æthiopia, chymenum, onagra, caca-

Stirpium mutatio.

Plantæ melio relictæ cæli clementia, & loci amicitia.

Plantarum situs naturales, ubi lætæ nascuntur.

Stirpium mutatio.

Plantæ melio relictæ cæli clementia, & loci amicitia.

Plantarum situs naturales, ubi lætæ nascuntur.

lia,

lia, aconitum, daphnoides, hyssopum agreste, peucedanum, chamædaphne. In syluis montanis emicat leucacantha, atq; inibi in præruptis locis petroselinum, & Rhodia radix. Sunt præterea, quæ arboribus innasci uelint, in quibus resident, atq; ab iisdem suscipiunt alimentum, ut agraricum, iuscum, sphagnos, polypodium, dryopteris, lichen. Aliæ quædem in arboribus conspiciuntur, aliæ uerò prius è terra exortæ, per arbores repunt, quemadmodum labrusca, uitis nigra, bryonia, hedera, elematis altera, smilax tam leuis, quam aspera, lupus salictarius, conuoluulus, periclymenium. Non desunt etiam herbæ, quæ sine radicibus in alijs herbis profoliant, neq; alibi, quam in illis reperiuntur, ut casta, futha, epithymum, epithymbrium, & epistoebe. Veruntamen illud scire conuenit, quòd etsi harum omnium quæque sua natura feliciter proueniant in prædictis locis, suosq; unaqueq; sequatur situs; nihil tamen obstat, quin eadem modo in montibus, modo in planis, nunc in collibus, sepe in uallibus, nonnunquam in agris, & pratis, ac etiam in alijs uarijs locis nullo discrimine inueniri possint. Et hæc satis sint quantū ad natalem plantarum situm. Cæterum ut, quantum per me fieri potest, harum rerum non minus utilis, quam necessaria doctrina excitetur, augeaturq; iam ad singulas herbarū partes noster se conuertet sermo, & de radicibus, folijs, caulibus, floribus, ac seminibus differemus, primò à radicibus, ueluti à basi aliarum partium, rem ipsam exordientes. Frumentacea igitur omnia multis nituntur radicibus, ijsq; tenuibus. Legumina uero singulas habent radices præter fabam, easq; succulosas, & duras. Sic & olera ferè omnia singulari radice coherent, ut lactuca, apium, beta, buglossium, intubus, cicchorium. Quinetiam radice singulari sustinentur syluestris ruta, quam harmalan uocant, peplos, crateogonium, ephemerum, & sæpius uerbenaca. Contra numerosis radicibus donantur asarum, phu, baccaris, ueratri genus utrunq;, capparis, crithamum, hastula regia, chelidonium minus, asclepias, circæa, alcea, ethiopsis, gramè, filix fœmina, uicis auricula altera, plātago, chrysofome, asparagus, ruscus, hippoglossium, panaces Heracleum, hemionitis, pœonia fœmina, alisma. At nardi Indici, & Celtici radix in spicæ modum capillatur. Prægrandi, firmaq; radice exurgunt helenium, bryonia, mandragoras, scammonium, syluestris cucumis, uitis nigra, rapum, nymphaea, colocasia, radix Rhodia, & China nuper ex Indijs occidentibus importata, dracunculus, aloë, centaurium maius, libanotis, sphondylium, œnanthe, symphitum secundum, papauer corniculatum, raphanus, carduus, periclymenium, solanum somniferum, smilax aspera, thapsia, hippophaës, hippophaëstium, tithymalus characias, pityusa. Contra exiguam, tenuemq; radicem gignunt hydropiper, catanances genus secundum, ranunculum, panaces Asclepium, & Chironium, phalangium, trifolium, anthyllis, bechium, onobrychis, holestium, britanica, epimedium, onagra, tragium secundum, leontopodium, uerbenaca supina, phytelima, pœoniatium, aconiti tertium genus, chamæcissos, asarum, utrunq; ueratrium, plantago minor, coronopus, sesamoides, origanum syluestre, alypon, atrachylis, heliotropium maius, onosma, rubia, cæpæa, alisma, betonica, chamefyc, meon, gingidum, centaurium minus. Radices in lignum dure sunt ethiopidi, smilaci asperæ, poterio, leucacanthæ, astragalo, tithymalo characiæ, cypero, rhododendro. At molli, lentaq; radice constant althea, acanthus, alcea, malua. Geniculatæ ueluti arūdinibus, sunt iridi, acoro, polygonato, ruscio, nymphaea, xyridi, hippoglossio, gramini, lauro Alexandrinæ, colocastæ, galangæ, gingiberi, radici Chinæ nuper inuentæ, & Rhodiæ. Radicem digiti crassitudine fundunt orobanche, eryngium, polygonatum, pœonia mas, pyrethrum, daucus, pastinaca syluestris, symphitum petræum, dorycnium, ebulum, echium, crithamum, elaphoboscium. Bulbosæ autem insunt ceparum modo, lilio, hemerocalli, cæpis, bulbis, hastulæ regie, allio, porro, croco, narcisso, xiphio, testicularum omni generi, satyrio, ornithogalo, utrisque ephemeris, arisarum, hyacinto, dracunculo, ampelopraso, scorodopraso, moly. In globum extuberant radices aristolochiæ rotundæ, cyclamini, apij uomitorij, leontopetali, œnanthes, pœoniæ fœminæ, rapi, chrysoconi, periclymeni, cyperi, argemones, catanances secundæ, pycnocomi. Insuper radices inter se disident, tum colore, tum odore, tum sapore: quæ discrimina si rectè cognoscantur ab his, qui breui hanc facultatem assequi desiderant, non parum inde haurient utilitatis. Sicuti & maxime confert scire, quæ sint radices magnæ uel paruæ, quæ duræ uel molles, quæ numerosæ uel paucæ, quæ cæparum uel tuberculorum effigie, quæ denique geniculatæ, de quibus hucusq; abunde differuimus. Sed iam de coloribus agamus. Nigricat foris chrysoconi radix, etsi eandem intus: item papaueris cornuti, nardi montani, helenij secundi, cyclamini, chamæleonis, cardui, hastulæ regie, libanotidis, rhapontici, quamquam huius interna rubescant, peucedani, leontopetali, epimedij, nymphaeæ, eryngij, symphiti secundi, smirnij, echij, ueratri nigri, astragali, anemones, mandragoræ, aconiti tertij generis, thapsiæ, personatæ, filicis maris, uitis nigrae, aristolochiæ utriusque, quarum tamen interna buxco colore pallent, pœoniæ fœminæ: tametsi huic, sicuti etiam thapsiæ, & mandragoræ deliberata exalbeat. Contra è candida proueniunt radice plantago, polygonatum, dracunculus, arum, arisarum, ranunculum, ueratrium album, anonis, ligusticum, asparagus, ruscus, hippoglossium, elaphoboscium, libanotis, sphondylium, rapum, radix, circæa, alcea, holestium, tragium, trifolium, narcissus, allium, porrum, gingidium, iberis, hipposelinum, tripolium, iris, panaces Heracleum, tragium, somniferum solanum, arction, onagra, chamæcissos, scammonium, althea, pityusa. At non prorsus albæ, sed subalbæ radices tributæ sunt aro, polemoniæ, helenio primo. Rubent rubiæ, centaureo magno, rhapontico, rhabarbaro, tametsi tria hæc exterius nonnihil nigricent: item pentaphyllo, heptaphyllo, betæ tertij generis, blito, carotæ, anchusæ, licopli, onosmati, chrysocono, quanquam exterius nigricant. Non planè rubra, sed subrubra radice sunt acanthus, phu, satyrium erythronium, xyris, radix Rhodia, solanum somniferum, alypum, costus. Ex atro rubescunt filici fœminæ, cypero, pycnocomo, ephemero Colchico. Rubro colore purpurascunt radices symphiti petræi, cæparū, scillæ, pancratij. Flaua intus radice sunt aristolochia rotunda, glycyrrhiza, lapathum, hippolapathum, cyperus Babylonicus, argemone, chelidonium maius, gentiana. At herbaceo colore insunt polypodio, phalagio, smyrnio, et imperatoriæ. Odorata radice fragrant iris, acorus, meon, cyperus, galanga, zedoaria, nardum tam Gallicum, quam Indicum, asarum, phu, caryophyllata, baccharis, ligusticum, pastinaca, angelica, scicli Massiliense, hipposelinum, smyrnion, libanotis, asclepias, circæa, alisma, tripolium. quin & radix Rhodiæ odorem expirat non inuicendum. Dulcedinè gustui præbent glycyrrhiza, tragopogonis radix, centaurij maioris, chamæleonis albi, elaphobosci, geranii,

Plantarum in radicibus uarietas.

Radicum differentia in coloribus & saporibus.

10

20

30

40

50

ranij,

ranij, arctij, polipodij. Amaritudinem uero gentianæ, ranunculi, helenij, dictami candidi, leucacanthæ, panacis Heraclei, hippophais, pancratij, scille, cichorij, asparagi, rusci, centaurij minoris, chelidonij maioris, asphodeli, cyclamini. Acri autem radice deprehenduntur gingiber, acorus, galanga, zedoaria, imperatoria, crocodilium, angelica, panaces Chironium, smyrnium, pyrethrum, alisma, tripolium, raphanus tum satiuus, tum syluestris, utraque iberis, nasturtium, thlaxpi, argemone, hydropiper, arum, dracunculus, erysimum, ophiocorodon, ampeloprasum, scorodoprasum, cepæ, allium, porrium, scandix. Quo fit, ut, si exacta notitia differentiæ habeatur, quæ in radicibus forma, numero, colore, odore, ac sapore notantur, maximum inde percipiant emolumentum ij, qui magna animi delectatione in hac simplicium medicamentorum facultate operam impenderint. Ac præterea plurimum isdem contulerit, si omnes stirpium delineationes, similitudinesq; (de ijs intellige, quæ scriptis tradi possunt) tum earum pariter & odores, & sapores assequantur, eo inquam modo, ac ratione, quo hic à nobis adnotata reperiuntur. In primis igitur à similitudine, quam inter se incunt plantæ, exorsus, pro uiribus enitar, ut quæ plurimis ignota sunt, ijs, quæ omnibus sanè uulgares apparent, recte comparentur. quapropter ab hedera primum, ut quæ neminem lateat, rem ipsam auspicabor. Hederam igitur folijs emulantur, etsi quedam maiora, quedam uero minora cernantur, scammonium, asarum, uterq; cyclaminus, smilax aspera, leuis, & hortensis, nitus nigra, marina brassica, Aethiopicum seseli, periclymenon, aristolochia utraq; asclepias, epimedium, gramen parnasi, apocynum, uiola purpurea, chamæcissos, helxine cognomento cissampelos, cynocrambe, hortense solanium, haliacabum, circæa, cucumis tam syluestris, quam satiuus, utraq; clematis. Vitigineum folium repræsentant platanus, acer, lupinus, ricinus, bryonia, ueratrum nigrum, balsamina, colocynthis, cucumis, quem Veneti anguriam uocant. Alba spina, & acanthium simili uidentur folio: sicuti abrotonum femina, & absinthium scribuntur uocatum folijs se inuicem imitantur. Vitex, & anagyris & folijs, & ramis conueniunt. Apij folia referunt eucalyptis, secundum dauci genus, laserpitium, smyrnium, buniuum: Amygdala fronde uestiuntur persicus, rhododendrum, ebulus, sambucus, staphylo dendron, lathyrus, quam officinæ cataputiam nominant. Anisium deinde isopyro folijs adstri-pulatur, anagallis antyrrhino, atriplex xanthio. Triusq; rubiæ folia imitatur ap. arine, ac galium: quanquam illis maiora, huic uero minora spectentur. Porri, bulbiq; folia præ se ferunt hyacinthus, narcissus, allium, colchicum, cyperus, hastula regia, ampeloprasum, scorodoprasum, canini testiculi, lonchitis. Buxus, & lycium consimili comantur fronde. Vitis alba amomo folijs correspondet, pyrethrum syluestri dauco, hemionitis dracunculo, coris ericæ. Fœniculi folia emittunt altilis asparagus, panaces Aselepium, seseli, daucum Creticum, anthemis, libanotis, buphthalmos, anethum, thapsia. Anethi folijs assurgit meon. Plantagini nō dissimilia sunt folia candidi ueratri, gentianæ, alismatis, & chlymeni. Phoenij folium geranium exprimit. Filicem folio emulantur sideritis secundum genus, polypodium, dryopteris. Ferula cicutan foliorum imagine refert, hæc uero myrrididem. Buglossum, uerbascum, & cirsium consimili modo foliantur. Graminis folium proferunt moly, hellebium, gramen arundinaceum, coronopus. Huius uero folia habent catanance, psyllium, Cichorium, chondrylie utrunq; genus, et quod quibusdā dens caninus dicitur, cōsimili sunt folio. Cnico atraxylis folio assimilatur, chamæleoni nigro crocodilium, chamæleoni albo silybum. Glasto tripolium simile est. Coriandri folijs comantur parthenium, adianthum, sideritis tertia, omnia ranunculi genera (quorum tamen quedam propius, quedam longius eius speciem sequuntur) uterq; daucus, thalictrium, capnos. Helxines folia produunt anagallis, alstine, muris auricula: cannabis, aut quinquæfolij eupatorium, sed quæ quadripartito diuidantur. Cotonei mali frondem exhibent capparis, solanum sonuiferum. Smyrni folium præstant pbu, lauer. Cupressi effigiem promit sabina: iuniperi cedrus. Hypericum, androsæmum, ascyrum, folio non diferepant. Cistus, & ladanus sicuti in specie, ita & in folijs conueniunt. Cyclamini folium pandit aconitum primum: ciceris teuerium, securidaca: cimini syluestris stratiotes millefolium: cucurbita personata: lolij phœnix: iuglandis centaurium maius, peonia mas, gentiana; etsi huic magis cum plantagine conueniat. Iridis folia reddunt ucorum, medion, syluestris iris: item gladiolus, nisi hic breuiora, anagustioraq; folia sibi uendicasset. In iunci specie collocandum esset utrunq; equisetum, sed inani canle assurgit. Lenticule folium simulant aphaca, onobrychis, chamæsyce, helenium alterum, anonis, trichomanes, polygala, glaux. Laureæ fronde uident polygonatum, clematis prima, daphnoïdes, nerium, chamædaphne. Lilij folia spargunt hemerocallis, pancratium, satyrium, martagon (sic enim appellant liliū quoddam agreste) ephemerium, onagra. Lentiscum referunt glycyrrhiza, tragus. Nec lepidium arabis dissimulat. Lactucæ effigie folia ferunt dipsacus, syluestris lactuca, lycopsis, anchusa, syluestre glastum, mandragoras foemina. Lingue bubulæ similia sunt symphyti alterius folia. Myrti folia rusceus habet, tithymalus foemina, & cantrubus. Mentham satiuam folio expriment silymbrium, hydropiper, pentaphylon. Marrubij effigie assurgit apiastrum, ballote, horminum, sideritis prima. Mercurialis folio uident helxine, elatine, cynocrambe. Nasturtij folijs iberis nō refragatur. Oleam æmula foliorum facie repræsentat halimus, ptarmica, phillyrea, ligustrum, uitex, conyza, thelygonum, caninus testiculus, lithospermum, dorycenium, hyppophæis. Platanum folio imitantur ricinus, nigrum ueratrum, sphondylium, aconitum cynoctonum. Verbasci folia fundunt helenium, æthiopsis, arctium, buglossum, & tithymali genus latifolium. Pastinaca, & gingidium folijs inter se non dissident. Portulacæ folio assimilantur telephium, cepæa, crithanum, terrestris tribulus, tithymalus helioscopius. Trifolio correspondent lotus syluestris, medica, cytisus, fertula Campana. Thymum, stœchadem, satuireiam simile comat folium. Acuta spina, & mespilii primum genus simili uident folio. Nec dissimili pulegio, dictanum & calamintha comantur. Myricæ sabina, & cupressis: serpylli clinopodium: saluæ sideritis prima, horminum, uerbascum syluestre, folijs uestiuntur. Piceæ foliū ferunt polygonum, & pityusa: quercus uero chamædryis, teuerium, scorodum, betonica, sideritis prima. Neq; à rutæ folijs dissident acacia, centaurium minus, serpyllum syluestre, ambrosia, polygonum primum, androsæmum, polemonia, peplus, paronychia, hypericum, apios. Aloæ, & scille similia tributa sunt folia. Sampsuchi folium ostendunt marum, et panaces chironium. Solani folio germinant circæa, haliacabus. Rumicis folia emulantur arum, phyllitis, britanica,

Foliorū in plā
tis cōparatio,
& similitudo
inter se.

in
dissidit

Foliorū in coloribus descric-
men.

tanica, & quæ uulgò bistorta dicitur. Foliorum similitudine inter se certant ruscus, hippoglossum, laurus Alexandria-
na. Aspleni imaginem præbent muris auricula altera, & altera lonchitis: sicuti semperuiu minoris tertia aiuge spec-
cies, aristolochia clematidis. Salicis fronde prouenit lysimachia, fertula Campanæ ligusticum. Silybus, chamaeleo albus,
carduus, alba spina, sese folijs imitantur. Ex his igitur facile quisq; herbarum germinatam, cognationem, similitudi-
nemq; perdiscere poterit. quæ omnia in dignoscendis stirpibus non paruum adferunt utilitatem. Ceterum planta-
rum omnium folia non modicam in coloribus differentiam habent, tamen si folia ipsa coloribus adeò perspicuis, uti flo-
res haud quaquam splendeant. Niger sanè color in nullis reperitur herbis, neque arboribus. quauis nonnullæ atro
quodam uirore sint suffuse, ita ut paululum nigricent, sicut phillyrea, buxus, ligustrum, hortense solanum, nigra uio-
la, osyris, hyoscyamus, utraq; clematis. Contrà nec folia habentur, quæ niueum candorem exprimant. uerum ple-
raque, quæ incana sunt, subalbicant, ut crithamo, echio, ranunculo, abrotono, absinthio, saluie, calaminthe, maro, 10
perichlymeno, corniculato papaueri, stachy, menthastro, althææ, polio, uerbasci, utriq; lychnidi, & mandragoræ
mari: quæ omnibus superne candidant, quemadmodum inferne rosmarino coronario, bechio, oleæ, populo, artemi-
siæ, & alijs multis. Rubent punice malo, amygdalo, lentisco, terebintho, rhoi, cyclamino, botry, cori, androsamo,
ascyro, lonchiti, osyri, blito, amaranto, phyco marino, sesame, irioni, atriplici, alypo, Celtico nardo, & cuidam
betæ generi. Folia, quæ lanugine pubent, insunt dictanno, uerbasci, lychnidi, gnaphalio, acanthio, althææ, men-
thastro. Aspera sunt symphyto alteri, marrubio, fico, saluie, ballotæ, & hornino. Aculeis horrent folia buglosi,
echij, urticæ, eryngij, rusci, lycij, atrachylis, sonchi, chamaeleonis utriusque, dipsaci: quinetiam cardui omne genus.
Humi iacent panacis folia, coronopi, anchusæ, mandragoræ, utriusque anagallidis, cynoglosi, glauci, catanancæ
secundi generis. Reptant etiam humi lithospermi, graminis, onosmatis, canis testiculi, albiq; chamaeleonis. In uni-
uersum plantæ omnes, quæ caule & floribus orbantur, folia per terram spargunt. Acuta folia, ut quæ olfactu na- 20
res feriant, data sunt allio, capis, nasturtio utriusque tam aquatico, quam terrestri, sinapi, cruceæ, lepidio, gingidio,
hydropiperi, erysimo, clematidi secundæ, thlaspi, serpyllo, thymo, thymbræ, silymbrio, pulegio, calaminthe, di-
ctanno, dracunculo, arò, flammulæ, origano. quæ omnia non modò olfactu, sed magis etiam gustu acrimoniam præ-
bent. At amaritudinem possident chondrylla, cichorium, gentiana, ruta, absinthium, aphaca, abrotonum, scandix,
aloë, fantonicum, seriphium, chamaedrys, marrubium, scordium, glaucium, chamaelea, empetrum, & quæ uulgò
gratia Dei deiectoriæ facultatis herba dicitur. Odorata folia sunt asaro, sio, silymbrio, menthe, menthastro, ca-
laminthe, pulegio, saluie, ladano, hyssopo, sampsocho, origano, thymo, serpyllo, satureia, symphyto petræo,
rosmarino, ligustico, stachy, malabastro. Nec insuauem efflant odorem chamaedrys, baccharis, artemisia minor,
& herba illa, quam aliqui sclaream, nonnulli herbam sancti Ioannis, & plerique matrisaluam nuncupant. Nec de-
sunt stirpium folia, quæ ab alijs tum plantis, tum liquoribus odorem emendicasse uidentur, ut scordium ab allio, trifolium à ruta, & bitumine, cytisus ab crucea, apiastrum à citreo malo, chamaepytis à pino, xanthium à nasturtio: ita 30
denique hydropiper à pipere mutuatur odorem. Grauius olent absinthium, abrotonum, seriphium, ballote, po-
lium, ebulus, botrys, aristolochia, cannabis, anagiris, galiopsis, cicuta, mandragoras, apocynum, glaucium.

Cauliū in plā-
tis differētia

Non parum quoque discriminis in plantarum tum caulibus, tum stolonibus reperitur. quandoquidem ex eis quæ-
dam singularem, simplicemq; caulem proferunt: aliæ numerosos cauliculos edunt. quibusdam crassi caules insunt:
alijs tenues assurgunt: alijs inanes, & uacui eriguntur, fistularum, & arundinum instar: alijs pleni conspiciuntur:
quibusdam item longus proflit caulis, quibusdam uerò breuior: nonnulli caules geniculis scatent, alijs enodes exeunt,
alijs læuore, alijs scabritia, alijs duritia, alijs lentore notantur. Nec desunt, qui lanugine uestiantur, & qui spinis, &
aculeis rigeant. Quibusdam plantis teretes sunt, nonnulli quadranguli, & aliquibus striati. Alij denique sursum
eriguntur, alijs per terram serpunt, ac repunt. Dissident præterea inter se stirpium caules colore, relictudine, & 40
curuitate: tanta fuit nature in plantis formandis uarietas, atque solertia. Plures igitur caules ab una tantum ra-
dice exiliunt glasto syluestri, ptarmicæ, plantagini, muris auriculæ, telephio, aristolochiæ utriusque, rutæ syluestri,
hyperico, elatinæ, phoenici, trago, solano somnifero, & manicò, minori sedo, chamaecisso, glauci, osyri, tithyma-
lo paratio, & helioscopio, thymelææ, heliotropio magno. Ramoso, ac pariter surculoso caule fruticant saluia,
satureia, thymum maus, origanum, hyssopum, absinthium, abrotonum, ruta, stechas, ocimum, amaracum, sym-
phytum petræum: & ut summam rem complectar, omnes deniq; plantæ, quæ suffruticos appellantur. Crassum cau-
lem mittunt dracunculus, chamaeleo niger, ænanthe, belenium, symphytum alterum, hyoscyamus, personata, sedū ma-
ius. Contrà proditur tenuis ornithogalo, thlaspi, polemoniæ, ranunculo, limonio, anemonæ, ligustico, panaci Aselepio,
peucedano, artemisiæ, phyllo, cynocrambe, buphthalmo, alismati, betonica, echio, eupatorio, plantagini, chelidonio ma-
iori, muris auriculæ, aristolochiæ utriq; seriphio, tragorigano, menthe, silymbrio, lysimachia, rutæ syluestri, delphi- 50
nio, melanthio, agrestis cumino, aparinæ, chamaedry, scordio, teucro, trifolio, hyperico, sideriti secundæ, elatinæ, pen-
taphyllo, ueneris umbilico, chamaedaphne, tithymalo helioscopio, thymelææ, alypo. Inanes in uniuersum, ac fistulosos
caules habent frumenta, legumina, & olera. Particulatim uerò cauis emicant colliculis phu, apium montanum, son-
chus, ueratrum album, gentiana, equisetum, narcissus, ricinus, cicuta, lathyris, hieracium maus, symphitum secundum,
spina alba, cæpe, porrum, hipposelinum, thapsia, ferula omne genus, omnesq; plantæ ferulacæ, qualis cicuta, panac-
es, laserpitium, seseli Peloponense, & quæ guttatim stillant sagapenum, galbanum, & ammoniacum. Geniculatum
culmum gerunt cerealia omnia: quin & ebulus, sambucus, phu, cyclaminus secundus, gentiana, panacis Aselepium,
polycnemon, crateogonum, polygonum, equisetum, ferula, cicuta, meon, odoratus iuncus, pitusa, arundinum omne
genus, hydropiper, ligusticum, xyphium, & omnes deniq; plantæ, quæ foeniculaceo caule assurgunt, ut elaphobosium,
anethum, seseli Masiliense, pyrethrum, sphondylium, peucedanum. Læui constant caule dracunculus, hastula regia,
typha, nymphæa, sideritis tertium genus, chrysanthemum, aconitum lycocotonum, gentiana, acanthus, aloë, iberis, hya-
cynthus,

cinthus, millefolium, chamædaphne. Dodrantali caule exeunt chamæleo niger, tripolium, hyacinthus, arum, sesamoides, daucum Creticum, caucalis, caninus testiculus, epimedium, hypericum, sideritis tertium genus, centaurium minus, anonis, sylvestre cuminum, tusilago, ænanthe, anthyllis, anthemis, coris, ocimoides, achillea, elatine, pentaphyllū, tragus, ageratum, papauer spumeum, psyllium, aconitum primum, colebicum, semperuiū minus, umbilicus ueneris, stratiotes millefolium, chamæcissos, glaux, polygala, Laurus Alexandrina, tithymalus myrsinites, paralius, helioscopius, & cyparissias: item chamælea, & uerbena. Diu uero palmorum longitudine caules extollunt phalaris, thlaspi, melanthium, pæonia, ueratrum album, cynocrambe. Caulis cubiti altitudine adolescit petasite, plantagini minori, ranunculo, phurrosmarino, chelidonio maiori, bacchari, panaci Aselepio, sphondylis, satyrio, alsinæ, betonicæ, fabæ Aegyptiæ, cirthamo, arabidi, asphodelo, lepidio, xyridi, eupatorio, sylvestri papaueri, aconito tertio, semperuiuo maiori, senecioni, uerbasci femine, cytiso, xanthio, rusco, daphnoidi, chamædaphnæ, lathyri, primo filicis generi, cnico, gladiolo, ascyro, lysimachia. Interdum cubiti longitudinem caule excedunt alisma, cyperus, tithymalus characis, ptyusa. At hormonum semicubitali caule contentum est. Binum cubitorum longitudinem caule æquant dracunculus, gentiana, spina alba, acanthus, conyza maior, althæa, symphytum secundum, belenium, glastum, glycyrrhiza, centaurium maius, dipsacum, carduus, seseli Aethiopicum, lycopsis, sideritis secunda, manicum solanum, sylvestris lotus, cirsum. Quaternum cubitorum caulis exit moly: tricubitalis uero Medio. Duris lignosisq; nituntur cauliculis hypericum, chamædry, teucrium, symphytum petræum, androsæmum, ascyrum, saturia, thymum, origanum, millefolium, eupatorium, aster Atticus, hyssopum, stæchas. Lentore & mollitia caules languescunt trioni, poterio, malua, smilacibus omnibus, cucurbitis, peponibus, & melopeponibus, cucumeribus, lupino, perichlymeno, bryonia, uiti nigræ, uicia, helixina, quam cissampelon cognominant, scammonio, iunco, typhæ, althæa, alcea, solano somnifero, osyris, rusco, daphnoidi. Spinis horridum gerunt caulem dipsacum, poterium, agriacantha, scolymos, paliurus, rubus, canirubus, hieracium maius, stæbe, rosa. Spinosa prorsus lanugine obducuntur urtica caules, echij, anchusæ, lycopsis, buglosi. Hirsutus caulis uisitur menthastro, orobanche, belenio, ocimoidi, eupatorio, herbæ quam pilosellam uocant, secundo symphyti generi. Lanugineum caulem nutriunt acanthium, gnaphalium, uerbascum, lychnis utraq; tusilago, althæa, anemone, pænaces Heraclium. Scabritia & asperitate caulium sunt pastinaca, rubia utraque, lupus salictarius, aparine, baccharis, sylvestris cnicus, æthiopis, equisetum, ueratrum nigrum, papauer sylvestre, & corniculatum. Humi cauliculis repunt polygonum, lithospermum, anagallis, clematis prima, holostium, tribulus terrestris, peplos. Caules edunt quadrangulos sideritis prima, apiastrum, marrubium, ballote, cyperus, centaurium minus, mentha, calamintha, baccharis, hormonum, aparine, rubia, chamædry, stæchys, scordium, teucrium, betonica, symphytum secundum, chymenum, uerbena, urtica, galiopsis, æthiopis, lotus Aegyptia, bunium, xanthium, ebulus, pycnocomum. Triangulares insunt cirso, & quandoq; etiam cypero. Ceterum caules albicant moly, utriq; iberidi, nasturtio, cnico, cacalia, cynocrambe. Rubescunt minori hieracio, soncho, artemisia, hyperico, ascyro, phur, uirgæ aureæ, helixina, senecioni, myriophyllo, orobanche. Caule destituuntur chamæleo albus, phyllitis, filix, cynoglossum, dryopteris, polypodium, onosma, trichomanes, asplenium, hemionitis, lichen, paronychia, adiantum, hippophaestum, chamæsyce. Ad hæc non pariam quoq; in stirpibus dignoscendis utilitatis præstat florum tum coloris, tum formæ cognitio. quippe cum nulla sit earum pars, quæ prius nostris sese offerat oculis uere, & æstate, quam flores, uaria colorum pictura, quæ in eis refulget. Quapropter non ab re fuerit, horum differentias edocere, quæ in coloribus ita se habent. Plantæ igitur, quæ flore candido decorantur, sunt ut oxyacantha, ligustrum, orneoglossum, fraxinus, rosæ, quibus tum ruber, tum etiam purpureus erumpit. Item olea, myrtus, cerasus, malus, pyrus, messilus, prunus, arbutus, iberis, raphanus, siser, cucurbita, caucalis, eruca, ocimum, ornithogalum, cyclanini secunda species, haultula regia, capparis, poterium, thymus, moly, aparine, phalangium, trifolium, sed cui flos quandoq; rubescat, polium, ænanthe, alba uiola, nympha prima, althæa, polygonatum, clematis altera, ocimastrum, erinus, achillea, helixina cissampelos dicta, conuoluulus, dorycnium, ephemerum secundum, stratiotes millefolium, lotus Aegyptia, chamæscie sesamoides magnam, narcissus, scammonia, thymelæa, sambucus, ebulus, angelica, filipendula, uiburnum, flammula, fragaria, imperatoria, lilium conuallium dictum, & uincetoxicum. Rubri flores emicant rosis, in quibus tamen uariant, nam alij candidi, alij purpurei, alij lutei reperiuntur: item malis puniceis, fabæ Aegyptiæ, rumici, oxylapatho, oxalidi, blito, aphacæ, ophioscorodo, anemone primo generi, argemone, anagallidi masculæ, papaueri sylvestri, solano somnifero, onagræ, & caryophyllis uocatis, quem florem recentiores quidam, nescio qua auctoritate ducti, ueronicum appellant. quanquam & hi purpurei emergant, & quandoque uaria colorum mistura inficiantur. Flores menthæ, silymbrij, & hydropiperis colore subrubro apparent. In purpura albicantes insunt phurros, persico, amygdalo, eruo, bacchari, trifolio, alcea, perichlymeno, rhododendro, pæonia. Purpurei exeunt asaro, croco, uittici, uicia, cyclanino primo, larici, centaurio minori, albæ spinæ, origano, pulegio, saluæ, calaminthæ, thymo saturiæ simili, thymbræ, serpyllo, sed qui in album quandoq; uariant, pseudomelanthio, chamædry, lychnidi, scordio, uiolæ purpuræ, canis testiculo, onobrychi, betonicæ, symphyto utriq;: etsi secundum modum candido, modum luteo flore lætetur. Item medio gladiolo, anchusæ, lycopsi, echio, sideriti tertriæ, uerbena, astragalo, hyacintho, cirso, capno, bubonio, sed cuius interna flauescant, antirrhino, acanthio, glauci, ueratro nigro: tametsi quandoq; huic puniceis, herbaceis, candidi, & in purpuram albicantes flores reperiuntur. Item sesamoidi maiori, ricino, amaranto, galegæ, personatæ, xanthio, hormino, martago (sic uocant recentiores lilium quoddam) scrofulariæ maiori, geranio. At in purpura nigricantes insunt uiolis, leontopodio, delphinio, napello, pulsatilla. Aureis floribus coronantur helenium, cornus, rapum, napus, lampšana, brassica, crithamum, sonchus, aphaca cichorij genus, tragopogon, cucumis tærraticus, quam satiuus, pepo, lactuca, irio, ranunculus, anemone secunda, aconitum lycoctonon, chelidonium utrunque, fertula Campana, ruta, hieracium, attractylis, tusilago, conyza, hemerocallis, uiola aurea, nympha secunda, anagyris, alisma, hypericum, ascyrum, androsæmum, chamæpitys, spartium, lysimachia, eupatorium, pentaphyllum, chry-

Florū in plantis uarietas.

b socome,

fosome, chrysozonon, chrysanthemum, ageratum, papauer corniculatum, hyoscyamus, galium, senecio, uerbasum,
 lotus urbana, & syluestris, buniun, ofyris, colocynthis, cnicus, uirga aurea, balsamina, blattaria, caltha, colutea, tana-
 cetum, & quã falsò oxyacantham recentiores nuncupant, abrotonum foemina, pilosella, potentilla, sena, sinapi. An-
 themidi flores exoriuntur in medio lutei, circinato orbe candidi, sicuti & parthenio, buphibalmo, bellidi, et cotule sce-
 tide. Cæruleum florem edunt linum, intubus, cichorium, chondrilla, anagallis foemina, muris auricula, clematis prima,
 buglossum, melanthium, eryngium, scabiosa, & quæ à uulgaribus morsus diaboli appellatur: item cyanus, & quæ
 trinitas recentioribus dicitur. Hyacinthino colore placent flores centaurij maioris, chamæleonis nigri, cinaræ: quin
 & uaria cardui genera. Vario colore inficiuntur iridi, tripolio, malua, euphrasia. Spicati insident blito, plantagini,
 hyssopo, mentha, menthastro, silymbrio, hydropiperi, salua, sampsucho, stachy, betonica, amarato, uirga aurea, stoe-
 cbadi, ladano, lauendula utriq;. Floris effigie liliun emulantur hemerocallis, martagon, ornithogalum, nymphæa al-
 ba, helxine cognomento cissampelos, lotus Aegyptia, narcissus, crocus, conuoluulus, ephemerum primum. Flores, qui
 rosæ referant similitudinem, prosiliunt malo cydonia, mespilo, althæa, rhododædro, peonia, ueratro nigro, colocasie,
 corniculato papaueri. Echinatis capitulis flores condunt uterq; chamæleo, centaurium maius, crocodilium, spina al-
 ba, dipsacus, spina Arabica, poterium, acanthium, cinara, leucacantha, atrachylis, cnicus, et reliqua carduorum genera.
 Muscosos gestant flores laurus, labrusca, myrica, erica, ligustrum, olea, quercus, castanea, cornus, galium. Flores in
 umbellas radiantes, uel muscarijs emicantes insunt Meo, sisaro, crihanio, caualidi, origano, panaci, ligustico, pasti-
 nacæ, seseli omni, sisoni, aniso, caro, anetho, cumino, ammi, coriandro, apio, smyrnio, elaphobosco, fœniculo, dauco, py-
 rethro, libanotidi, sphondylion, ferularum omni generi, peucedano, laferpitio, sagapeno, galbano, panaci, ammoniac-
 co, achillea, chrysocoma, agerato, cicuta, stratiote millefolio, myrrhidi, thapsia, sambuco, ebulo, angelica, filipendu-
 la, uiburno, imperatoria, eiq; pimpinelle generi, quæ nonnullis hircinum saxifragum uocatur, quòd hircum maxime
 oleat. Cytini imaginem representant flores asari, hyoscyami, cisti, arbuti. Corymbis similes racematim coherent
 botry, ambrosia, anagyri, urtica, lunaria minori, hippophai. Lanugine quadam obducuntur, atque in pappos euane-
 scunt flores omnium carduorum, sonchi, tragopogoni, centaurij maioris, utriusq; chamæleonis, utriusq; hieracij, se-
 necionis, cirsiij. Stellarum, solisq; flore imaginem referunt eryngium, aster Atticus, anthemis, parthenium, buphibal-
 mus, bellis, hypericum, pentaphyllum, intubus utraq;, cyanus. Præterea exquisitam prorsus plantarum cognitionem
 quis assequi poterit, si feminis, fructibusq;, quos plantæ ferunt, delineationes habeat. quare non inutile fuerit earum
 tum figuras, tum discrimina, tum etiam similitudines prosequi. Fructus itaque racemosos proferunt terebinthus, len-
 tiscus, populus utraq;, oxyacantha, uitis nigra, uitis alba, cyclaminus secunda. Corymbateos uerò hedera, periclymen-
 nus, solanum hortense, & manicum, smilax aspera, polycnemum, hippophæis. Semina autem racematim coherent
 artemisia, ambrosia, botry, urtica nostrati, mercuriali foemina, hydropiperi, ricino. Acinosa sunt asaro, taxo,
 uestiaria, asparago, rusco, lauro Alexandrina. Semen folliculari specie inest fraxino, rhamno, sed quòd uerticilli refe-
 rat imaginem, nasturtio, thlappa, androsacæ. At in squamosis folliculis ocluditur gentiana, cumino syluestri, atripli-
 ci, sphondylion, œnanthe, ferula, & thapsia. Pineam nucem imitantur, & ueluti nucameta sunt fructus piceæ, laricis,
 & cupressi. Baccas gerunt olea, laurus, zizyphus, cornus, rosa, capparid. Oblongæ, & quæ magnitudine cedant oli-
 uis, uisuntur myrto, thymelæa, polygonato. Rotundæ sunt ligustro, iunipero, hedera, periclymeno, lycio, cedro, oxya-
 canthe, sabina. Cæterum fructum semenq; siliquis includunt acacia, anagyris, genista, siliqua arbor, casia nigra, do-
 ryenium, apocynum, staphis agria, delphinium, cicer, faba, lens, phasiolus, lupinus, pisum, eruum, sena, smilax hor-
 tensis, medica, aphaca, uicia, peonia, lcontopetalon, xyris, solanum somniferum, & tertium aconiti genus. In follicu-
 lis uerò abditur baliacabo, colutea, colchico, & staphyloædro: suumq; in corniculis modo aduenis, modo erectis ser-
 uant delphinium, foenum græcum, lotus syluestris, rapa, napus, raphanus, lampšana, brastica, eruca, sinapi, erysimum,
 circaea, leucouium, hedyсарum, papauer corniculatum. Capitibus femina condunt colocasia, anemone, argemone, melan-
 thium, ocimoides, papauer tam satiuum, quam erraticum, hyoscyamus, lotus Aegyptia, xyris. At capitulis paruis con-
 eipiuntur lino, ptarmica, cumino syluestri, sparganio, psyllio, uerbasco, scrofularia, isopyro, ricino, tithymalo pa-
 ralio, & helioscopio. Semina in flocci modum conclusa afferunt porrum, ampeeloprasum, scorodoprasum, cæpa, al-
 lium, & si prius folliculo quodam claudantur. Umbellis nuda resident semina omnibus panacis generibus: itemq; sese-
 li, ligustico, apij omni generi, aniso, caro, anetho, cumino satiuo, ammi, elaphobosco, dauco, sphondylion, peucedano, eli-
 chryso, cicuta, mirrhidi, angelica, imperatoria, thapsia, coriandro, smyrnio, fœniculo, pyrethro, ferulis omnibus,
 achillea, agerato, stratiote millefolio, sambuco, ebulo. Semen ueluti spicis cõtinetur origano tam satiuo, quam sylue-
 stri: quin & sampsucho. Papaueris imaginem semine representat phyllum, nymphæa alba, hyoscyamus, lotus Aegy-
 ptia, peplis, peplos, chamæcissos: à salua horminum. Hirsuto semine, ac aspero, adeò ut id tactum uestibus adhe-
 reat, sunt personata, eupatorium, aparine, helxine, xanthium, & uulgare cynoglossum. Capiti uiperarum simile fert
 echium, & uituli non dissimile antirrhinum. Mucronatum ostendunt tragos, strimachium sic uulgò uocatum, tribulus
 tam aquaticus, quam terrestris. A fœni græci semine non desicit semen nyagri, item & loti syluestris. Semen fœni-
 culi modo ferunt ligusticum, sison, cicuta, cuminum, carum. Anisi uerò semina, apij, & ammi consimilem nacta sunt
 formam. Cnici semen suam impartitur imaginem minori centaurio, utriq; chamæleoni, spina albæ, & Arabicæ, atra-
 chylis, cinaræ, Medio, nigro ueratro, & omnibus ferè cardui generibus. Milij semine constant circaea, crateogonum,
 panicum, sesamum, lithospermum, lotus Aegyptia, sesamoides. Erui semen possident catanance, tithymalus paralius,
 aphaca. Semine marrubium emulantur ballote, clinopodium, sideritis prima, pycnocomum. Consimili nascuntur se-
 mine libanotis, & crihanum: ut etiam semine conueniunt linum, satyrium erythronium, & quoddam urticæ genus.

Seminũ, & fru-
ctũ in plãtis
discrimina.

Semina

Semine caudæ scorpionis effigie cernitur scorpoides: & uerrucarum modo pendet minori heliotropio. Semina, quæ fructibus carnosissimam arborum, quam herbarum delitefcunt, gestant aluo mala, cotonea, pyra, citria, limones, aurantia, punica, mespila, cucurbita, pepones, melopepones, cucumeres, colocynthis: item balsaminæ uulgò uocatæ fructus, mandragora, aristolochiæ, halicacabi. quin & mala insana consimili modo suum recondunt semen. Minutum habent semen ruta, iberis, cupressus, circæa, psyllium, mandragoras, apios, cynocrambe, papauer, hyoscyamus, ocimum. Differunt etiãnum colore inter se semina: siquidem albicant dauco, rosmarino, circæa, lactucæ, papaueri satiuo, & spu-
 10 meo, cucurbitæ, peponi, cucumeri, sesonæ, lithospermo. Ut fructu rubent oxyacantha, terebinthus, cedrus, cornus, zizyphus, rosa, punica, arbutus, taxus, cerasus. Ita similiter semine rubescunt asparagus, halicacabus, ruscus, hippoglossum, rumex, dracunculus, arum, acanthium, peonia, rubia, tragus, iuncus, coccum insectorium, aspera smilax, chame-
 20 daphne, sesamoides. Succo sanguineo manant ascyri, androsami, & hyperici grana. Nigrum inest ligustro, lycio, myrto, oleæ. Quin & semina nigricant ocimo, hirci barbule, porro, allio, cepis, ampelopraso, hyacintho, scorodopraso, ophioscorodo, saluæ, rutæ, hormino, ligustico, seseli Aethiopico, sisoni, hipposelino, smyrnio, melanthio, phalangio, rubiæ, sideriti primæ, uerbasco, laurole, narcisso, syluestri cucumeri. In longum uerò protensum proferunt semen seseli Massiliense, ligusticum, sison, hipposelinum, cuminum, narcissus, fœniculum. Quadratum spectatur seseli Massiliensis, & libanotidi: triquetrum uerò staphidi agriæ, & lathyri. Geminatum semen ferunt tordylium, abysson, æthiopsis, mercurialis altera. Dissident etiã sapore semina: nanq; acre id proferunt porrum, cepæ, allium, ampelo-
 30 prasum, scorodoprasum, sinapis, nasturtium, erysimum, struthium, cyclaminus altera, dracunculus, origanum, panax Herculeum, seseli Massiliense, tordylium, anisum, hipposelinum, fœniculum, pyrethrum, peucedanum, cardamomum, clematis secunda, smilax aspera, thlaspi, hydropiper, ptarmica, arum, lepidium, ligusticum, & siliquastrum, quod Indicum appellant piper. Olorato semine pollent omnia cardamomi Arabici genera, panaces Herculeum, meon, ca-
 40 rum, panaces Aselepium, elaphoboscium, ligusticum, hipposelinum, smyrnium, fœniculum, daucus, pastinaca syluestris, melanthium, isopyrum, bunium, origanum, ammi, libanotis. Amrum semen inest Aethiopico seseli, omni absinthiorum generi, abrotano, chamæcisso, gentianæ, sesamoidi. In magnam denique duritiem semen coalescit asparago, perichlymeno, & rusco. Harum itaque rerum, qui exactam cognitionem fuerit adeptus, is in hac præstantissima facultate absque illo impedimento poterit peritissimus euadere. Verum enim uero ne quid intactum relinquatur, quod in hac facultate tum utile, tum necessarium existimari possit, ob id scire conuenit, quòd permulta creauit natura rerum omnium parens, quæ inter se uel maxime consentiunt, uel admodum differunt. Quo fit, ut nihil hac re admirabilius sit in tota natura, nihilq; scitu exoptatius. Quapropter nec ab re quidem fuerit hæc etiã cæteris adnectere, paucisq; perstringere, & de his præsertim agere, quæ ad simplicium medicamentorum materiam spectant. Tam igitur perti-
 50 naci odio sese prosequuntur quercus, & olea, ut non solum non uiuant, neque germinent, si altera effossa, in eius serobe altera implantetur; sed etiã altera alteram interficiat, si fortè prope oriantur. Nec minor inter brassicam, & uitem antipathia cernitur: quandoquidem obseruatum sit, uitem, ad cuius radices asita fuerit brassica, non paruo interuallo sponte sua refugere. Ideo nil mirum, si tantum brassicam contra temulentiam pollere credant, quòdq; Germani quotidianis mensis id olus semper apponant, ut uini noxam effugiant. Nec secus brassicam oderunt origanum, ruta, & cyclaminus, atque illa uites: quippe perspectum est, quòd si seratur brassica iuxta quamlibet explicatarum, confestim cadit, totaq; contabescit. Scilla adeo ueneficis, & admurmurantium incantationibus aduersatur, ut in lumine ianue domus integra suspensa ab omni eorum noxa eos, qui inhabitant, uindictet. Quocirca non temere à doctissimis rerum naturalium investigatoribus memorie proditum est, omnes in uniuersum stirpes, quibus scilla adita profiliat, non modò asseruari ab omni aëris intemperie, animaliumq; noxa; sed etiã letiores, feracioresq; euadere.
 60 Ferula in pabulo asinis gratissima est, eosq; mirificè alit: quæ tamen, si ab equis, uel bobus edatur, ueneni præsentanei modo eos interficit: tanetsi nulla prorsus noxa ea quoq; ab hominibus edatur prima foliorum germinatione. Rhododendri flores, & folia mulis, canibus, asinis, & quadrupedum plurimis uenena sunt: hominibus uerò contra serpentium morsus præsidia. Cicuta est tuta homines enecat: item & quadrupedes. nihilominus sturni innocuè eius semine uescuntur. Cucumeres aquam ita diligunt, ut si uas aquæ plenum, dum plantis inheret, illis subijciatur, admodum longiores effecti, mire in illam descendunt. Contra oleum suppositum sic refugunt, ut in banos recuruntur. quandoquidem in uniuersum oleum omnibus, quæ feruntur plantis, inimicum est. Quo fit, ut planta quælibet, quæ fuerit eo peruncta, facile perarescat, & moriatur. Ob id enim admirandum non est, si arbores, quæ oleum ferunt, ac ressinam mittunt, cæterarum insitiones aspernantur: quemadmodum eas non respuunt aliarum nonnullæ, quæ nec oleum nec ressinam fundunt. siquidem sepe conspecta est quercus pyra ferre, platanus poma, myrtus punica mala, oxyacantha mespila. At nunquam uise sunt pinus, larix, picea, abies, olea, insitionis adminiculo, alios ferre fructus, quam proprios. Grandinis impetum, item & fulminis ictum arcet pellis hyenæ, crocodili, hippopotami, & uituli marini: neque fulmine ictuntur ficus, & laurus. Caprificorum grossi domesticis ficis appensi, non solam eorū fructus decidere prohibent, sed etiã caducos ad maturitatem usq; remorantur. Apium tantò celerius adolescit in hortis, quanto magis atteritur, & calcatur: cum tamen secus, & contra eueniat de reliquis plantis. Tenerescunt galli, esuiq; aptiores redduntur, qui iugulati prius in arbore fici pependerit. Carnes putredine diutius illas asseruantur, quibus æneus clauus fuerit infixus. Corpora ista fulmine, etsi exiccantur, nunquam tamen putrescunt. Quare non immeritò poeta ille damnatur, qui Phaëthontem cecinit de cælo tactum quibusdam in uallibus computruisse. Sed maiore miraculo nobis illud sese offert, quòd scilicet fulminis ictu è loculis aurum adimatur illis illæsis, ac ne confuso quidem ceræ signo: pariterq; ex dolio uinum euanescat, dolio nullibi fracto. Quid enim hoc mirabilius è Martia princeps Romanarum grauidâ ista fulmine, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum uixit. Mentha lacti imposita densari ipsam in caseum non sinit. Murenæ pisces ferula tactæ statim moriuntur. Scorpiones item admodum delphinio herba, aut
 b 2 lychnide

Sympathia, & antipathia rerum quarundam pro simplicium materia.

lychnide sylvestri, aut aconiti radice, quod pardalianches uocant, adeo torpescunt, & stupidi redduntur, ut potius mortui, quam uiui existimentur: ueruntamen albi ueratri contactu mirifice excitantur, uiresq; deperditas recuperant. Succo cotule manus illita apium, uesparumq; aculeo non instantur. Quod item malua praestat oleo contusa, corporisq; membrum illita. Qui polemoniae radicem gestauerit, a scorpionibus non icitur: etsi ictus sit, nulla neq; molestia, neq; noxa afficitur. Porro tanta est arundinis, & filicis discordia, ut arundine uomeri annexa, filices in agro enatae penitus deperdantur. At contra magnam inter se ineunt amicitiam arundines, & asparagi: quippe in arundinetis sati longe letiores, quam alibi adoleseunt: quemadmodum & uites, quae ulmos, populosq; scandunt. Magna insuper conueniunt amicitia myrtus, & olea: item haec, & ficus. Orobanche sola praesentia legumina strangulat. Metellarum nucum esu peculiarius enecantur canes, quam caetera animalia. Cimices lectularij si uiui deuorentur, non solum quartanis febribus remedio sunt, sed etiam percussis ab aspidē profunt. Martyres, feles, & mustela galli-
nas non attingunt, quae rutae succo fuerint perunctae: neque uulpes eas inuadunt, quae pulmonem uulpinum comederint. Viperam fagi ramulo obuiam facta gressum sistit, & ueluti attonita manet. quod item facit arundine etiam leuiter percussa. Furens elephas ariete tantum conspecto mansuescit: nec est taurus tam ferrox, qui fico arbori adalligatus non mitescat. Magnes lapis mirè ferrum ad se trahit: at si alio confricetur, id neutiquam agit, nisi sanguine hircino lotus uim ab alio obsessam redimat. Succinum paleas, & fistucas ad se trahit: nihilominus oleo illitum eas respuit. Equi, quos lupus momorderit, & pernici cursu, & prolifica probitate pollebunt: at si luporum uestigia calcauerint, curibus obstupescunt, ac conuelluntur. Carnes ouille a luporum morsibus dilaniatae, caeteris teneriores, & gustatu suauiores existunt: at earum lana uestibus contexta, pediculos creat. Leo animal ferocissimum praesentem gallum mirum in modum ueretur, ac magis terrore concutitur audito eius cantu. Gallinacci pulli elephantem, bouem, & equum minime metuunt: atqui si umbram tantum milui in aere uolantis conspexerint, ad matrem maxime
perterriti confugiunt. Nec secus agunt oues, & agni lupo conspecto. Idem lupo scillae bulbo contacto quam primum sideratur. Hyenae umbra contacti canes obmutescunt. item hyenae ipsius lingua a latratu, ac morsu canum etiam mordacissimorum ferentem uindictat. Polypodium herba cancro animali admodum efficit, ut is paruo temporis tractu tum integentes crustas, tum ungues e pedibus abiciat. Ciconiae platani folijs nidos implent, ut inde uespertilionis abigant, quibus cum ingens odium gerunt. Hirundines apium comportant, ut tinea, & blattas nidis inimicas arceant: item & chelidonium maius, quo obcaecatis pullis uisum restituant. Caeterum lauri folia nidulis important palumbes, accipitres hieracium, cornuarum, upuae adiantum, cornices supinam uerbenacum, turdus myrtum, perdux arundinem, ardeola carum, aquila callitrichum, galerita gramen, cygni uiticem, ut a diuersis animalum iniurijs se uindictent, aut ab alio quocumq; quod noxam adferre possit: tam admirabilis in uolatilibus, & quadrupedibus habetur ipsius naturae instinctus, circa rerum uires absconditas. Catus quadam herba adeo gaudet, ut illi catariae nomen recentiores indiderint. Ranae iuncum, ranunculum, & stoebeum diligunt. Testudines, & ciconiae origanum adamant. Serpentes sceniculi affricatu uisum recuperant. Leo deuorata simia febrem efficacissime discutit. Ceruae, & ferae caprae non modo dictami pabulo illata uulnera in Creta insula sanant, sed & infixam tela uenatoribus reiciunt. Vrsi formicas deuorant, ubi mandragoram degustauerint, quibus mirifice sanantur. Elephantem deuorato chamaeleonte animal oleari frondes depascuntur, quibus incolumes euadunt. Anseres, anates, ac reliquae aquaticae aues siderite tantum herba suis incommodis medentur: sicuti gallina belxincem deuorant, grues iuncos, panthera humanum stercus, apri hederam, & cinaram ceruae. Praeterea rhabarbaro flaua bilis e corpore deiecitur, itemq; manna, & scammonio: pituita colocynthide, & turpeto: bilis uero atra helleboro, & Armenio lapide: sicuti & uenena theriaca superantur. Oculorum egritudines curant solo contactu sapphiri & anthracis. Ebrietas amethysto lapide arceatur. Sanguinis defluxus iaspide sistitur. Topatio appenso uenus infirma redditur: item & uitio lecto cubantibus strata. Formicae alis uespertilionis, & upuae corde fugantur. Quin & serpentes ueterum calciamentorum suffitu abiguntur: ut blattae, & papilionis hircino iocinore incenso. Torpedo piscis non modo manu, sed & longiori hasta contacta tangentis brachium stupidum reddit, quanuis ualidissimis musculis constet. Catablepha quemcumq; oculo conspexerit, enecat, & si per mille passus distet. Nec inter homines desunt, qui laudibus, & oculorum intuitu conspectos effascinent. Caeterum si caeterarum uolatilium pennae aquilinis permisceantur, breui carie contabescunt: quemadmodum testudinum chorae contacte disrumpuntur, si una tantum ex lupi intestino parata inter eas resonet. Eodem pariter modo tympana ouina pelle constructa franguntur, si tympanum lupina membrana cõtectum inter alia pulsatur. Tanta muscis, tibijs, caeterisq; id genus instrumentis facultas aduersus tarantulae uenenum inest, ut languentes etiam inuitos non modo ad choreas, saltationesq; alliciat, sed etiam persanet. Quinetiam tanta ui pollent Marfi, ac Psilli contra serpentes, ut eos solo contactu enecent. Taurus perunctis rosaceo naribus statim uertigine corripitur. Lapis Thracius aqua madens igni admotus praeter rerum naturam flammam statim concipit, nec restinguitur, nisi affuso oleo. Sed de his haecenus: quandoquidem breuitati studentes plura adhuc silentio praetereunda duximus.

† Hic locus (ut mihi retulit excellentiss. medicus Augustinus Gadaldinus) in antiquo codice ita legebatur: ἔσ ὄγκων διαφορὰς ἕκαστον αὐτῶν ἀναφέροιντες. Id est: in tumorum differentias unumquodque ipsorum referentes. Quae lectio non solum ob id magis probari posset, quam uulgata, quod dogmatica sit, illudq; dogma innuat, quod facultatum medicamentorum causam in tumores, & meatus referebat; sed quod etiam eius dogmatis meminerit Galenus lib. primo de simpl. medicamentorum facultate cap. primo, his uerbis. Ἰσὺς μὲν γὰρ εἶς τε τὰ μεγέθη, καὶ τὰ σχήματα, καὶ τὰς θέσεις τῶν ὄγκων τε καὶ πόρων ἀναφέρουσιν. Hoc est: Quidam enim in magnitudines, figuras, & situs tumorum & meatum referunt.

IRIS DOMESTICA.

IRIS SYLVESTRIS.



Iris. IRIS.

CAP. I.



Iris à cœlestis arcus similitudine nomen accepit. Folia fert gladioli, sed maiora, latiora, & pinguiora. Flores † in summitate cuiusque caulis, æqualibus inter se spatijs distant, incurui, varij: siquidem candidi, pallentes, lutei, purpurei, aut cærulei conspiciuntur: qua diuersi coloris specie, quædam cœlestis arcus imago representari uidetur. Radices subiacent geniculatæ, solidæ, odoratæ: quæ frustatim dissectæ, in umbra siccantur, & traictæ lino reconduntur. Melior est Illyrica, &

40 Macedonica: & inter has laudatissima, quæ mutila ferè, & densa constat radice, fragenti contumax, subrufo colore, gustu amaro, odore perquam grato, & syncero, ita ut nullum prorsus situm redoleat: quæ dum tunditur, sternutamenta mouet. Secundum locum habet Africana, candicans, gustuque amara. Terebines in vetustate sentiunt; tunc tamen odoratiores reddi solent. Vis omnibus exalfactoria, extenuans, contra tussim efficax: humorum, qui ægrè reijciuntur, crassitiem digerunt: bilem, crassamque pituitam ex hydromelite drachmis septem epotæ purgant: somnum conciliant, lacrymas ciunt, torminibus medentur. Eadem potæ ex aceto auxiliantur serpentium ictibus, lienosis, conuulsis, perfrictionibus, horroribus, & quibus genitura effluit: menses ex uino potæ pellunt. Decoctum earum, sceminarum fotibus vtiliter imponitur, ad emolliendos locos, laxandaque in eis uenarum spiracula: ischiadicis infunditur: fistulas, ac sinus carne explet. Radices ex melle glandis modo subditæ, partus extrahunt: quinetiam coctæ & illitæ, strumas, veteresque duritias emolliunt. 50 Siccæ quoque vlcera replent, & cum melle purgant: nudata ossa corpore operiunt: doloribus capitis cum aceto, & rosaceo magna vtilitate illinuntur. Admotæ cum albo veratro, & duabus mellis partibus, lentigines & vitia cutis in facie à sole contracta emaculat. Pepsis, malagmatis, & acopis inferuntur. In vniuersum magni ad omnia vsus.

IRIS in uniuersum satiuæ est, & syluestris. Hæc duorum est generum: altera satiuæ, & vulgari similis, folijs latæ men, flore, caule, radiceq; paulo minoribus. ALTERA folijs gladioli longioribus: radice tenui, lignosa, geniculatæ, subrufo, modoraq;: caule breui: flore cæteris longè minori, odore Armeniaci mali. Constat hic folijs nouem purpureis, quorum extrema, superiore tantion parte, aureis pinguntur lineis. Sunt qui hanc legitimam Illyricam putent, Illyricam ab Italica differre existimantes. In quorum sententiam etsi iam pridem deuenim; tamen longè aliter rem se habere postmodum cõperi. Quandoquidem præferri Illyricam nouerim, non quòd genere, uel specie à nostrate dif-

Iris genera, eiusque consideratio.

b 3 ferat,

IRIS SYLV. ALTERA.

Opinio repro-
bata.Plinij contra
dictio.Iridis vires p-
ter traditas à
Diosc.Iris cognomē
to astragali-
tis.

ferat, sed quod cæli, soliq; illius convenientia, præstantioribus polleat facultatibus: ut absinthium, quod in Ponto nascitur: acorum, quod in Colchide, & Galatia: cyperus, qui in Syria, & Cycladibus insulis: costus, qui in Arabia: crocus, qui in Coryco monte: myrrha, quæ apud Troglodytas, & Minæos legitur: & alia quàm plurima præferuntur à locis, quorum dote selectissima, præstantissimaq; proveniunt. Id enim aperte testatur grauius auctor Galenus lib. primo de antidotis, his uerbis. Omnes itaq; herbarij unanimes scripserunt Irim in Illyrio natam optimam esse: petroselinum uerò, quod in Macedonia prouenit: bitumen e Iudæa aduectum, item & opobalsanum. Idem & in reliquis fecerunt, quorum dotes à regionibus acceptas, cum priuatim de unoquoque loquimur, ne omittemus. Hæc Galenus. Docuit id etiam Galenum Theophrastus lib. IX. cap. VII. de historia plantarum, sic inquit. In Europa nihil præter Irim inuenieris, quæ optima apud Illyrios exit, non tamen parte maritima, sed mediterranea, magisq; ad septentrionem sita. Verum loci à locis differunt, ita ut producere meliorem possint. Quibus palàm est, Illyricam Irim non genere, & facie, sed uiribus tantum à nostrate distungi. Satiua (ut arbitror) ex agresti originem duxit, quemadmodum plantarum aliarum pleræque, cultu tamen uegetior grandiorq; effecta. Seritur iam & altera, quam flore & folijs minorem esse diximus, quæ etiam in hortis frequens est, tum ipsius floris amœnitate, tum odoris præstantia, tum etiam quòd nouis floribus delectentur homines. adeò ut iam tot satiuæ, quot syluestris habeantur genera. Sunt tamen, qui putent nullam Irim domesticam reperiri, quòd scripserit Theophrastus loco antè citato, nullum Iridi cultum accommodari. Sed is, meo quidem iudicio, decipitur. quandoquidem Theophrastus eo in loco non de omni in uniuersum Iride differit, sed de Illyrica tantum: quæ cum loci ac exit clementia in Illyrico tractu optima sponte proueniat, non est necesse, ut colatur. Præterea cùm hodie Iris domestica passim in Italiæ hortis læta, urens, pulchraq; spectetur: syluestris autem in plurimis montibus sponte nascatur, floribus & folijs satiuæ longè minoribus, radice tenuiore, breuiore, & aridiore; nulli quidem absurdum uideri debet, si nos utranque depingi curauimus. Quinetiam compertum habeo, ueteres quoque Iridis syluestris mentionem fecisse, non solum Marcelli medici auctoritate cap. XXI. qui præterea Irim domesticam cultamq; illis fuisse ostendit; sed Galeni quidem testimonio. is enim Iridis syluestris meminit lib. X. de comp. medic. secundum locos, dum nephriticis compositiones ab Asclepiade conscriptas recenset. Syluestris utriusque generis plurima oritur in Goritiensi agro Saluatino monte, & lapidæ collibus inter saxa, odore non ingrato: quauis etiam ambas uiderim in campestribus non longè à Sontij ripis. Est præterea in satiuarum genere, quæ flores niuei candoris proferat (hanc in pluribus Hetruriæ locis uidimus) cuius radix odoris fragrantia, & uirium robore Illyricam frè æquat. Iridis meminit Plinius lib. XXI. cap. VII. sic inquit. Iris radice tantum commendatur, unguentis, & medicinae nascens. Laudatissima in Illyrico: & ibi quoque non in maritimis, sed in syluestribus Drilonis, & Narona. Proxima in Macedonia: longissima hæc, & candidans, & exilis. Tertium locum habet Africana, amplissima inter omnes, gustuq; amarissima. Illyrica quoque duorum generum est: raphanitis à similitudine, quæ & melior: rhizotomos subrusa. Et cap. XX. eiusdem libri: Iris rufa (inquit) melior est, quàm candida. Quibus in locis sibi manifestè repugnare uidetur Plinius: quòd superius raphanitem, quæ candidat, rhizotomo, quæ rufescit, anteposuerit, hic uerò contrà. Dioscoridi præstat, quæ subruso constat colore, qualis Plinio rhizotomos. Caterum (si Theophrasto, & Plinio credamus) non omnis Illyrica præstat, sed quæ tantum in syluestribus nascitur. siquidem quæ in maritimis foditur, humore prægnans improbat, quòd subinde staccescens contrahatur in rugas. Succus hydropicis propinandus, quoniam recenti Illyrica destituimur, è nostrate elicitur, ducitq; abunde aquas. Excalfacit Iris ordine secundo completo, uel tertio inchoante, & pariter siccatur. Atque præter vires, quas illi adscribit Dioscorides, alijs pluribus pollet. quandoquidem compertum est, mansam oris halitum commendare: dentium dolores mulcere, si radicis decocto iisdem soueantur. coquit item, abstergit, digerit, resoluit, lenit, reserat, expurgat, & deijcit: uulnerarijs medicamentis immixta sarcotica est. Radicis expressus succus bilem flauam, pituitam, & aquas cutem subeuntes pellit: hæmorrhoidas fetu elicit. Radix ipsa contrita, & ex aceto bibita, omnibus aduersatur uenenis. Succus naribus infusus cerebrum à pituita mirificè purgat: uentriculo tamen nocet, cùm per se tantum bibitur. ideoq; à peritis medicis exhiberi non solet, nisi admixta mulsa, & Indica nardo. Reperto quodam esse Iridis genus, quæ Astragalitis cognomine dicitur. Id enim ostendit Galenus lib. I. de compositione medicamentorum secundum locos cap. primo ex Sorano transcribens: item Aëtius lib. XIII. cap. III. qui quibusdam in emplastris Irim astragalitidem imponit. Veruntamen cùm antiquorum, uel recentiorum reperiuntur neminem, qui in simplicium medicamentorum libris huiusce Iridis meminerit, quid certi de hac re proferam, sanè non habeo. Cæterum

10

20

30

40

50

terum

terium Cornarius, qui in prædictos Galeni libros commentarios edidit, Irim astragalitem, & astragalum idem esse existimat: hoc argumento ductus, quod Plinius Iridem duplicem esse tradiderit; alteram, quæ raphanitis à similitudine; alteram, quæ rhyzotomos dicitur. At cum astragalus radicem raphani modo ferat, inde Iridem astragalitem Astragalum esse coniecit. quin & Plinio per Iridem raphanitem, astragalum intelligi censet. Sed mea quidem sententia rectius fortasse rem hanc explicasset, si per eam Iridem, quæ à similitudine raphanitis uocatur, astragalitem ideo designari dixisset, quod ut astragalus, raphani modo radicem gerat: siquidem Plinio Iris raphanitis astragalus non est, sed altera Iridis Illyricæ species. Quamobrem ita Iridem astragalitum à Galeno cognominatam esse putauerim, quod radice referat astragalum: quemadmodum raphanitis à Plinio dicta est, quod radice raphanum repræsentet. Iridem memorie proditam fuisse Galeno in libris simplicium medicamentorum sanè nusquam reperi: tamen si libro primo de antidotis eius postmodum meminere his uerbis. Andromachus rosas Iridem Illyricam adiungit. quæ uerba non frustra, negligenterq; excipienda sunt, ueluti nec cum alijs medicinis patriæ nomen apponit, de quibus paulò post differentes, quid quoq; in genere optimum sit, demonstrabimus. Polium ergo, & chamædrys Romanæ afferuntur, natis in Italia paulò meliora. in aliquot siquidem Italiæ locis haud multò deteriora proueniunt illis annis, quibus uer totum humidum non fuerit, sed sicuti sæpe contingit, æstiuo tempore simile. Quod si ueris constitutio sicior obuenerit, multa, quæ in Italia nascuntur, pluribus Creta allatis paria erunt, aut non multò inferiora, ueluti chamædrys, chamæpitys, hypericum, gentiana, thlappi, ueratrum nigrum, & id genus alia. At uerò, quod ad Irim pertinet, secus se res habet: si enim Iris Lybica, quæ plurima ex Africa Romanæ affertur, Illyricæ comparatur, tantum ipsi cedit, quantum cadauer uiuo corpori: non tamen alijs in gentibus orta tam multum ab Illyricæ degenerare Iris uidetur. Irim igitur, uelut & reliquas medicinas, odoratiorem eligit: nam unumquodque optimum est, quod proprium sui generis odorem uehementissimum habet, qui quidem ex multorum inspectione manifestus unicuiq; sit. Ac de gustu quidem perceptis qualitatibus eodem modo censendum est: id enim optimum medicamentum esse constat, in quo id, quod suo generi proprium est, exuperat: pessimum uerò quod sui generis alijs & tenuius, & exilius est. Meliora nanque sunt omni in specie, quæ cunq; nec rugosa, nec exilia fuerint: sicut quæ conuenientem sibi magnitudinem excessere, peiora sunt ijs, quæ bene nutritam, & adstrictam habent substantiam. Quamobrem, ut dixi, multa sepius inspicere oportet, & maxime optima, & quæ longo iam tempore sui experientiam ipsis nascendi initijs præbuere, quæq; uno ore à peritis medicæ materiæ sunt commendata. Omnes igitur herbarij unanimes scripserunt Irim in Illyrio natam optimam esse. hæc Galenus. Planta, quæ Græcis Ἴρις, Latinis item Iris nominatur: Arabibus, Asmeni iuni, siue Aierfa: Italis, Iride, Giglio azzurro, aut Giglio celeste: Germanis, Blauu gilgen, Blauu schuuertel, Veiel uurtz, Himmel schuuertel: Hispanis, Lirio cardeno: Gallis, Glaieul, aut Flambe.

Iridis mentio ex Gal. no.

Nomina.

ACORVM.

† Malui hoc in loco Marcelli interpretationem sequi, quem admodum alibi quandoq; facturum sum, quam Ruellij, cui non semper additus ero: quod in aliquot Græcis codicibus legatur Ἰρις καὶ λαι, quæ uox in summitate cuiusq; caulis significare uidetur: quodq; natura in planta ipsa illud manifestè demonstrat.

Ἰριδος. ACORVM. CAP. II.

ACORVM folia iridis habet, angustiora tamen: radices non dissimiles, complicatas, non in rectum, sed obliquum actas, & summo cespite sparsas, geniculis interceptas, albicantes, gustu acres, odore non ingratas. Optimum est densum, candidum, plenum, carie non exesum, odoratum: cuiusmodi Colchidicum, & Galaticum, quod aspletion dicunt. Radici uis calfactoria. Decoctum potu urinam cit: prodest lateris doloribus, & iocineris, atque thoracis: item torminibus, vullis, ruptis. lienem absomit: urinæ stillicidio, & serpentum ictibus auxiliatur: insidentibus ad mulieres affectus, iridis modo, utiliter imponitur. oculorum caligines succo discutit. Antidotis radix magno usu commiscetur.

FECIT diuturna rei herbariæ ignorantia, ut hætenus non in Italia solum, sed in quocunq; terrarum loco, ubi sepalsarij, & medici habeantur, in legitimi Acori locum rufa quædam radix successerit, quæ passim in palustribus, & uliginosis locis inutilis, & inodora plurima nascitur. eo sanè argumento, quod folia, & radices iridis proferat; quæ uis hæc colore rufa, illa uerò iridis longiora spectentur. Hæc itaq; radix apud omnes, qui plantarum historias neglexerunt, in hoc usque æuum legitimi Acori muiere

Acori consideratio.



ACORVM FALSVM.



Brafauoli error.

Fuchsj error.

Acorum legitimum.

dere possunt, quod eadem aliqua ex parte subalbescunt, ut de Acori radicibus scribit Dioscorides: quin potius tantum, quam extra non obscure rufescunt. Quod autem gustu sint acri, atq; mordaci, qui neget, nullus est. Sed non tamen ob id dicendum erit, galangam esse Acorum, alijs non concurrentibus notis: praesertim cum Dioscoridis testimonio Acorum esse debeat acere, non autem acerrimum, nec galangae modo linguam adurens. Brafauolum secutus est Fuchsius medicus clarissimus. is, cum sibi nimis pumila uiderentur prioris galangae radices, quam ut Acori radices referrent, atque propterea Brafauoli sententiam non probandam duceret, in suis de stirpibus commentarijs, alteram crassioris galangam, quae iam pridem in Italiam fertur, Acorum esse contendit. Verum si animaduertatur, quod ea non sit iridi similis, multoq; magis rufescat, quam quod haec dictio $\nu\omega\lambda\epsilon\upsilon\kappa\omicron\upsilon\varsigma$ designet, quae albicantes, & non rufescentes denotat, facile palam fiet, quod una cum Brafauolo ipse quoque aberrauerit. Sed praeter haec ijs etiam refertur Galenus lib. v. i. de simp. med. facult. quod asserat Acori radicem gustui non modo acrem esse, sed etiam subamarum: quae tamen modica amaritudo neque in hac, neque in illa reperitur galanga: etsi inualidis quibusdam argumentis suo ultimo examine contendat Brafauolus, quod galanga praeter acerrimam facultatem etiam sit amara. sed uereor, ne is tunc bile perfusus suam degustauerit galangam. Comprobatur praeterea aliud esse Acorum, & aliud esse galangam Serapionis testimonio: qui, cum sciret non parum discriminis inter has radices esse, de ijs seorsum egit per propria capita, utpote de rebus genere & facultate diuersis. Hoc idem probatur ex Actuarij etiam monumentis. siquidem is in compositione aureae Alexandrinae & Acorum, & galangam imponit, quemadmodum & Nicolaus Myrepsicus, tanquam inter se genere diuersa. His itaque tum rationibus, tum auctoritatibus adductis, a Brafauolo, & Fuchsijs diuersus esse cogor. Nec equidem intellexerim unquam, quomodo factum sit, quod galanga maior, quae a minore non genere, & facultate, sed tantum specie differt, cum primum haec e Syria aduecta est, in Acorum se commutauerit. sed qui haec intelligunt, diiudicent. Ceterum, ut dicam quid haec in re sentio, crediderim ego una cum Manardo Ferrariensi, alijsq; nonnullis huius aetatis in simplicium medicamentorum facultate doctissimis uiris, id omnino legitimum esse Acorum, quod non modo seplasia, sed omnes in uniuersum falso Calamum odoratum uocant. Si quidem radices primum iridi persimiles sunt, geniculis distinctae, reflexae, subalbidae, acres, odore praestantes, & (ut inquit Galenus) etiam subamarae. insuper & folia, quae integra ad nos una cum radicibus (ut haec pictura demonstrat) e Constantinopoli allata sunt, id apertius affirmant: sunt enim ferme iridis. Ad haec ut Aemiponti (Germani Ispbruch dicunt) retulit mihi clarissimus medicus Ioannes Merula, qui pluribus annis degit apud Lituanos, quod passim calamum aromaticum uocant, frequentissimum in Lituania, & circa Tartarorum fines, nascitur: folijs iridi emulis: flore etiam simili, colore rosco purpurascens, nulla ex parte uario: caule iridis longiore gracilioreq; a quo tamen nullus exoritur calamus: uocaturq; ab incolis suo idiomate Tartarschi zelij, id est, herba Tartarica, quod forsasse a iacinis Tartaris in Lituaniam primum fuerit allata. Ideoq; Plinio memoriae recte proditum est lib. xv. cap. xlii. optimum id esse Acorum, quod ex Ponto aduehitur. Pons enim his Tartaris se iungitur, qui ultra Lituania inhabitant,

munere functa est: a qua quantum tum qualitatibus, tum facultatibus recedat, ex Dioscoride patet. quandoquidem palustris haec nec candicans, nec gustu sit acris, nec ullo prorsus commendetur odore. At quauis hac tempestate a peritis rei herbariae medicis non parum improbentur ij, qui non in hac tantum stirpe, sed etiam in alijs quam plurimis defecere, cum tamen ipsi probatissimos auctores nusquam legerint, potius excusandi sunt, quam quidam forsasse aetatis nostrae scriptores, tam Graecae, quam Latinae linguae peritissimi; quibus res sole clariores propositae sunt, quiq; in simplicium medicamentorum cognitione ceteris praestantiores haberi uolunt, & ij longius nihilominus (ut arbitror) aberrant, quam ceteri. E quorum numero est Brafauolus Ferrariensis, uir sane doctrina, & fama clarissimus: qui dum innumera simplicia medicamenta declarare, explicare, & palam facere in suo simplicium examine studium impendit, etsi id in plurimis assecutus fuerit; in hoc tamen, alijsq; nonnullis (ut suis locis in his nostris commentarijs ostendemus) in tanto illustrium auctorum lumine mihi magis caecitate uidetur, quam qui ante ipsum in tenebris errauerunt. Is enim constanter asserit, Acorum a Dioscoride descriptum aliud non esse, quam eam acerrimam, & odoratam radicem, quam officinae Mauritanos secuta Galangam uocant. adeo ut maluerit cum Leoniceno errare, tantum sicut praecceptoris suo addictus, quam cum Manardo bene sentire. Sed quantum eius opinio a ueritate, quantumq; ab Acori historia recesserit, perquam facile probari potest. Quippe galangam folia iridis proferre apud Syrios nullo nobis testimonio constat: uerum quia cum cypero adeo conuenit, ut is huius nostris Galanga nonnullis dicatur; ideo non ab re credendum fuerit, galangam potius cyperi, quam iridis folio prouenire. Praeterea quod galanga radices habeat iridis, nec mihi quidem uidetur, nec illum id affirmare existimo. neque illud etiam ui-

inhabitans, ubi apud probatissimos auctores nusquam legitur, odoratum calanum oriri. Quamobrem non potui non maxime Brasauolum admirari, quod sibi tam facile persuaserit, uulgarem calanum legitimum, & odoratum calanum esse, à Dioscoride, Theophrasto, Galeno, & Plinio non in radicem, sed in arundinum genere descriptum. nam (ut suo loco de calamo odorato agentes latius explicabimus) is arundinea est fistula, non autem radix. Sed de his haecenus. Acori meminit Galenus lib. vi. de simplicium medicamentorum facult. sic inquit. Acori uimur radice, quae gustu acris est, & modice amara, odoreq; non iniuicunda. Vnde constat, quod facultatis calidae est, & consistens tenuis. Huic consentaneum est, ut urinam moueat, & lites induratos iuuet, tum ceratoidis crassitiam detergeat, simulq; extenuet. Sed ad hoc melior est ipsius succus. Omnino uero siccificum esse clarum est. Et sane ordinis esto tertij in utroque, in calfaciendo scilicet, & desiccando. Haec Galenus. Sed quando hic aliquid dicere de

Acori uires ex Galeno.

10 Galanga occurrerit, eum à Dioscoride, alijsq; antiquioribus Graecis nihil de ea memoriae proditum sit, differam ego de hac, quae à Mauritanis, & alijs sum consecutus. Est itaque GALANGA duplex: maior altera, altera minor. Minor tenuis est radix, interius & exterius in purpura rufescens, geniculata, internodijs quibusdam reflexa, odorata, sapore admodum acris, adeo ut mansa piperis, & gingiberis modo linguam, & fauces exurat, odore formaq; cypero similis. quapropter quibusdam cyperus Babylonicus dicitur. In Italianam namq; tam ex Memphi, quam ex Syria transfertur. Optima quae fuerit grauis, densa, saturate rufa, odorata, & gustu acerrima: Non desunt tamen impostores, qui cyperi radices contorquentes, aceto, & pipere macerent, & pro Galanga uenditent. uerum fraus facile deprehenditur: quippe abrafo exteriori cortice, nulla in radicis substantia acridinis nota, nullusq; galangae sapor percipitur. At maior, tamesi longe crassior sit radix, ignauior tamen est, & uiribus infirmior, colore etiam diluitor, minusq; odorata. Galanga calfacit, & siccat ordine tertio. Proinde uentriculum

20 roborat, & eius dolores tollit: si tamen à frigore, uel flatu proueniant. Naribus admota frige facto cerebro utilis est: ore retenta anhelitum commendat. Facit & ad cordis palpitationem, si è plantaginis succo bibatur: coeliacos sanat, & coli dolores mulcet, qui à flatu oriuntur. Prodest flatuosis uteri affectibus: uenerem roborat: renes refrigeratos calefacit. in summa frigidis morbis omnibus succurrit. Ceterum omnino explodenda est Monachorum in Mesue scribentium opinio, qui contra Brasauolum & Fuchsum quasi uelle uidentur, Galangam potius odoratum iuncum esse, quam Acorion. quod tamen plane falsum omnibus iam compertum esse non dubitanus. Quod Graece ἀκορον, Latine etiam Acorion appellatur: Arabice, Vage, seu Vgi: Italice, Acoro: Vulgo medicorum & seplasiariorum Calamus aromaticus.

Galange consideratio.

Monachorum opinio falsa.

Nomina.

ΜΕΟΝ.


MEON.

CAP. III.

30

40

50



MEON, quod Athamanticum uocant, in Macedonia, & Hispania plurimum gignitur, anetho folijs & caule simile, sed eo crassius: binum ferme cubitorum altitudine attollitur: sparsis in obliquum, rectumq; radicibus, longis, tenuibus, odoratis, linguam excalfacientibus. Quae seruescunt ex aqua, uel tritae citra coctionem, praclusorum renum, uesicaeque sacrae uitia potu leniunt: urinae difficultati medentur: stomachi inflationes discutiunt. Torminibus, affectae uuluae, articulorum doloribus, atque fluxionibus pectoris, tritae cum melle in eclegmate auxiliantur. Sanguinem per mēstrua pellunt, defelsionibus seruescunt: infantibus autē illitae imo uentri, urinas mouent. Quod si plus quam deceat, ex his bibatur, caput dolore afficiunt.

Meon confideratio.

CREDIDIMVS superioribus annis, legitimum Meon non oriri in Italia, nec eò aliunde aduehi: primum quod Mei uicerentur seplasiarj quibusdam albicantibus radicibus, sapore pastinacae simili: deinde quod etiam Plinij tempore rarum esset in Italia. quippe qui scripserit non seri in Italia Meon, nisi à medicis, ijsq; admodum paucis. Quod procul dubio indicare uidentur, usque ad Plinij aeuum peregrinum in Italia fuisse Meon. Sed cum herbariorum quorundam diligentia, quaedam nuper reperta sit planta quae folijs constat anethi, caule bicubitali, radicibus nigricantibus, longis, & in obliquum, rectumq; sparsis, grauius odoratis, acrisq; quam legitimum esse Meum, omnes ferè rei herbariae periti unanimes affirmant, ne uidear mordicus tenere opinionem, facere equidem non possum, quin in eorum sententiam deueniam: tamesi in contrarium aliqua sese offerat ratio, quod scilicet huiusce plantae radices odorem non usque adeò gratum spirent, sed quādamtenus grauius oleant, nec tenues cernantur, ut Dioscorides inquit. Plinius Meo folia aniso similia reddidit, uocum fortasse similitudine deceptus. siquidem Dioscorides anethi folijs Meum oriri tradidit. Nobilius quod Athamanticum uocant, ita dictum, quod ab

Mei confideratio.

Mei confideratio.

ab

Mei vires ex Galeno. ab Athamante Aeoli filio inuentum sit, uel quod præstantissimum in Athamante Phibitidis proueniat. Meminit Mei Galenus lib. VII. simplicium medicamentorum, his uerbis. Mei radices peritiles sunt, calidæ tertio ordine, sicca secundo: proinde urinam, mensesq; ciere uolentes hoc utuntur pharmaco. Sed si plusculum sumatur, capiti dolorem mouet, utpote cum plusculum sit calidum, quam siccum. quippe quod eius caliditas humiditatem cruditiorem etiãnum, & flatuosiorẽ ad caput deferat, atque ita ipsum afficiat lædatq;. Μῆονίτα Græcis uocatum, Latinis Meum dicitur: Arabibus, Mu: Italis, Meo: Germanis, Baer uurtz, seu Hertz uurtz: Hispanis, Pinillo.

Nomina.

Κύπερος.

CYPERS.

CAP. IIII.



Cyperis generi, & consideratio.

Curcuma cyperi genus.

Lectio Serapionis deprauata.

CYPERS, quem aliqui erysiceptrum, ut aspalathum appellant, folia fert porraceis proxima, sed longiora, & exiliora: caulem odorati iunci, cubitalem, aut maiorem, angulosum: in cuius cacumine minuta folia cum semine exoriuntur: radices, quarum in medicina est usus, cohærentes inter se, oleis oblongis similes, aut rotundæ, nigro colore, suaui odore, amaro gustu. In lacunosis, palustribus, & cultis nascitur. Optima est grauisissima, densa, fractu contumax, plena, & aspera, odoris cum quadam acrimonia iucundi: qualis est Cilicia, Syria, & quæ à Cycladibus insulis petitur. Huic calida uis inest. Venarum spiracula laxat: urinam ciet: ad calculos, aquamque subter cutem utilissimè bibitur: aduersus scorpionum ictus remedio est: perfrictionibus vuluæ, & præclusionibus fotu prodest: pellit menses. Contra ulcera oris, etiam si depascent, uorentq;, farina eius efficax est. Malagmatis calfacientibus, & unguentorum spissamentis benè adijci solet. Aliud Cyperi genus tradunt in India nasci, gingiberis effigie: quod manducatum croci uim reddit, gustu amaro sentitur, & illitum præsentem psilothri uim exhibet.

TAMETSÌ unum tantum Cyperi genus memoriæ prodiderit Dioscorides, cuius radices inter se cohærentes oblongas referunt oleas, aut omnino rotundæ sunt; uisitur tamen Cyperus in pluribus Italiae locis, qui radicibus constat longis, geniculatis summo cespite uagantibus, colore in purpuram nigricante. Nascitur hoc Cyperi genus laudatissimum prope Timai fontes circumstantibus palustribus locis in Iapidae sinibus, galanga uocatur (ut paulo ante diximus) persimile, non tantum facie, sed etiam odore.

Commendatur etiãnum odore is, qui in Hetruria prouenit, radicibus ferè filipendulæ æmulis. sed non ob id illi fuerit præferendus, quem Syria mittit: quandoquidem hic longè odorator est, & subamarus. Cyperi meminit Plinius lib. XXI. cap. XVIII. ubi de iuncis egit, sic inquit. Quidam etiãnum unum genus faciunt iunci trianguli, cyperon uocant. Et paulo inferius: Cyperos, ait, iuncus est, ut diximus, angulosus, iuxta terram candidus, cacumine niger, pinguisq;: folia ima porraceis exiliora, in cacumine minuta, inter quæ est semen: radix oliuæ nigrae similis, quam cum oblonga est, cyperida uocant, magni in medicina usus. Reperitur Cyperus quandoque etiam quadrangulari caule. unde non mirum, si quadratum iuncum eum uocauerit Cornelius Celsus lib. III. cap. XXI. At Dioscorides in hac facultate præclarissimus, utranque differentiam colligens, nec triangulum, nec quadrangulum Cyperum dixit, sed angulosum. Optimus defertur ad nos ex Syria, & Alexandria Aegypti, in cuius defectu Italicum supponunt officinæ. Non desunt, qui differentiam ponant inter Cyperum, & Cypirum Plinium secuti, qui libro, & capite citatis, Cypirum gladiolum esse affirmat, Cyperum uero angulosum odoratum iuncum. Sunt tamen Dioscoridis interpretes, qui utroque uocabulo pro eodem indifferenter utantur, eo quod (ut rectè Hermolaus adnotauit) penultimam Cyperi quandoque diphthongo longam, quandoque uocali breuem Græci scribant. Est apud Plinium & cypirus arbor ocysime crescens, & pseudocypirus frutex, ut lib. XVII. cap. XIII. ipse scriptum reliquit. Ceterum id Cyperi genus, gingiberis effigie, quod India mittit, eam esse radicem peritiores medici putant, quam officinæ Mauritanos secus Curcumam uocant. Nempe præ se fert hæc notas sanè omnes, quas Indico Cypero reddidit Dioscorides. quandoquidem gingiberi similis est, eius odorem ferè redolet, gustu subamarescit, & mansa croci modo inficit. Quibus illud etiã accedit, quod depuratorijs medicamentis quibusdam immiscetur. Veruntamen sciendum est, hanc non esse Curcumam à Serapionis interprete pro chelidonio descriptam: ipse enim nil aliud pro curcuma intelligit, quam Dioscoridis chelidonium. quo fit, ut non desit suspicio erroris uel interpretis, uel scriptoris, cum curcuma neque Mauritanum, neque Græcum sit uocabulum: Aphri enim chelidonium Kauroch appellant. unde palàm est, Curcuma pro Kauroch in Serapione deprauatè legi. Quo factum est, ut priores tum medici, tum seplasiarij, qui nunquam hæc perpenderunt, fuerint hallucinati. quippe cum eos lateret, cuiusnam plantæ

te radicem Indica Cyperus referret, chelidonij maioris radicem esse crediderunt ob crocei succi similitudinem. Itaq; Serapionis deprauatam lectionem secuti, Indicum Cyperum curcumam uocauerunt. Indici cyperi meminuit Serapio Dioscoridem secutus, proprio capite de Cypero. Ex quo aperte constat, curcumam Serapioni deprauate inscriptam, seplasarum curcumam, quae procul dubio Indicus est Cyperus, esse nequaquam. Cyperum recensuit Gal. lib. VII. simplicium med. ubi sic inquit. Cyperi radices maxime usui sunt, excofacientes pariter & exiccantes absque mordacitate. Itaq; ulceribus, quae praenimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirifice prosunt: habent enim quiddam etiam adstringens: quapropter ulceribus item oris conueniunt. Quin & incidendi uim quampiam illis inesse testificandum, quae & calculo uexatis congruunt, & urinam, mensesq; prouocant. Planta, quae Graeca uoce κάρδαμον, Latina Cyperus nuncupatur: Arabica, Saheade: Germanica, Vuilder galgan: Hispanica, Iuncia de olor, & Iuncia auellanda: Gallica, Souchet.

Cyperii uires ex Galeno.

Nomina.

Καρδάμων. CARDAMOMVM.

CAP. V.

CARDAMOMVM optimum est, quod ex Comagene, Armenia, Bosphoroque deuehitur. in India quoque, & Arabia prouenit. Eligi debet plenum, frangenti contumax, oclusum, sarctumque (quod enim huiusmodi non est, exoletum iudicatur) & gustu acre, subamarum, & odore caput tentans. Excofactoriam uim habet: potumque ex aqua facit ad comitiales, ischiadicos, tusses, neruorum resolutionem: item ad rupta, uulsa, tormina: latus uentris tineas excutit. Ex uino autem potum renibus, difficultati urinae, à scorpione ictis, neque non omnibus uenenum vibrantibus, auxilio est. Cum cortice radice lauri epota drachma, calculos comminuit: partus fuffitu enecat: scabiem ex aceto illitum adimit. Et ad unguentorum spissamenta additur.

Cardamomi consideratio.

LEGITIMVM Cardamomum nostra tempestate nec cognosci, nec minus à mercatoribus, qui ex Syria, uel Aegypto arcumata ad nos conuehant, deferri compertum habeo. Quo fit, ut medici, ac pharmacopeci in componendis medicamentis eque errent in Cardamomo, atque in alijs compluribus, quod Cardamomi loco uarijs quibusdam seminibus, odoratis tamen, indifferenter utantur. Quorum primum Cardamomum maius: secundum Nigellam, quod melanthij est genus: tertium uero Meleghettas, uel grana paradisi nuncupant; cum tamen eorum nullum nec Graecum, nec Mauritanum sit Cardamomum. quandoquidem aliud Graeci, aliud uero Afri pro Cardamomo intelligunt, ut apertissime testatur Serapio, qui quam plurima simplicia medicamenta ex Dioscoride, & Galeno transcripsit. Is enim (ut sua declarant monumenta) Dioscoridis Cardamomum Cordiuenum appellat. deinde auctore Isach Arabo sui Cardamomi peculiare caput insinuauit, idq; Saecolam sua lingua nominat: quin & diuim esse generum tradit, al-

Cardamomi consideratio.

PIPER INDICVM.



terum maius, alterum uero minus. quorum nullum non modo Dioscoridis Cardamomo respondet, sed nec etiam ulli eorum, quibus officina indifferenter utuntur. Probatum itaque primum, quod omne officinarum Cardamomum Dioscoridis Cardamomum esse non possit, pluribus tum notis, tum etiam qualitibus. quippe quod haec in uniuersum parum, uel fere tantillum densa sint, frangenti non contumacia, & gustui nihil amaroris relinquunt. Quod praeterea ab Arabicis distent, si eum illis comparentur, facile disparitas deprehenditur. siquidem Serapioni maius Cardamomum semen est plantae, quod oblongis quibusdam concluditur capitibus, iis sane similibus, quae à rosis prodeunt, granis obnigris, rotundis, pipere longe maioribus, in quibus minuta semina concluduntur, angulosa, sarcta, & odorata: minus uero nullo contegitur capitulo maioris modo, quamquam colore conueniant. Quod plane indicat, omne officinarum Cardamomum nec Arabum esse, nec pariter Graecorum, sed potius ab utrisque maxime differre. Quare putauerim, illud falso sibi persuasisse Monachos, qui in Mesuem scripsere, quod Arabum Cardamomum minus illud semen sit, quod seplasia Meleghettas uocant, Andreae Bellunensis, qui Auicennam mendis expurgauit, auctoritate freti. Sed cum Bellunensis id asserat uulgari tantum opinione ductus; cumq; nota minime eorum sententia adstipulentur, errasse Monachi facile deprehenduntur. Semina enim, quae Meleghettas appellant (ut omnibus plane constat) capitulis excepta suboriuntur, quod minori Serapionis Cardamomo non euenit. Crediderunt, Ruellius in suis de natura stirpium libris, & Fuchsius in sua methodo, id omnino Mauritanorum esse Cardamomum, quod nos PIPER INDICVM, alij siliquastrum appellant. uerum cum planta haec folijs exeat hortensi solano similibus, floribus luteolis, fructu longo corniculorum instar, qui primo exortu uirescat, maturus uero adeo rufescat, ac laeuore quodam ita peluceat, ut corallium referat, & in quo concludatur punilium semen, lentum

Monachorum error.

Ruellij & Fuchij lapsus. Piperis Indici mentio.

lentium modo compressum, usque adeo acre, ut ori tantum admotum maxime linguam, & palatum exurat, exulceretq; ambo hac in re lapsi deprehenduntur. Nam etsi Indicum piper in hisce corniculis rosarum fere modo suum includat semen, reliqua tamen Serapionis Cardamomo nullis notis correspondent: hoc enim suis in uasculis globulos quosdam concludit, non lenticulis similes, sed rotundos, & pipere crassiores, qui intra se minutum quoddam semen continent. Huc etiam accedit, quod eum hoc piper corniculatum, tum semine, tum corniculis ipsis tanta sit acrimonia præditum, ut non modo mansum, sed ori tantum admotum statim quasi ignis exurat, absurdum utique fuerit credere Serapionis Cardamomum esse, cum dixerit ipse magis adstrictoria facultate pollere, quam acri. Ceterum scribit Auicenna maius Cardamomum grana ciceribus atris, minus uero lentibus minora proferre. Quod cum fortasse Ruellius haud recte percepisset, ei errandi ansam præbuit. quippe minori Cardamomo, non autem maiori semina lentium modo nasci ait Auicenna: quæquam Ruellius, ut suam tueatur sententiam, secus forte legert Auicennam.

Cardamomi genera ex Plinio.

Plinius lib. XII. cap. XIII. quadruplex esse Cardamomi genus scribit, sic inquit. Simile est amomo Cardamomum & nomine, & frutice, semine oblongo. Metitur eodem modo & in Arabia. Quatuor eius genera. uiridissimum ac pingue, acutis angulis, contumax fricanti, quod maxime laudatur: proximum è raso candicans: tertium breuius, atque nigrius: peius tamen uarum, & facile tritu, odorisq; prauo, quod uerius costo uicinius esse debet. Hoc & apud Medos nascitur. hæcenus Plinius. Sed nescio quos auctores sit secutus. quandoquidem tam Dioscoridi, quam cæteris Græcis, unum tantum extet Cardamomi genus. In cuius defectu supponit Galenus aut myrrinum, aut cyperum. Qui præterea Cardamomi meminit lib. VII. simplicium medic. his uerbis. Cardamomum est sanè facultatis admodum calidæ, non tamen usque adeo, ut nasturtium; sed quanto suauius, magisque fragrans est nasturtio, tanto & imbecillior ei calida facultas inest: nec enim ulcerare idoneum est uel ipsum per se illitum. Porro adiunctum habet quiddam etiam amaritudinis, qua lumbricos interficit, & cum aceto ualenter psoras detergit. Cardamomum, καρδάμωμον, quod non secus Latine atque Græcè uocatur: Arabibus Cardamoni: seu Cordiumeni: Germanis, Cardamomelin.

Cardamomi uires ex Galeno.

Nomina.

NARDVS INDICA.

Νάρδος. NARDVM. CAP. VI.



Duo Nardi genera: unum Indicum, alterum Syriacum appellatur, non quod in Syria proueniat, sed quod montis, in quo oritur, pars una ad Syrios, pars altera ad Indos flectitur. Ex hoc Syriaci genere, præcipuum est recens, & leue, largam gerens comam, flauum colore, perquam odoratum, ac cyperum redolens, breui spica, amaro sapore, linguam siccante, quod diu in sua odoris gratia permaneat. Ex Indico autem Nardo quoddam Gangitis uocatur, à fluuio Gange, apud quem enascitur, montè præterfluente: quod genus ob multam loci, in quo prodit, uliginem, uiribus infirmius est, atque procerius adolescit, plures ferens spicas, ab unica radice comosas, vnâque conuolutas, ac grauiter olentes. Montanum autem odoratius, spica breui ac mutila, odore cypero uicino, cæteras habens Syriaci dotes. Est & genus quoddam, cui Sampharitico nomen locus indidit, frutice breui, in magnas se spargens spicas, candidiore interrim medio caule, hircorum uirus supra modum redolente: quod improbat. Madefactum uendi solet. quod uitium ex eo deprehenditur, quod candida sit spica, & squalida, suaque careat lanugine. Adulteratur stibio cum aqua, aut palmeo uino, inspissationis ponderisque causa inspirato. Intueri autem oportet, si lutum radicibus infideat, & incerniculo puluerem excutere, eluendis manibus utilem. Vim habent excafactoriam, & exiccantem. Vrinam mouent: aluum potu sistunt: vuluæ profluvia, sanieque apposita supprimunt. Nauseæ ex aqua frigida auxiliantur, & stomachi rosionibus, inflationi, iecinori, regio morbo, renum uitij. Aquæ autem incoctæ fotu ad infesum, vuluæ inflammationibus medentur. ad glabras oculorum genas ualent: siquidem eas ad denfioem pilum reducunt. perfusis humore corporibus insparguntur. Miscentur antidotis, & in fictili nouo non picato ad ocularia medicamenta reconduntur, trita in farinam, & cum uino in pastillos coacta.

Nardi Indicæ & Syriacæ cõsideratio.

NARDVM officinæ Nardi spicam appellant. Sed non desunt, qui credant Indicam nardum in Italiam non aduechi ob regionis distantiam, Syriacam opinantes esse, qua nostro æuo seplasiarij utuntur: tamen si (ut inquit Dioscorides) in Syria non oriatur, uerum ideo Syriacam dici, quod ea montis parte proueniat, quæ flectitur ad Syrios. At cum inter Indos, & Syrios amplissime interponantur regiones, nempe deserta Arabia, Persis, Carmania, Gedrosia, Darangia, aliæq; non nullæ, quæ ultra quatuor millia miliariorum continent, nesciuerim profecto, quoniam pacto fieri possit, ut mons ille ad Gangem positus, altera parte Syriam tam facile respiciat, ut Nardus ea parte proueniens Syriaca dici mereatur. Quo fit, ut quandoque mecum disquirere licuerit, eam potius à Syrastræne regione, quæ ad Indicum fluuium est, Syrii nomen sibi asciuisse, quam à Syria. quandoquidem, si Ptolemæus uera refert, mons

in India uisitur, qui à Gange fluuio ad Syraſtenem extenditur. Abſurdum enim eſſet credere, Nardum ad nos non deſerri ex India, cum in Syria nuſquam proueniat, cumq; multa India aromata, nulla diſtantiæ habita ratione, per carouanas (ut uocant) in Alexandriam Aegypti conſerantur: cum quibus nec temerè credendum eſt, quin Nardum etiam conuehant mercatores; præſertim cum certò ſciam, Nardum Venetias ex Alexandria aſſerri: nec eam alibi, quàm in India naſci, Dioscoridis teſtimonio ſatis apertè monſtretur; eſſi Plinius contrà ſcribat naſci in Syria Nardum, præter eam quam India mittit Syriacam Dioscoridi appellatam. Cæterum Manardus Ferrarienſis, officinarum nardum nec Indicam, nec Syriacam eſſe cenſet. In cuius ſententiam non equidem pedibus eo, eſſi medicæ materiæ is clariffimus fuerit indagator. quippe quoniam Venetijs pluribus in locis Nardi ingentem copiam uidi, leuis, comosæ, perquam odoratæ, cyperum redolentis, flauæ, ſubamaræ, & manſæ non modò linguam exiccantis, ſed odorem etiam non iniucundum per os aſpergentis, nulliq; deficientibus notis, quibus optima nardus ex Dioscoridis ſententia explorari poteſt. Sed plerunq; accidit, dum per Indicum, & Arabicum mare in Alexandriam deſeritur, & inde Venetias, ut aſcito ſibi maris humore (id nanq; facile fit, quòd Nardus ſit ſicciffima) uel ſitum contrahat, uel ſubputreſcat: unde poſtea amiſſa ſua uolentia, grauius oleat. Quo fit, ut hæc in re Manardum longè hallucinatam crediderim: qui ſi rectè perpendifſet, quæ Nardi pars ſit ſpica, atq; in emporijs, ubi numerofa, præſantiſſimãq; uiſitur, accuratius ipſam expendiſſet, non equidem uereor, quin aliter de ea ſcripſiſſet. Verum enim uero cum planè ignorafſet, quæ nardi pars ſpica eſſet, ſelectamq; & incorruptam Nardum minime nouiſſet, lib. VI. epiſt. III. ſcribit, Galenum de nardi ſpica, quæ antidotis admifcet, loquentem, radicem quidem, non ſpicam intelligere. Et utinam, inquit, quæ nobis aſſertur, legitima eſſet: ſed quòd ea ipſa non ſit, cognoſcitur, quòd nulla odoris ſua uitate commendetur. Et lib. VIII. epiſt. I. inquit. Galenus lib. I. de antidotis in theriacæ compoſitione Nardi radicem tantummodo admifcet, eo quòd uiribus ipſa præſtantior ſit: ſpicam uerò paruipendit, & pro nihilo habet. Quod ſanè declarat, Manardum hæc Galeni ſententiam perperam accepiffe, atque etiam Nardi hiftoriam ignorafſe. quandoquidem nardi radix nil aliud eſt, quàm ſpica, ut ipſemet teſtatur Galenus eodem de antidotis libro, ſic inquit. Iubet Andromachus adijcere nardum Indicam: ea uerò eſt, quam ſpicam uocant, non quòd ſpica ſit, radix etenim eſt; ſed quòd ſpicæ formam referat. Quibus palàm eſt, idem eſſe nardi ſpicam, & nardi radicem, ut etiãnum declarat idem Galenus lib. IX. de compoſitione medicamentorum ſecundum locos in Philonis antidotum ſcribens, dum inquit. Quin & nardi ipſius drachmam unam conijciendam cenſet, quam falſi nominis radicem dixit, quandoquidem ſpica nardi nominatur. Quapropter idem lib. VII. ſimp. medic. de Nardo caput facturum, illud inſcripſit Nardi ſpica, ut pote quæ pars ſit in tota ſtirpe præſtantior, minime quidem ignorans, ſe radicem nardi deſcribere. Nam ſi ſenſiſſet, ſpicam à radice diſſerre, eam planè ſilentio præteriſſet tanquam inutilem, & capiti nomen indiſſet aut generaliter ab ipſa Nardo, aut à radice tantum, uti uiribus præſtantiore. In hoc, ac longè maiori uerſatur errore Braſauolus. ſiquidem ſuo de ſimplicium examine Nardi ſpicam non modò non eſſe radicem cenſet, ſed nullius uſus eã exiſtimat, ſic inquit. Venetijs ſpicam, caulem, & radicem emes, quanuis & ipſi adulterent. Iubeo autem radicem, & caulem emere, quoniam hæc apud antiquos auctores, ut Dioscoridem, & Galenum magis in uſu medico ſunt, quàm ſpica: quippe folia abiicit Dioscorides; ad nos tamen ſpica non deſeritur, ſed radix. Hæc ille. Sed mehercule quantum ex Dioscoridis ſcriptis percipere potui, nunquam haſtenus ſum conſecutus, quòd ipſe ex omnibus nardi partibus aliam præferat, quàm ſpica. Quòd autem crediderit ipſe ſpicam in Nardo uiribus magis præſtare, quàm cæteræ eius partes; quòdq; cum de Nardo ſcribit, tantum de ſpica intelligat, apertè oſtendit, cum inquit. Ex nardo Syriaca dicta melior eſt recens, & leuis, largam gerens comam, &c. Quippe leuitas, ac comæ magnitudo, nullis nardi partibus, præter quàm ſpicæ competunt; præfertimq; cum ipſa non uacet cæteris notis, quas illi tribuit Dioscorides. Ad hæc nulli ſanè incertum exiſtimo, Dioscoridem huiusce libri initio in probandis tantum radicibus, quæ odore commendantur, operam impendere, nempe iridis, acori, mei, nardi, phariſari, & huiusmodi ſtirpium generum, non autem in efferendis caulibus, floribus, folijs, ac ſpicis, quæ caulium ſummitatibus innafcantur. Quo fit, ut etiam fateri liceat, Braſauolum ignorafſe ſpicam ipſam eſſe nardi radicem: quin potius pro certo credidiſſe in plantæ ipſius nardi cacumine, non in radice oriri ſpicam, quæ tamen Galeno teſte radix eſt, & cæteris nardi partibus præſtantior. quandoquidem ſi aliter reſe haberet, commoda longè plura radicibus ex more redderet Dioscorides, quàm ſpicæ. Quòd præterea Galenus plus laudauerit Nardi caules, quàm ſpicam (ut aſſerit Braſauolus) nuſquam comperitum habeo. Cæterum quanta ſententiæ inconstantia Nardi hiftoriam idem deſcripſerit, ex ſuo poſteriori ſimplicium examine, in quo ultimam manum impoſuiſſe fatetur, facile conijcitur, dum ſenem ſecum colloquentem inſtruit, his uerbis. Ne igitur in his montibus nardum queras, ſed Venetijs ſpicam, caulem, et radicem emes. At ſui ipſius ſtatim oblitus uidetur non multis poſt lineis, cum inquit. Aliud uerò ſunt ſpica, & flos, quæ ad nos non aſſeruntur. Ex quo facile crediderim, ipſum non modò Nardi hiftoriam confudiſſe, atque etiã, quòd peius eſt, corrupiſſe; ſed etiam ſibi ipſi, uel potius ſeni uerba dediſſe. primum nanque ait Venetijs ſpicam, caulem, & radicem reperiri: mox ſpicam ad nos aduehi negat. Sed ante hos hæc in re Plinium quoque grauius hallucinatum inuenio: quippe qui libro & capite XII. in Nardi ipſius hiftoria longè diſideat à Dioscoride & Galeno, quin & à cæteris materiae medicæ auctoribus, dum ita ſcribit. Nardum ſi ut ex eſt graui, & crassa radice, ſed breui, ac nigra, fragiliq; quanuis pingui, ſitum redolente, cyperi odore, aſpero ſapore: folio paruo, denſoq;. Cacumina in Ariſtas ſe ſpargunt: ideo gemina dote Nardi ſpicas, ac folia celebrant. hæc Plinius. Cuius doctrinam ſecuti, non modò Ferrarienſes illi, ſed Hermolai, & Ruellius, ipſi quoque pariter aberrarunt. ſiquidem Ruellius (ut puto) nulla alia de cauſa aſſerit, ſe in officiis Nardum uidiſſe, cui inerant dotes omnes illi à Plinio redditæ, quàm ut Plinianam tueretur lectionem. Quòd tamen falſum eſſe arbitramur. Ego enim tametſi Nardi quàm plurimum in Venetijs officiis diligenter examinauerim, ac ſelegerim; aliud tamen, quàm ſpicam uidere mihi non licuit. Quapropter nullum inueniri Nardum exiſtimo,

Manardi opinio reprobat.

Braſauoli error.

Plinij lapſus.

Ruel. & Hermolai error.

c quod

Dilutio cuiusdam obiectio-
nis.

quod in caulium cacumine spicas proferat, quemadmodum tradidit Plinius, asserit Ruellius, & contendit Brasauolus, contra Galeni, & Dioscoridis sententiam. Qui Nardum describit plures ferre spicas, non quidem à caulibus, sed ab una tantum radice prouenientes: non tamen quòd alia radix uribus præstans spicis ipsis subbit, sed quoniam, cum plures in radice sint spicæ, necesse est, ut basi, uel firmamento aliquo consistant, à quo originem trahant, ut in allio & lilij radicibus conspicitur. Quod pro explorato confiteri possum, cum sæpenumero Venetijs Nardi spicæ cespites uiderim, tum figura, tum etiam spicarum connexu allium referentes, ut unusquisque pro arbitrio experiri poterit. Verùm enim uero ut probè responsum sit omnibus ferè obiectio-
nibus, dicimus, quòd si fortè reperirentur, qui assererent illas esse proprias Nardi radices, quæ capillaceis fibris à spicarum basi oriuntur, ut in allio, cæpis, ac bulbaceis omnibus uisitur, & ea propter spicas ijs adnexas non esse Nardi radices, sed per se partes ab his admodum differentes, potest eorum obiectio facile dilui Theophrasti testimonio. Siquidem is lib. primo cap. x. de plantarum historia aperte declarat, in allio, cæpis, bulbis, lilijs, ac alijs eius generis, & per consequens in spica non solum dici radices ea capillamenta, quæ bulbaceis illarum plantarum capitibus subiiciuntur, sed etiam id bulbaceum totum, quod terra reconditur. Et ut res ipsa clarior omnibus sit, generali regula expressum uoluit, quòd totum id in quauis planta, quod sub terra obruitur, radix commodissime dicatur. Proinde uidetur Nardum ipsam inter radices idem memorasse Theophrastus lib. ix. cap. vii. de plantarum historia, his uerbis. Quibus ad unguenta utuntur, hæc ferè sunt, cassia, cinnamomum, cardamomum, nardus, nerum, balsamum, aspalathus, styrax, iris, narta, costus, panaces, crocum, myrrha, cyperus, iuncus, calamus, sampsuchum, lotus, anethum. Horum alia radices, alia cortices, alia rami, alia ligna, alia semina, alia lacrymæ, alia flores. Quibus palàm est, non posse Nardum nisi inter radices recenseri, cum nec corticis, nec ligni, nec rami, nec floris, nec seminis, nec tandem lacrymæ speciem præ se ferat. Quod cum rectè sciisset Galenus tum lib. i. de antidotis, tum ix. de comp. medic. secundum locos, Nardi spicam radicem esse declarauit. Verùm longè ab omni Nardo distat NARDVS ITALICA, quæ nostris uulgò uocatur Spigo.

NARDVS ITALICA.

LAVENDVLA.



Nardi Italicæ
genera, & ui-
res.

Cuius etiam generis ea est planta, quam aliqui uulgò appellant Lauanda, alij uerò Lauendula. adeò ut hæc fœmina, illa uerò mas in eo genere à quàm plurimis uocentur. Mas folio constat latiore, longiore, crassiore, robustiore, albidioreq; quàm fœmina. Sed utraque planta fruticosa, & rosmarini modo, innumeris referta est folijs: è quorum medio iuncea exeunt cauliculi, quadranguli, tenues, dodrantalem longitudinem excedentes: in quorum cacumine flores exeunt spicati, colore purpureo, quanuis in fœmina diluiores, patentioresq; odore fragrantés, uerùm usque adeo acuto, ut nares feriat. Excalfaciunt, & exiccant ambo ordine secundo completo, uel tertio inchoante, uribus à Nardis omnibus nõ longè recedentibus. Conferunt omnibus cerebri ægritudinibus à frigido proueniētibus: conuulsis, resolutisq; auxiliantur: uentriculū roborant, & iccur ab infarctū liberant: quin & obstruosos lienes iuuant: uterum

rum

rum calefaciunt, & menses, & secundas educunt. Fit e floribus stillatitium oleum vitreis organis, quod proprie unguentarij uulgo uocant olio di spigo, odoris adeo acerrimi, ut cetera odoramenta superet. quo fit, ut extra officinas illud asseruent, ne moschi, ambari, zibetti, aliorumq; unguentorum, & aromatum suauitatem intercipiat. Nardi Indicae uires scripsit Galenus lib. viii. de simplicium medicamentorum facultate, sic inquit. Nardi spica exalfacit excessu primo, & desiccatur secundo iam completo. Composita est ex adstringente sufficienter substantia, & acri calida non multa, & quadam leuiter amara. Ex his constans facultatibus radix & ad iecur, & ad stomachum rationabiliter conuenit tum pota, tum extrinsecus imposita. Vrinam ciet, morsus stomachi sanat: in uentre, ac intestinis consistentes fluxiones desiccatur, ad haec & eas, quae in capite, & thorace. Valentior est uocata Indica, nigriorq; quam Syriaca uocata. *Νάρδος*, & *νάρδου σάχχης* sic Graecis dicitur, ut Latinis Nardum, & Nardus, seu Nardi spica: Mauritanis, Stumbel, aut Scubel: Germanis, Edelschemb, Vuolricchent, Spicken nardi: Hispanis, Azumbar, aut Espiga sil: Gallis, Aspic do ultramer.

Nardi Indicae uires ex Gal.

Nomina.

Νάρδος Κελτικη.

NARDVM CELTICVM.

CAP. VII.



CELTICVM Nardum nascitur in Liguria alpibus, aliungia patrio nomine appellatum: prouenitque in Istria. Exiguè fruticat, & cum radicibus in manuales fasciculos componitur. Folia habet oblonga, colore in flauum languido: florem luteum. Caulium, & radicem duntaxat usus est, & odoris suauitas. vnde pridie fasciculos aqua ablueri expedit, & exempta terra, pauito solo atque humenti, subiecta charta reponere: postridie repurgare. siquidem utile, cum aceroso alienoque propter humoris uim, non excutitur. Adulteratur imposita herba simili, quae hirculus uocatur, ab odoris grauitate. Sed facilis cognitio: nanque herba candidior est, sine caule, minus oblongis folijs, radice neque amara, neque odorata, uti uerum Nardum est. Itaque radices, atque cauliculi, abiectis folijs, triti secernuntur, uino excipiuntur, digerunturque in pastillos, & ita fictili uo diligenter operto, asseruari debent. Laudatur maxime, recens, iucundi odoris, radice numerosa cohaerens, plenum, nec fragile. Ad eadem, quae Syriacum, pollet: sed uehementius urinam ciet, & stomacho utilius est. Inflammationibus iecinoris, & felle suffusis auxiliatur. Contra stomachi inflationes, cum absinthij decocto bibitur: item aduersus lienem, renum & uesicae uitia, & uenenatos ictus, ex uino. Additur in malagmata, potiones, & calfacientia unguenta.

TANTA fuit ueterum, qui nos praecesserunt, negligentia, ne dicam ignorantia, ut non modo in ueram simplicium medicamentorum cognitionem, quae peregrina ex longinquis terrarum partibus aduehuntur, probatissimorum auctorum ope, uenire non elaborauerint; sed ne minimam quidem curam adhibuerint, communi reipublicae beneficio, ut de his saltem, quae in quam plurimis Italiae locis, ac alijs non longe distantibus inueniuntur, quicquam lucis assequerentur, ac posteris relinquerent. quin potius in suis multo uidentur negligentiores, quam in alienis. Nascitur Celtica nardus in Liguria alpibus, nascitur & in Istria, pariterq; in montibus non longe à Villaco Carinthiae oppido, & Iudemburgio Stiriae: attamen non ob id legitima in multis uisitur officinis: nec fortasse in ijs uideretur, nisi his nostris lucubrationibus annis superioribus Italico sermone editis, pharmacopolae plures diligentiores redditi, medicam materiam accuratius expendere coepissent. Sed id magis detestandum uidetur, quod ijs in regionibus, ubi Celtica nardus nascitur, magis hallucinentur homines, quam alibi. siquidem Genuae, quae Liguriae est ciuitas (nisi iam admoniti respiscant) alijsq; finitimis locis, ubi Celtica nardus facile haberi potest, tam medici, quam seplastarij aliorum ignorantiam secuti, illius loco, Lauanda sic uocata, uel nostrate Nardo passim utuntur. Quae quantum in historia omnibus notis, à Celtica nardo discrepent, quicumque primum rem optime perpenderit, ac deinde notis, & qualitates illi à Dioscoride redditae, cum Lauanda, nostratisq; Nardi notis comparauerit, manifestum eorum lapsum facile inculpare poterit. quippe Celtica nardus in breuem, exiguamq; plantam consurgit: Lauanda uero, & socia nardus magno exoriuntur caespite, ramosculis proceris, densissimisq; comantibus folijs. Illa folia fert subrubea, & flores flauo colore: haec autem folijs consurgunt incanis, floribus spicatis, & colore purpureascentibus. Illius caule, & radicibus utimur, quod hisce partibus maxime polleat: harum uero tantum flores commendantur. Quod satis clare demonstrat, quam facile decipiantur, qui tam leuibus & falsis feruntur opinionibus. Verum quoniam (ut in superioris Nardi mentione diximus) communi omnium sententia compertum sit, Lauanda spicaq; nostratis facultas ad omnia Nardi genera propius accedere; hoc tamen eos ab errore non uindicat, qui Lauandam Celticam nardum esse contendunt. Praeterea non desunt pharmacopolae rei herbariae penitus ignari, qui

Nardi Celticae consideratio.

Seplastariorū quorundā error.

c z pro

pro Celtica nardo plantam quandam incognitam emant arborescendentem, caule longo reflexoq; cuius folia, quæ colore subflavo constant, adeo densa ac minuta sunt, ut potius muscosam arborum, & lapidum materiam, quam aliud representent. At quod in uestiendis caulis ipsius ramusculis, eos tam dense circumdat, ut ferè spicæ effigiem præ se ferant, pro Celtica nardo ab impostoribus uenditur: sed hæc haud amarescit, nec ulla odoris præstantia commendatur. Ceterum ingens legitimæ nardi Celticæ proventus habetur in Stiria Austriæ, & Carinthiæ contermina, ubi Iudemburgensia rura suis e montibus quotannis innumeros comportant fasciculos, quibus magnos admodum replent saccos, & mercatoribus uendunt, qui in Syriam, & Aegyptum mercimonia conuehunt. Siquidem (ut ferunt) Syrijs, & Aegyptijs Celtica nardus maximè expetitur, ut balmis eam imponant, quibus frequenter utuntur. Celticam nardum ad me primùm misit Petrus Salicetus clarissimus medicus ex Grazio Stiria oppido: in cuius plantis & spicæ in radicibus, & folia, & flores in caule (ut appicta figura demonstrat) nullo impedimento cernebantur, adeo ut à Dioscoridis historia nulla ex parte recederent: nec ulla tamen spica in eius cacumine uidebatur, uti Ruellius & Brasauolus in Indica nasci scripserunt. Quamobrem nobis quoque iam liceat literis memoriaeque mandare, Celticam nardum non modò in Liguria, & Istria prouenire; sed etiam in Stiria, Carinthia, ac etiam alijs fortasse locis. quippe superiore anno ego huius nardi nonnullas inueni plantas in quodam Vipaci monte, qui tantum uiginti millia passuum à Goritia distat. Verùm si eo destituantur medici, commode Indicam supponere poterunt. An uerò Celtica nardus sit Saliunca, aut non, de qua Virgilius, & Plinius scripsere, etsi hæc inter se nullam habere cognationem pluribus comprobare possim; cum tamen ea parum, uel nihil rei medicæ conferant, silentio inuolenda duximus. quanquam eruditissimus Leoniceus non animaduertens Dioscoridem Aliungiam, non Saliuncam Celticam nardum appellasse, Plinium accusat. qua in re ipse potius deceptus fuisse uidetur: quemadmodum & Fuchsius, uir alioqui nostræ ætatis clarissimus. Is quidem in suo libro de componendis medicamentis, quem ultimo loco auctum edidit, ubi Diathamaron expendit, Celticam nardum à Saliunca nihil differre existimat. Plinius tamen locis separatis de utraque, tanquam herbis inter se differentibus tractauit. Neque eæ notis tantum dissident apud antiquos auctores, sed etiam natali solo. Dioscoridæ enim Celtica nardus in Liguria alpibus, atque in Istria prouenit. Plinio uerò Saliunca in Pannonia, & Noricis nascitur. Itaque Fuchsius ut Ruellij sententiam secutus, qui Celticam nardum Dioscoridi Saliuncam appellari affirmat, ita mihi & ueritate defecisse, & unà cum illo errasse creditur. quandoquidem Celtica nardus Dioscoridi ἀλιόν γυλα, non ἀλιόφυκον uocatur. Meminit Celticæ nardi Galenus lib. viii. de simp. med. facult. his uerbis. Nardus Celtica iam ductis nardis similis quadantenus in genere facultatis est. Ceterum ad omnia imbecillior, præterquam ad prouocandam urinam, siquidem calidior illis est, sed minus adstringit. Quæ planta Græcis νάρδος κελτική, Latins item Nardus Celtica; seu Nardum Celticum appellatur: Italis uerò Nardo Celtico.

Leonici, & Fuchij opinio.

Nardi Celticæ uires ex Galeno.

NARDVM MONTANVM. CAP. VIII.

MONTANVM Nardum, quod ab aliquibus thylacitis, & niris appellatur, in Cilicia, & Syria nascitur: caule & folijs eryngio similibus, minoribus, minimè tamen spinosis, asperisque. Radicibus binis nititur, aut pluribus, nigris, odoratis, ceu hastulæ regiæ, sed longè gracilioribus, & longè minoribus. Neque caulem, neque fructum, neque florem profert. Ad eadem, ad quæ Celticum efficac.

Nardi montanæ consideratio.

Bras. opinio non accepta.

Nardi montanæ uires ex Gal. Nomina.

VIDETVR in hoc capite Dioscorides non parum à se ipso dissentire, quod scripserit primùm montanam Nardum caule, & folijs esse eryngio similibus: mox prope capitis calcem eam scribat neq; caulem, neq; fructum, neq; florem proferre. Quapropter existimant tum Ruellius, tum etiam Marcellus id facile accidisse scriptorium incuria, qui uocum uicinitate decepti κλωδός pro κλωδός, uel κλωδός scripserunt. Verùm cum hæc dictiones ramos, uel surculos designent, quæ nomina potius arboribus conueniunt, quam herbis, sintq; idem rami in arboribus, quod caules in herbis; idcirco non uidetur hic locus, ut illi fortasse putant, à mendis uindicatus. Ceterum non crediderim ego, Dioscoridem, qui est hac in facultate facile princeps, & quem antiqua, & secuta ætas tantopere commendat, in tam paucis sui oblitum, adeoq; turpiter lapsum fuisse. quinimo nobis relinquatur suspicio, quod omnino in altera capitis parte uitium aliquod accesserit, non harum uocum uicinitate, sed potius scriptorum dormitantium negligentia, uel uigilantium temeritate. Quo factum est, ut hæcenus incertus dubiusq; fuerim, an hæc planta in Italia proueniat, uel aliunde eò afferatur. Quidam tamen ex his, qui rei herbariæ dant operam, ad nos hoc anno stirpem misit, cui binæ intærebant radices asphodeli figura, sed longè minores, phu, uel nardum redolentes: adeo ut hac parte montanam Nardum pulchrè præ se ferre uiderentur. Sed quoniam folia, & caulis phu potius referebant, quam eryngium, quemadmodum & umbella, cur eam montanam Nardum fuisse comprobem, sanè non habeo: cum planè sciri non possit, an in priori, an in posteriori, an in alia huius capitis parte lateant mendæ. Itaque si forte aliquod ad manus esset medicamentum, quod Montanum nardum exciperet, supponant audacter pharmacopole Indicam, uel Celticam. Tametsi in suo de simplicium examine asseueret Brasauolus Ferrariensis Indica nardi uice montanæ plurimum ad nos afferri è Cilicia; eamq; propriè montanam existimat, cuius passim in officinis est usus. Sed qua ratione ductus nouam hanc protulerit opinionem, ipse certè nescio: Nardus enim montana radices habet asphodelo similes, non utique spicatas, leues, comosus, quemadmodum eæ, qua utimur ex India aduecta. Nisi fortasse Brasauolus noluerit Indicam nardum ideo montanam appellare, quod in montibus oriatur. Ita quidem eius sententiam ueram esse putarem, non tamen à rei herbariæ peritis acceptam iri. Nardi montanæ uires scripsit Galenus lib. viii. simp. med. sic inquit. Nardus Montana, quæ & thylacitis, & pyritis nuncupatur, plurima in Cilicia nascitur: sed prædictis debilior est. Νάρδος ὄρεων Græcis, Nardus montana, siue Nardum montanum Latinis, Nardo montano Italis nominatur.

† In

† In Oribasio, qui simplicium descriptiones Dioscoridi acceptas refert, legitur *ἀδύκότερα*, hoc est, candidiores, quod Nardus montana constat radicibus asphodelo non solum minoribus, & gracilioribus, sed etiam candidioribus.

† Nulla quidem dissimulanda est ratio, qua probatissimi quique scriptores ueteres à mendis, quæ eorum scripta temporum iniuria, & multorum imperitia contraxerunt, uindicari possint. In hoc capite Dioscoridem de prauatum esse, ita ut etiam à seipso dissideat, manifestum est: in qua autem parte uitium lateat, quodq; illud sit, dubie feruntur opinioniones. Verum eisi nos quoque eius rei incertos esse antea scripsimus; nunc tamen inclinatus animus, ut in hoc loco mendum subesse, illudq; ex malo unius uocis Græcæ intellectu ortum esse arbitremur. Siquidem uerbum *Φέρα* non profert, sed pro *συμφέρα*, id est confert, accipiendum fuit. Itaque non *οὔτε δὲ κωλόν, οὔτε καρπός, οὔτε ἄνθος Φέρα*, ut uulgati codices habent, & legerunt interpretes, sed *οὔτε δὲ κωλόν, οὔτε καρπός, οὔτε ἄνθος Φέρα*, hoc est, Neque caulibus, neque fructibus, neque flos confert, prodèstue, legendum esse iudicamus. Etenim radicis, utpote odoratae, usus præcipue commendatur, non aliarum partium, quæ ut odore carent, ita etiam inuitiles habendæ sunt. Et certè facilis potuit esse error librarij Græci imperiti, uel potius temerarij, casus nominum mutantis ad ineptam ac incongruam huic loco uerbi illius significationem. Subscribunt huic nostræ castigationi eum alij rei herbarie studiosi, tum Gabriel Fallopius Mutinensis uir & ingenio & doctrina celebris, tum etiam Ioannes Odoricus Melchiorius Tridentinus, medicus uon uulgaris eruditionis.

Ἄσαρον. ASARVM. CAP. IX.



ASARVM, quod & ipsum aliqui syluestre nardum appellant, hederæ folijs, minoribus multò, rotundioribusque: floribus cytino hyoscyami similibus, purpureis, inter folia proximè radicem emicantibus, odoratis: in quibus semen acinosum. † Cauliculos habet angulosos, asperos, & molles: radices numerosas, geniculatas, tenues, obliquas, gramini non dissimiles, longè tamen graciliores, odoratas, excalescentes, & quæ linguam uehementer mordent. Excalescentiam uim habet: vrinam cit: hydropticis, & uetusto coxendicum dolori prodest. Radices senis drachmis ex aqua mulsæ potæ, menses trahunt: & ueratri albi modo purgant. In unguenta additur. Umbrosis montibus prouenit: sed plurimùm in Ponto, Phrygia, Illyrico, & Italiæ Iuliniensi agro.

NULLAM nostris temporibus officinae ponunt differentiam inter Asarum, & baccharum: quinimo uno ore ferè omnes Asarum Baccharum appellant, adeò ut & nomina hæc corrumpant, & res ipsas confundant. At quantum notis, & uiribus inter se differant, his rectè iudicet, qui harum stirpium historias accuratius perpenderit: differunt enim inter se admodum Asarum, & baccharis, ut diffusius libro tertio differemus. Asarum itaque procul dubio illa fuerit planta, quæ uulgò Bacchara falsò appellatur, cum nullis ab historia dissideat notis. Ceterum Brasauolus immeritò in Plinium spiculum contorsit, cum dicat ipsum eo etià in errore uersari, ut Asarum baccharum esse existimauerit. Sed profectò nesciuerim ego, qua ratione illud Brasauolus in Plinium scripserit. quippe qui libro XXI. cap. VI. eos acerrimè arguat, qui baccharum, & syluestrem nardum idem esse contendent, his uerbis. Sed eorum quoque error corrigendus est, qui bacchar rusticum nardum appellauerunt: est enim alia herba sic cognominata, quam Græci Asaron uocant, cuius speciem, figuramq; diximus in nardi generibus. hæc Plinius. Quibus palàm est, Plinium seipsum à Brasauolo defendisse. Porrò si etiam Plinij ætate non deerant, qui Asarum baccharum uocarent, non mirum fuerit, si in hunc usque diem protracta hæc sit appellatio. In qua fortasse perseverantes ueterum nonnulli Dioscoridis Asaro eas ferè omnes facultates reddidere præter auctoris mentem, quas ipse libro tertio bacchari adscripsit. quod facilius ad credendum uulgus allexit, Asarum, & baccharum nomine tantum differre. Verum cum recentiorum quorundam diligentia ac doctrina id totum Dioscoridi additum deprehensum sit, eo quòd diuersis tum libris, tum capitibus ipse de his differuerit; cumq; Serapionem uiderint de Asaro ex Dioscoride scribentem, adulterinam hanc lectionem non admittere, id totum, quod eò accesserat præter auctoris sententiam, tanquam illegitimum abdicarunt. Asari uires scripsit Mesues inter deiectoria medicamenta, ubi sic habet. Excalescit Asarum ordine secundo, & siccatur tertio. Attenuat, reserat, resoluit, & prouocat; adstrictione tamen non uacat. Bibitum non modò uomitiones ciuit, sed & per aluum ducit, & per urinam. Pituam, & bilem educit. Roboratur tamen admisto caprino sero, aut nardo, aut hydromelite. At manifestius pituitam, quam bilem educit. quo fit, ut coxendicum ceterumq; compaginum dolore uexatis non obscure opuletur: præsertim si sero maceretur, uel decoquatur. Facit mirum in modum ad iocinoris & lienis infarctus, scirrhusosq; tumores.

Asari confidè ratio.

Plinij tutela aduersus Brasauolum.

Asari uires ex Mesue.

50 dunt, his uerbis. Sed eorum quoque error corrigendus est, qui bacchar rusticum nardum appellauerunt: est enim alia herba sic cognominata, quam Græci Asaron uocant, cuius speciem, figuramq; diximus in nardi generibus. hæc Plinius. Quibus palàm est, Plinium seipsum à Brasauolo defendisse. Porrò si etiam Plinij ætate non deerant, qui Asarum baccharum uocarent, non mirum fuerit, si in hunc usque diem protracta hæc sit appellatio. In qua fortasse perseverantes ueterum nonnulli Dioscoridis Asaro eas ferè omnes facultates reddidere præter auctoris mentem, quas ipse libro tertio bacchari adscripsit. quod facilius ad credendum uulgus allexit, Asarum, & baccharum nomine tantum differre. Verum cum recentiorum quorundam diligentia ac doctrina id totum Dioscoridi additum deprehensum sit, eo quòd diuersis tum libris, tum capitibus ipse de his differuerit; cumq; Serapionem uiderint de Asaro ex Dioscoride scribentem, adulterinam hanc lectionem non admittere, id totum, quod eò accesserat præter auctoris sententiam, tanquam illegitimum abdicarunt. Asari uires scripsit Mesues inter deiectoria medicamenta, ubi sic habet. Excalescit Asarum ordine secundo, & siccatur tertio. Attenuat, reserat, resoluit, & prouocat; adstrictione tamen non uacat. Bibitum non modò uomitiones ciuit, sed & per aluum ducit, & per urinam. Pituam, & bilem educit. Roboratur tamen admisto caprino sero, aut nardo, aut hydromelite. At manifestius pituitam, quam bilem educit. quo fit, ut coxendicum ceterumq; compaginum dolore uexatis non obscure opuletur: præsertim si sero maceretur, uel decoquatur. Facit mirum in modum ad iocinoris & lienis infarctus, scirrhusosq; tumores.

Quamobrem subeuntibus cutem aquis, fellisq; suffusionibus datur maximo iuuamento uino maceratum. Confert item diuturnis febribus, ijsq; praesertim, quae ex contumaci infarctu proueniunt. Oleum macerationis ipsius admisto la-

Asari uires ex Galeno.

Asari meminit Galenus lib. VI. simplicium medicamentorum, sic inquit. Asari radices utiles sunt, facultate similes radicibus acori, intensiores tamen. Itaque ex ijs, quae de illis prodita sunt hic facienda coniectura. Haec tamen Galenus. A cuius sententia (sit tamen cum uenia dictum) maxime dissentio. siquidem cum nulla in acoro deiectione fit facultas, & Asarium, ut Dioscorides inquit, Mesues fatetur, & nobis experimento compertum est, ueratri modo expurget, & bilem, pituitamq; & superne, & inferne propellat, non uideo sane, cur acoro in omnibus suis facultatibus tam facile comparari possit. Planta Graecis ἄσαρον ac etiam ἄσπερον αἰγία uocata, Latinis Asarum, & Nardum syluestre appellatur: Arabibus, Asaron: Italis Asaro, & Bacchara: Germanis, Hasel uurtz: Hispanis, Asara baccara: Gallis, Cabaret.

Nomina.

† Haec uerba ut in Ruellio inuenimus, ita reliquimus. Sed admonendum esse lectorem duximus, ea non legi in Graecis nostris codicibus, neque à Serapione referri. quod argumento est illa Dioscoridi accreuisse. Suspicionem augere, uel potius ita esse confirmare potest Oribasius, qui Dioscoridem transcripsit, & haec uerba non habet. Sunt tamen Graecè sic scripta: ἔχει κωλία γωνιοειδῆ, ὑποτραχέα, ἀραιά. Id est: Habens cauliculos angulosos, subasperos, raros.

PHV MAGNUM.

PHV PARVUM.



Φοῦ.

PHV.

CAP. X.

PHV, quod & aliqui syluestrem nardum appellant, nascitur in Ponto: folio olufatri, aut elaphobosci: caule cubitali, aut altiore, laui, cauo, molli, in purpuram uergente, geniculis intercepto: floribus narcisso proximis, maioribus, tenerioribus, & ex albicante purpureis: radice superius ad digiti minoris crassitudinem, ex obliquo uillosa in nigri ueratri, aut iunci odorati modum: capillamentis inuicem contextis, flauescens, odoratis, cum quadam odoris grauitate nardum æmulantibus. Excalfacit: urinam mouet, si sicca potui detur. Decoctum eadem praestare potest: ad lateris etiam dolorem efficax: mensis cit. antidotis inferitur. Adulteratur radice rusci admista. Sed maleficium apprehenditur: quoniam haec dura est, & frangenti contumax, sine ulla odoris gratia.

Phu consideratio.

NON possum non fateri, eos omnes bene sentire, qui maiorem Valerianam sic uocatam, quae passim in Italia nascitur, legitimum esse Phu asserunt. Quippe radices primum forma, odore, colore, ac ceteris in uniuersam notis ab ijs,

is, quæ sibi Phu ipsum adsciscit, haud quaquam recedunt. Indicant idem & folia, & caules: illa enim olusatro non sunt dissimilia: hi uerò adolefcunt cubitali mensura proceriores, leues, inanes, molles, geniculati, & in purpuram uer-
gentes. Flores tamen obscuri uidentur, qui in Phu lilij, uel narcissi effigiem præ se ferunt, non autem umbellæ, uel mu-
scarij speciem, ut in maiori Valeriana uisuntur: quanquam flosculi per se omnes, qui umbellam conficiunt, forma nar-
cissios referant, in purpuram albicantes. Quo fit, ut cum Ruellio existimandum putauerim, hæc de floribus uerba es-
se à scriptoribus in Dioscoride deprauata. Nanque uidetur nostras Valeriana, omnibus tum notis, tum qualit. atibus
adeò cum Phu conuenire, ut re uera dici possit, non aliud, quàm ipsum Phu ad unguem referre. Et si non desint (ut
audio) qui profiteantur Phu alterum à Valeriana se inuenisse, quod floribus narcissi proueniat. At quia id pro certo
compertum non habeo, & quia non desunt, qui talia fabulentur, non est, quid hac in re certi affirmare possim. Est et

Valeriana
maior.

10 Valeriane alterum genus, quod minus appellant, cuius caulis iuxta folia, quæ quadantenus maioris similitudinem re-
ferunt, molli lanugine pubet, reliqua uerò parte maiori non absimile assurgit, floribus subpurpureis, in umbellam si-
mul coënantibus. Radices miti hæc tenues, quæ in multifidas conglomerantur fibras, odore misto inter iridem, &
nardum. Vtraq; odore commendatur: proinde eas uestibus quidam interponunt. Phu (ut scriptum reliquit Gale-
nus lib. VIII. simplicium med.) odoratum quodammodo est. Huius herbæ radix nardo uiribus similis, sed tamen ad
pleraq; infirmior. Urinam plus mouet, quàm aut Indica, aut Syriaca nardus: similiter autè ut Celtica. Simile Phu
asserit ipse Galenus esse Carpesium, cuius cum nullibi meminerit Dioscorides, ut rectè sciri possit quidnam senioribus
Græcis fuerit Carpesium, in primis Galeni testimonio eius uires & formam describam: is enim lib. VII. simpl. med.
sic habet. CARPESIUM simile est uocato Phu, non gustu tantum, sed & facultate. Sed plus habet tenuitatis: pro-
inde magis eo etiam uiscerum obstructions extergit, et urinam mouet, renesq; calculis degrauiatos expurgat. Non ta-
men eatenus tenuium est partium, ut liceat loco cinnamomi, si non ad manum sit, usurpare, sicuti faciebat Quintus.

Valeriana mi-
nor.

Phu uires ex
Galeno.

Carpesij con-
sideratio.

20 Præstantius est Carpesium ponticum lærtio: non tamen uel ipsum cinnamomi uiribus uicinum est, imò non paruo de-
terius optima cassia. Nuncupatur utraq; à montibus quibusdam Pamphiliæ, in quibus nascitur. Ingensq; eius pro-
uentus est in Syria. Et primo libro de antidotis inquit. Quintus (ut aiunt) quoties cinnamomum decrat, Carpesium,
ut quod uiribus nihil ab optima cassia differret, in theriacæ compositione imponebat. Ego idcirco eius plurimum mecum
attuli ex ea peregrinatione, qua orientis provincias adij, diligenterq; repositum nunc usq; multum seruo: quod odo-
rem etiamnum & saporem, si non qualem prius habebat, certè nondum exoletum retinet. Est autem Carpesium her-
ba phu appellato genere similis, ualentior tamen, atq; odoratum quiddam spirans. Plurimum hoc in Sida Pamphiliæ
nascitur, emiturq; propterea illic uilissimo pretio. Quocirca si quis uestriam illuc accesserit, Carpesij plurimum emat,
cum id sibi longo tempore duraturum nouerit. Tenuia autem sunt sarmenta, cinnamomi uirgultis similia. Eius duo
reperiuntur genera; unum quod lærtium; alterum, quod ponticum cognominatur, à monte, in quo nascuntur, utraq;
nomen adepta, sed ponticum melius est. Quod cum eius non parum haberent, permultis medicamentis admiscui in qui-
bus phu uocata imponi debuerat. Est enim Carpesium phu simile, ualentius tamen, & in quo (ut dixi) nonnihil odo-
ratæ qualitatis gustu odoratuq; sentitur. hæc tamen Galenus. Verùm quid hac tempestate sit Carpesium, arduum sanè
fuerit explicare & mihi, & cæteris materiae medicæ scriptoribus. Tametsi Hermolaus, Ruellius, Fuchsius, ac etiã
Monachi Mesuem exponentes pro certo exploratum habeant, Auicennæ, Serapionis, & Actuarij auctoritatibus in-
nixi, fructus piperi similes, qui uulgo Cubebe uocantur, legitimum esse carpesium. Siquidem Serapio quod Galeno car-
pesium uocatur, sub cubebe nomine ipsius Galeni testimonio sic describit. Cubebe est medicina facultate, & sapore
phu non absimilis, quanuis longè tenuior. quare obstructions totius corporis aperit, urinam ciet, & calculos renium
pellit. In hac sere sententia uersatur. & Auicenna cubebas carpesium appellans: quemadmodum & Actuarius, qui
Mauritanorum nomina secutus, in quibusdam medicamentis Carpesium imponit, quod à barbaris κομβέλας uocari
ait. Quibus auctoritatibus luce clarius patet, quod Galeni carpesium, & Arabum cubebe nulla ex parte differunt.

Hermolaus
& Ruellius

Quorundam
opinio.

30 Veruntamen illud animaduertendum est, quod eos in errore uersari existimem, qui credunt (ut Hermolaus, Ruel-
lius, & Fuchsius) uulgares seplasiariorum cubebas illas referre, de quibus scripsere Serapio, Auicenna, & Actua-
rius. quandoquidem qui dixerit cubebas plantæ fructum, uel semen esse, eorum reperio neminem: nec minus probari
posse putem, id usquam dixisse Galenum. qui carpesium describit his uerbis. λεπτά δὲ ἐστὶ τὰ κάρφα, παρὰ
τὸ ληοία τοῖς ἀκροποσί τοις κινναμώμου. hoc est. Sunt autem tenuia sarmenta, cinnamomi uirgultis similia. Ipsumq;
phu & odore, & facultatibus adsimilat. Quapropter cum tantum Phu radices in usum medicum ueniant, facile dici
potest, carpesium Galeno potius radicem esse sarmenta, quàm caulium; & præcipuè cum asserat diu asseruari posse.
quandoquidem solidiores sunt radices, quàm caules, qui facile in omni herbarum genere flaccescunt, & pereunt.
Præterea cum Galenus aliàs cinnamomi uirgulta ellebori radicibus comparauerit, hic mirum uideri non debet, quod
idem contra sarmentosas carpesij radices cinnamomi uirgultis similes fecerit. Adde etiam, quod in plantis non solum
caules sarmentosi, uerum etiam radices plures sarmentosæ Dioscoridi appellantur. Quo fit, ut crediderim Fuchsi-
um in suis Paradoxis immerito impugnasse Leoniceum. Ad hæc gustantibus nobis uulgares officinarum cubebas, nullum
prorsus Phu saporem deprehendimus. Quod manifestè indicat uulgares cubebas, nec Arabum cubebas esse, nec Ga-
leni carpesium. Ob id igitur, ubi apud Græcos carpesium medicamentis admiscum reperitur, & cubebe apud Mau-
ritanos, phu eorum uice, cum sit carpesio in omnibus persimile, uel cassia, potius quàm cubebe uulgaris usus, erunt
subijcienda. Iacobus Syluius inter recentiores apprime doctus, quanquam nouit cubebas nostrates carpesium non es-
se; non tamen animaduertit, nec etiam Serapionis, aliorumq; Arabum esse cubebas. Aberrauit in cubebarum hi-
storia etiam Serapio. quippe quicquid Dioscorides de rusco scriptum reliquit, is cubebis perperam reddidit. Cuius
autem stirpis fructus uulgares CUBEBAE sint, quid affirmare possim non habeo, cum ex orientali plaga nobis pe-
regrinæ asserantur. Et si eas dixerim odoratas esse baccas, racematim coherentes, corymborum hederæ modo: qui
gustui

Hermo. Ruel-
lij & Fuchsj
error.

Serapionis la-
pus.
Cubebarum
vulgarium cõ-
sideratio.

40 50

Nomina.

gustui præter odoris gratiam, acrimoniam & amaroris tantillum relinquunt. Quibus constat, quod excalescere ualeant tertij ordinis initio, & siccent in fine eius. Quamobrem languentem ex pituita uentriculum, uel etiam ex flatu roborant: pectus à lentis & asisq; humoribus expurgant. Lienem iuuant, status discutunt, & frigidis uteri affectibus auxiliantur. Diu cum mastiche mansæ, pituitam à capite trahunt, & cerebrum roborant. Quod φόν Græcis omnibus, aliquibus etiam αγύλα νόσος dicitur: Latinis, Phu, & syluestris Nardus: Arabibus, Fu: Italis, Valeriana: Germanis, Baldrian: Hispanis, herua benedicta: Gallis, Valeriane.

Μαλαβάθρον.

MALABATHRVM.

CAP. XI.

MALABATHRVM arbitrantur aliqui esse Indici nardi folium, falsi quædam odoris cognatione: permulta enim nardum olent, quemadmodum phu, asarum, niris. Secus autem res se habet: nanque Malabathrum folium sui generis est, quod Indicæ gignunt paludes, lentis palustris modo innatans aquis, sine radice. Id collectum statim lino transfuitur, & siccatum reconditur. Tradunt siccatis æstiuo feruore aquis, humum aridis fruticibus uri: quod ubi non euenit, ne amplius quidem renasci. Laudatur recens, ex candido nigricans, integrum, nec fragile, odore caput feriens, quod diu in sua vi odore permaneat, & nardum sapore imitetur, nullo salis gustu. Infirmum uerò, & minutim contusum, præsertim si cariosum uirus olet, vitiosum est. Eadem nardo fortitur uires: sed efficacius omnia præstat. Urinam uehementius ciet, ac stomacho magis prodest Malabathri uis. Lippitudinibus, inflammationibusque tritum, & in uino feruefactum commodè illinitur. Subditum linguæ, oris halitum, & suauitatem commendat. Vestium quoque odorem interpositum feruat, & ab erosione tuctur.

Malabathri
consideratio.

MALABATHRVM, quod pleriq; folium Indicum uocant, qui hac ætate uiderit, habeo neminem. Nascitur (ut Dioscorides inquit) in India palustribus tantum locis, aquis absq; radice innatans, lenticulæ aquaticæ modo. Sed nec inde amplius ad nos aduehitur, quod fortasse indigenarum culpa perierit in India, quemadmodum & balsamum in Syria. Etenim Dioscorides refert, Malabathrum non renasci, nisi siccatis æstiuo feruore aquis, humus aridis fruticibus peruratur. Quod cum iandiu forte non sit à natura factum, uel potius sit ab indigenis omissum ob eorum negligentiam, facile postea euenire potuit, ut Malabathri genus omnino deperditum sit. Plinius lib. XII. cap. XXVI. duorum meminit generum, quorum alterum arboris cuiusdam Syriacæ folium esse ait, his uerbis. Dat & Malabathrum Syria, arborem folio conuoluto, arido colore, ex quo exprimitur oleum ad unguenta. Fertior est eiusdem Aegyptus: laudatius tamen ex India uenit. In paludibus ibi gigni tradunt lentis modo, odoratius croco, nigricans, scabrumq; quodam salis gustu. Minus probatur candidum. Celerrimè situm in uetustate sentit. Sapor eius nardo similis esse debet sub lingua. Odor uerò in uino subferuefacti antecedit alios. hætenus Plinius. Qui tamen præter Dioscoridis sententiam præstantius Malabathrum duxit, quod falsum est, non quod insulsum. Ceterum non desunt, qui Indici folij loco, casiaæ arborum folia, ex Alexandria aduecta, quæ Lauri, uel arbuti frondes referunt, in Malabathri usum uendicant. Hæc Hermolaus, Ruellius, pariterq; Brasauolus eos secutus, nulla (quod equidem sciam) auctoritate, Nigritarum Tembulum esse arbitrantur. Verum cum adhuc eorum, qui Tembuli historiam, & notas scribant, inuenierim profecto neminem, quanuis de eo Auicenna breuiter scripserit; idcirco illa potius asseram arborum folia esse nobis penitus incognita, quam horum sequar opinionem. Nullo itaq; modo hæc ad usum ueniunt admittenda: siquidem eam eorum facultates nos lateant, non est cur ea comprobare ualeamus. Sed ubi Malabathro opus sit, casiam odoratam, uel Indicam nardum supponendam putamus, Galenum secuti, qui ita decreuit tum in succidancis, tum etiã lib. VII. & VIII.

Hermolai,
Ruel. & Bras-
auolio.

simplicium medicamentorum. Quamquam Fuchsius in libro, quem de compositione medicamentorum nouissimè edit, dum ea perpendit, quæ Auream Alexandrinam conficiunt, Malabathri loco Atractylim statuit subijciendam, Galenum (ut inquit) in libello de substitutis medicamentis secutus. Sed certe non satis possum mirari Fuchsium, uirum ælioliqui doctrina & iudicio clarum, in hac re (ut mihi quidem uidetur) manifesta, minus rectè sensisse. Nam ut omittã, in libro illo de medicamentis, quæ inter se commutari possunt, qui tamen liber Galeno adscriptus censetur; me nupquam legisse, quod atractylis Malabathri uicem suppleat, sed casia odorata, & nardi spica; est Dioscorides hoc loco, est Galenus locis antè citatis in simplicium censu: qui uno quasi ore fatentur, eandem uim habere malabathrum, quam nardum. Quorum equidem auctoritati grauissimæ longè satius adherendum existimo, quam ut temere fortasse sit atractylis in malabathri locum substituenda. præsertim cum nobis non desit copia nardi, & casia odorata: atractylis autem uera hætenus, mea opinione, desideretur, ut libro tertio suo loco latius ostendemus. Quod etsi concedamus, hanc aliquibus compertam esse, tamen quis audebit ea uti pro malabathro? etenim nullus, quod sciam, atractylim odore commendauit: at malabathrum Dioscorides non solum odoratum facit, sed etiam idipsum ἐν τῇ ἐνωσίδι hoc est, in odoris bonitate permanere affirmat. Excalfacit Malabathrum (ut auctor est Auicenna) siccataq; ordine secundo. Μαλαβάθρον, καὶ φύλλον sic Græcè, Latine autem Malabathrum, & Folium appellatur: Italicè, Malabathro, & Folio Indiano.

Fuchsi opinio
explora.

Nomina.

Κασσία.

CASSIA.

CAP. XII.

CASSIA, cuius complura sunt genera, iuxta odoriferam Arabiam gignitur, crassi corticis famento: folijs piperis. Eligenda est fuluescens, pulchri coloris, corallij æmula, perquam angusta, longa,

ga, crassa, & fistulosa, gustu mordens, & cum aliquanto feruore adstringens, aromatica, vinoso odore: cuiusmodi est, quæ ab incolis achy appellatur, ab Alexandria negotiatoribus daphnitis. Huic præfertur crassa, purpurea, & nigricans, zigir cognomine, quæ rosam odore imitatur, præcipui in medicina usus. Secundum locum tenet antedicta. Tertia, cui Mosylitico blasto, id est, germi cogno-
 10 men est. Reliquæ uiles, ut quæ asyphemum dicitur, nigra, insuavis, cortice tenui, ac rimoso: & quæ darca, & citto uocitatur barbaro nomine. Similior huic est pseudocassia, quam ut explicari possit, quæ gustu coarguitur, cum nec acris, nec odorata sit, hærentemque medullæ corticem habeat. Inuenitur etiam lata quædam fistula, mollis, leuis, furculosa, quæ antedictæ præfertur. Damnatur candicans, scabra, hircinum uirus redolens, & quæ tenui fistula, & scabra cute sit. Vim obtinet calfaciendi, urinam ciendi, siccandi, & leniter adstringendi. Conuenit ad medicamenta oculorum, quæ præstandæ claritatis gratia concinnantur, & ad malagmata: lentigines tollit cum melle illita: menses trahit: contra viperarum ictus pota auxiliatur: aduersus intestinas inflammationes omnes, & renum uitia, pota proficit: scemini in folio desidentibus, aut suffimentis, prodest ad dilatationem vuluæ. Et duplo pondere medicamenti mista, cinnamomi uicem supplet, si ipsum desit: nam eisdem effectus præbet. Ad plurima perquam utilis est.

Κιννάμωμον.

CINNAMOMVM.

CAP. XIII.

CINNAMOMI genera plura, patrium sibi nomen vendicantia. Præfertur tamen Mosyliticum, quod cassiæ, cui mosyliti nomen est, aliquam referat effigiem: sed in eo genere recens, nigrum, ex uinoso in cinereum uergens, læue, tenuibus ramulis, ac frequentibus nodis cinctum, perquam iucundè olens. Optimi ferè iudicium, iucundi odoris proprietate constat: inuenitur enim cum optimo, eoque quod peculiare est, odor rutæ, aut cardamomo proximus. Insuper acre, mordens, & cum calfactione quadantenus salsum, quod non citò confricanti asperum, aut frianti lanuginosum, læuibus tamen internodijs appareat. Si certior fieri uoles, vellito ab radice furculum. facilis est huiusmodi probatio: nanque fragmenta miscellanea quædam esse uidentur. Quæ autem melius spirant, suo halitu, cum nares primum consulantur, olfactum expleant, deterioris dignotionem impediunt. Est etiam montanum, crassum, pumilum, fuluescens admodum. Tertium à Mosylitico, perquam suauiter olet, nigrum, fruticosum, paucis intercedentibus geniculis. Quartum fungosum, candicans, aspectu tuberosum, vile, ac friabile, magnam habens radicem, quæ cassiam planè repræsentat. Quin-
 30 tum genus odore nares feriens, subrufum, & cortice fuluæ cassiæ simile, tangenti firmum, minus neruosum, densa radice firmatum. Iis, quæ thuris, cassiæ, myrti, aut amomi odorem spirant, minus suauitatis inest. Deligito scabrum, album, rugosum: at læue, & lignosum circa radicem, ut inutile, rejicito. Est etiamnum simile aliud, cui pseudocinnamomo cognomen est, uile, inualidi odoris, solutarumque uirium. Vocatur etiam zingiber, cum tamen sit xylocinnamomum, præbens quandam cinnamomi faciem. Est autem lignosum cinnamomum, sarmenta longa robustaque ferens, odore longè cinnamomo inferiore. Sunt qui xylocinnamomum à cinnamomo genere differre dicant, quod à natura eius abhorreat. Cinnamomum omne excalfacit, emollit, & concoquit: urinam ciet: tam menses, quam partus potum, aut ex myrrha impositum pellit: contra bestias, quæ uirus eiuculantur, uenenaque conuenit: caliginem pupillis oculorum obuersantem discutit: crassitiem extenuat: lentigines, & uitia cutis in facie ex melle illitum detergit: contra tusses, defluxiones, aquam subter cutem fusam, renum uitia, & urinae difficultatem efficax est. Vnguentis pretiosis inseri solet. Et in summa, magni ad omnia usus. Tritum uino excipitur, umbraque siccatum, quò diutius eduret, reconditur.

NATURA omnium rerum parens in hoc terrarum orbe quædam stirpium genera adeò inexorabilia procreauit, ut ne quàm plurimis quidem delicijs, blanditijs, officijs, obsequijsq; ea apud nos quispiam retinere potuerit. Si quidem stirpes ipsæ uiuere coactæ in hortis, uiridarijs, mitioribusq; Italiae locis, ceu Tempe, omni amentate referatis, quemadmodum alpini homines delicias urbium, & maiestatem aspernantes, politicis moribus omnino neglectis, non alibi, quàm in suis mapalijs hilariter, ac iucundè uiuere possunt: ita & ipsæ relicta cæli clementia, hortorumq; amentate, spreto item fontium oblectamento, omniumq; urbanarum ac familiarium stirpium consortio in deserta, solitudinesq; suas, à quibus primam duxerunt originem, se tandem recepere. tantum patriæ, natalisq; soli amor in rerum natura potest. In quarum genere Cassia connumeranda uenit: quæ tametsi in maiore illa Romana gentis fortuna multis ac uarijs hortorum locis consita habebatur; nullibi tamen hac ætate (quod nouerim) in Italia, ne in tota dicam Europa inuenitur. Sed hæc de Cassia dixisse uolumus simplicium medicamentorum peritissimos secuti, qui (ut eorum testantur uolumina) nihil inuicem differre censent, Cassiam, quæ in arborum genere Dioscoridi, & Galeno recensetur, & eam, quæ antiquis inter coronarias numerabatur herbas, quæq; olim passim circa apum alucaria serebatur in Italia, quod ea maxime apes delectentur, & in hortis, & uiridarijs coronis maxime expetita. Verum enim uero longè aliter hæc res intelligi postulat, quod aliam repererim fuisse Cassiam (ut Dioscorides inquit) è felici Arabia allatam, tam ex arbore (auctore Theophrasto) uiticis magnitudine, ab hac longe diuersam, quam apibus, & coronis serebat antiquitas. quandoquidem fuerit hæc herba, illa uerò arbor: præsertim cum nullus (quod sciam) extet auctor, qui posteritatis memoriæ mandauerit, Cassiam adeò copiosam in Romanorum triumphis ex Arabia conuehi solitam, ut inde uulgaris

inlib. nouo
100

Cinnamomum

2. Dioscoridi
Dioscoridi
Cassia

Cassia confideratio.

Cassia odorata, & coronariæ discrimen.

uulgaris facta, ubiq; passim & reperiretur, & sereretur ab omnibus. Quod si forte euenisset, nunquam tamen mihi persuaserim, quod Galenus hac in scientia, & facultate omnium diligentissimus, & qui Romæ diu uitam duxit, Italiae Cassiæ historiam silentio inuoluisset. Plinius lib. XXI. cap. IX. nonnullas memorans herbas, quorum folia odoris gratia in usum coronarum uenerant, inquit. Ergo in coronamenta folio uenere malothron, spircon, trigonon, cneoreon, quod cassiam Higinus uocat. Id quod ante ipsum palam fecerat Virgilius Cassiam inter coronarias herbas recensens in Bucolicis ecloga ij. his uerbis.

Tum cassia, atq; alijs intexens suauibus herbis,

Mollia luteola pingit uacinia caltha.

Et in Georgicis lib. II.

Vix humiles apibus cassias, roremq; ministrat.

Item Georgicorum lib. IIII.

Nec circum cassæ uirides, & olentia late

Serpilla, & grauius spirantis copia thymbræ

Floreat, irriguunq; bibit uiolaria fontem.

Hæc Maro. Quibus palam est, Cassiam coronariam, & qua tantopere delectantur apes, herbam, non arborem fuisse. Quod etiam testatur Plinius libro superius citato cap. XII. his uerbis. Verum hortis coronamentisq; maxime alucaria, & apes conueniunt, res præcipuè questus, compendijq; cum fauit. Harum ergo causa oportet serere thymum, apiastrum, rosam, uiolam, liliam, cytisum, fabam, eruilium, cunilam, papauer, conyzam, cassiam, melilotum, melisso-phyllum (lego myriophyllum) cerinthen. Hactenus Plinius. His itaq; rationibus, auctorumq; ueterum testimonijs innixus Theodorus cneoron Theophrasto cassiam appellat. Quamobrem potius fuerit credendum, cneoron Græcis uocatum antiquis coronariam fuisse Cassiam apibus gratissimam, quam eam, quæ in India & felici Arabia prouenit, cinnamomo persimilis, odoramentis & antidotis expetita, & qua per longas ætates cinnamomi uice usi sunt medici.

Neque tamen propterea opinioni nostræ refragari putamus Columellam lib. III. cap. VIII. de re rustica, ubi ita scriptum reliquit. Iudæam & Arabiam pretiosis odoribus illustrem haberi, sed nec nostram ciuitatem prædictis egere stirpibus: quippe cum pluribus locis urbis iam cassiam frondentem conspicimus, iam thuream plantam, florentesq; hortos myrrha & croco. Nam quanuis concedi possit Columelle, cassiam ex Arabia allatam urbis illustrandæ gratia Romæ suo tempore conspicuam fuisse in hortis procerum & imperatorum; hoc tamen non prohibet, quin cassia, quam prope apum alucaria passim scuit antiquitas, alia fuerit planta: præsertim cum hæc inter herbas coronarias, illa uero inter arbores odoratas recenseatur. CNEORON autem describit Theophrastus lib. VI. cap. II. de plantarum historia, his uerbis: Cneori duo genera, aliud enim candidum, aliud nigrum. Candido folium cutaneum, oblongum, figura quasi oleagineum: nigro quale tamarici, carnosum. Candidum magis se humi spargit, odoratumq; est: nigrum odore caret. Radix ambobus, quæ altè descendit, grandis: ramiq; permulti, crassi, sicculosiq; ab ipsa protinus tel-

Cneori descri-
ptio.

lure, aut paulò superius sparsi, lenti admodum constant. Quamobrem hisce ad colligandum iunci modo utuntur. Germinant, florentq; post æquinoctium autumnii, & multum deniq; temporis florent. Hæc Theophrastus. Sed quænam plantæ orientur in Italia, uel aliunde eò afferantur, quæ Cneoron referant, quid ueri referam sanè non habeo. Sed iam ad Cassiam odoratam redamus. ob cuius cognitionem postmodum factum est, ut recentioribus medicis, in ea re-
cupera, inuestigandaq; multum negocij accesserit. Namq; hactenus tum medici, tum seplasiarij (etsi plures iam
respiscant) odorate cassiæ loco quadam incognita arboris segmenta, nec odore, nec uiribus prædita semper capes-
serunt. Veruntamen postquam nonnulli ætatis nostræ doctissimi uiri, stirpium historias diligenter examinarunt, dete-
cta fraude, mercatores ex Alexandria mercimonia Venetias comportantes, cum suam imposturam deprehensam cer-
nerent, à negotio desciscentes in aliud nouum Cassiæ genus segmenta illa commutarunt. Quæ sanè præter odorem,
pariterq; saporem, quibus ferè penitus exoleta sentitur, cassiæ à Dioscoride descriptæ admodum habetur consimilis.

Medicorū, &
seplasiariorū
error.

Quapropter nec eos errasse crediderim, qui dicerent, hanc Dioscoridis pseudocassiam esse. quippe & crasso cortice
constat, & in eius cavitare lignosa etiam uisitur materies, paululumq; est odorata, minimeq; aeris. Nonnulli hac non
contenti, quædam uocati cinnamomi fragmina Cassiæ uice usurpant: quæ cum nullo odore saporeq; commendentur,
potius quercum, uel fagum, quam Cassiam referunt. Cæterum, ut dicam quid ego sentio, si quis fistulam, quam Cin-
namomum perperam appellamus, & uulgò Cannella, Cassiæ generibus rectè comparauerit, facile nouerit uulgaris
usus cinnamomum legitimam Cassiam procul dubio referre. quinimo diligenter inquisituris, iudicijq; trutina exami-
naturis huiusmodi cinnamomi ingentem copiam, quæ magnis saccis Venetijs in mercatorum repositorijs asseruatur,
nimirum omnia illa Cassiæ genera, quæ à Dioscoride describuntur, facile sese offerent. quandoquidem mercatores
(ut semper assolent) ad expediendas deteriores merces bonarum lenocinio, quas illis admiscunt, pro uirili utuntur.

Cassia legiti-
ma.

Galenus itaq; libro primo de antidotis multa Cassiæ genera recensuit, ubi sanè Dioscoridem secutus, eam cæteris præ-
stare fatetur, quæ zigi cognomine dicitur, hancq; asserit cinnamomum usque adeò emulari, ut essent, qui suo æuo eam
cinnamomi loco uenderent. Quo fit, ut admirari non liceat, si hodie quoq; tot annis hac deducta, protractaq; con-
suetudine, ubique cassia pro cinnamomo uenundetur. Nec quidem longè aberrarent, si modò optimam seligerent:
quandoquidem Galenus eodem loco palam prodit, Cassiam sepenumero in cinnamomum transmulari, fateturq; se
iam uidisse eximie Cassiæ ramulos omni ex parte cinnamomum referentes. Contrà pariter in spexisse cinnamomi sur-
culos Cassiæ prorsus persimiles: adeò ut asserat pro qualibet cinnamomi parte in componendis medicamentis duas ele-
ctæ cassiæ adhiberi posse. Describit item Galenus quoddam aliud deterioris Cassiæ genus, quod tradit iuniorum An-
dromachum Cassiam fistulam nominasse. eion fistularum modo, inanis cauaq; sit, & crassi corticis: cuiusmodi in uul-
gari cinnamomo frequentissima conspicitur. Huius sanè ea uidetur esse generis, quam in suo conficiendorum pharma-
corum libello præfert Cordus, quod uelit cassiam, præter Dioscoridis & Galeni sententiam, lubrici esse gustus.

Porrò Cassiæ odorata frustulum cum cortice & ligno suo interiore nuper dono mihi dedit Serenissimus Princeps
Ferdinandus

Cassia legitima
Cassia coronaria
Cassia fistularum

Ferdinandus Archidux Austriae dominus mihi clementissimus, ab integro ramulo abscissum, quem ille inter plures alias res non minus pretiosas quam raras, reconditum habet. Huius cortex colore quidem cinereo à nostro uulgariter cinnamomo disidet, non tamen odore ac gustu: quandoquidem mansus id ipsum, quod uulgus Cannellam uocat, ori planè representat. At lignum, quod cortice contegitur, fragili constat materie, neque ullo prorsus odore, saporeque commendatur. Quare hinc facile colligi potest, corticis tantum eius usum esse: atque etiam Theophrastum non ab re memoriae prodidisse, huius uirgas in frustra secari, recentisque bouis corio hæc consui, ut uermiculis, qui ex eo nascuntur, lignum illud inutile erodatur. Cæterum odoratæ castiæ meminit etiam Virgilius præter coronariâ lib. 11. Georg. ubi cecinit hoc carmine. Nec castia liquidi corrumpitur usus oliui. Quin & Plinius Castiæ meminit lib. xii. cap. xix. his uerbis. Frutex & Castia est, iuxtaque cinnamomi campos nascitur, sed in montibus, crastiore sarmento, tenui cute, uerius quam cortice: quem contra atque in cinnamomo leuari, & exinaniri pretium est. Amplitudo fruticis trium cubitorum. Colos triplex: cion primum emicat, candidus pedali mensura: deinde rubescit addito semipede: ultra nigricans. Hæc pars maximè laudatur, ac deinde proxima: damnatur uero candida. Consecant furculos longitudine binum cubitorum: mox præsuunt recentibus corijs quadrupedum ob id interemptarum, ut ijs putrescentibus, uermiculi lignum erodant, & excauent corticem tutum acrimonia, & amaritudine. Probatum recens maximè, & que sit odoris mollissimi, gustuue quam maximè feruens, potius quam lento tepore leuiter mordens, colore purpureo, quæque plurima minimum ponderis faciat, breui tunicarum fistula, & non fragili. Hæc Plinius, quorum plura à Theophrasto transcribit. Qui castiæ historiam tradidit lib. ix. cap. v. de historia plantarum, eamque fruticem esse amerinæ magnitudine scribit: quæ cion nullo pacto decorticari possit à ligno, cortexque tantum utilis sit, ob id hominum industria inuentum esse ait, ut corijs quadrupedum consuta, interius lignum uermiculis deuoretur. Cæterum planè ballu-

10
20
30
40
50

cinantur ijs, qui Castiæ fistulæ loco, siliquam Aegyptiam, siue Castiam solutiuiam uulgo dictam, atra medulla, semine duro, lignosisque membranis confactam, medicamentis admiscunt Mauritanos secuti. siquidem Serapio, Auicenna, pariterque Mesues, siue sit ipsorum, siue interpretum lapsus, pari consensu Castiam nigram Castiam fistulam uocauere: legitimam uero Castiam, de qua hic differit Dioscorides, Castiam ligneam. Quamobrem certò crediderim, quod extra omnem censuram dici possit, in omnibus ijs medicamentis à Mauritanis inuentis, quæ Castiam fistulam expetunt, solutiuiam illam esse inferendam. Si uero in Græcorum monumentis (excipio Actuarium, & Nicolaum Myrepsicum, qui à Mauritanis multa acceperunt) Castia fistula inuenta fuerit, uel in Mauritanorum compositionibus à Græcis transcriptis, Castiam odoratam, à Dioscoride & Galeno descriptam, semper adhibendam existimo. Nisi medici secus intelligentes in eum errorem labi uelint, in quem Leoniceus quosdam ætatis nostræ medicos (quæ profectò imperitia multorum est) temerè incurrisse testatur, qui ad commouendos menses, difficiles partus, remorantesque secundas, Castiæ deiectione corticibus, odoratæ loco usquequaque utebantur. CINNAMOMVM uero, quod legitimum sit, quanquam diu multumque tum Venetijs, tum Neapoli, & apud mercatores, qui ferè quotannis in Alexandriam nauigant, diligenter conquisuerim, nusquam id tamen mihi uidere licuit, neque etiam percipere potui, num hoc tempore apud magnos negociatores, qui è Lusitania Indiam, & felicem Arabiam classe paratissima petunt, uel apud quempiam principem, regem, uel imperatorem legitimum reperiri possit. Qua de re minimè demiror, cion & Galeni tempore huius magna in Italia fuerit penuria, adeo ut Cinnamomum nullibi reperiretur, nisi apud Imperatores, qui admirabili custodia inter alia pretiosa illud asseruari curabant. Cuius rei historiam in medium affert Galenus libro primo de antidotis, sic inueniens. De Cinnamomo contraria ijs, quæ de opobalsamo narrauimus, compertum habeo. persuasum namque mihi est, ipsam omnium cognitum facillimum esse illis, qui sæpe optimum cinnamomum uiderint. Optimum uero consequi nemo potest, nisi repositum ab imperatoribus intueatur, sex generibus quodammodo distributum. siquidem & in hoc ipso, uelut & in castia, optimi ad deterrimum tam magna differentia est, ut optima castia à pessimo cinnamomo parum distet. Neque uero Cinnamomi uirtus ad usum apta longo tempore durat: ad triginta siquidem annos, quam à principio uim habuit, integram non conseruat. nugantur autem, qui Cinnamomum ex hisce medicinis esse dicunt, quæ senectutem non sentiant. Atqui ego non centum, neque ducentium annorum interuentu, sed pauciorum, si quis ad tantum numerum conserat, iam aliquam mutationem uetustiori cinnamomo factam obseruauit. Quo tempore siquidem Antonino imperatori theriacam parauit, uasa lignea, in quibus eiusdem generis Cinnamomum inerat, multa conspexi, alia Traiani, quedam Adriani, nonnulla Antonini, qui post Adrianum imperator fuit, ætate reposita: omniaque hæc sese & saporis, & odoris imbecillitate, uehementiaque tantum planè superabant, quantum & tempore differabant. Olim è barbarorum terris arca cubitos quatuor & medium longa, Romam perlata cion fuisset, in qua Cinnamomi primi generis integra arbor erat, ex eoque Marco Antonino imperatori antidotum quandam composuissem, ipsam cæteris multum præstare, deprehendi, adeo ut Imperator quoque ea degustata medicinæ concoctionem, uelut in alijs fieri solet, expectare noluerit, sed statim ea usus sit nondum integrè duobus mensibus elapsis. Antonino subsecutus est Commodus, qui nec theriacæ, nec cinnamomi curam ullam habuit, sub quo non solum arboris illius, quod super fuerat, omne dissipatum est, uerum etiam quodcumque post Adriani tempora comportatum fuerat. Quo factum est, ut nunc imperator noster Seuerus, cum me sibi antidotum eo modo conficere iussisset, quo Antonino confeceram, ex Cinnamomo Traiani, & Adriani tempore reposito sumere coactus sim, imbecillioraque planè mihi uisa sunt, & tamen nondum anni triginta intercesserant. Hic nos optimi Cinnamomi notas quasdam necessarias subijcere uolumus, ipsum scilicet summopere bene olere, inexplicabilemque præ cæteris bonum quandam odorem spirare, ac calidum gustantibus se multum exhibere, non ita tamen ut mordicando tristitiam palato inferat: colorem denique talem habere, qualem si quis lacti nigrum colorem admisceat, atque cærulei, quem uocant, aliquantulum addat. Ex hoc igitur quantum uolebam, ut mos mihi fuit, cum accepissem, ramusculos paucos apud me reposui in ea apotheca, in qua res meæ omnes pretiosas seruabam. uerum ipsa combusta, qua tempestate & delubrum pacis incensum est, & hæc, & aliæ quinque Cinnamomi

Error quorūdam.

Cinnamomi consideratio.

Cinnam. hist. ex Galeno.

Cinnamomi optimi notæ.

namomi species, quas mihi conquieseram, periere. Nunc itaq; cum imperatori nostro Seuero theriacam compone-
rem, ex Cinnamomo Adriani tempore reposito, quod optimum uisum est elegi, de quo etiam utile quiddam lecturis
subdere, cum possim, id facere non grauabor. Super sunt adhuc ibi multa uasa lignea, quæ omnia habent plurimum ra-
dicum, uel plurimum ramorum, uel ut quissiam dicere uelit, Cinnamomorum differentias: nullum tamen ueluti trunci-
us, in ramos plures diuisus attollitur, sed ueratri utriusq; figuram præ se fert, atq; etiam magis damasonij uocati, quod è
Creta ad nos adfertur. Quæuis autem Cinnamomi species ab una radice, ceu frutex quidam paruus confurgit, emit-
titq; hæc sex, illa septem uirgulta, uel paulo plura, paucioræ uero, non æquali tamen omnia longitudine sunt: uerum quod
maximum est, pedis Romani dimidium non excedit. Vniuersa autem Cinnamomi natura similis est quodammodo opti-
mæ cassiæ. Hactenus de Cinnamomo Galenus. Cuius uerba hic recensere libuit, ut omnibus palam sit, quod cum sub
iis tam magnis Imperatoribus, qui toti ferè orbi imperabant, tanta esset Cinnamomi penuria, admirari non debeamus, 10
si se nobis penitus incognitum, rarissimumq; reddiderit. Sed potius id mirum fuerit, quod cum hac ætate cassiæ pluri-
mum afferatur, quæ, ut Theophrastus, & Plinius inquit, nascitur iuxta cinnamomi campos, sed in montibus, Cin-
namomi tamen nihil importetur. Quare non deest suspicio, quin omne ferè Cinnamomi genus deperierit in Arabia,
quemadmodum & balsamum in Iudæa. Quandoquidem scripserit Plinius lib. xii. cap. xix. combustas iam esse plu-
rimas Cinnamomi syluas, his uerbis. Cinnamomi pretia fuere quondam in libras denariorum mille. Sed postea auctum
id parte dimidia est, incensis (ut ferunt) syluis iræ barbarorum. Id acciderit ne ob iniquitatem præpotentium, an for-
fit, non satis constat. Austros ibi tam ardentem flare, ut æstatibus syluas accendant, inuenimus apud auctores. Quo
fit, ut facile credi possit à Plinij æuo id, quod Cinnamomi reliquum erat, pariter uel barbarorum bello, uel ignis fla-
tibus deperisse. Nam si aliter res se haberet, qui cassiam ad nos deferunt, cum multo plus lucri ex cinnamomo, quam
ex cassia se consecuturos sciant, Cinnamomum etiam unà cum cassia ueherent. Hæc autem dixisse uolui, non ut hac in 20
re certi aliquid, exploratiq; habeam, cum tantum coiecturis agam, sed ut alijs ulterius explorandi latius pateat iter.
Ceterum Strabo non modo cum Theophrasto, Dioscoride, Galeno, Plinioq; cinnamomum in Arabia nasci scribit, sed
etiam in India, ea scilicet parte, quæ ad austrum uergit. quippe cum hæc Arabia, & Aethiopiæ sole persimilis sit,
ea omnia (ut ipse ait) gignit aromata, nempe cinnamomum, cassiam, & alia, perinde ac illæ. Veruntamen cur nec
inde ad nos afferantur, an quod etiam ibi perierit, an aliam ob causam, ij manifestius referant, qui hoc tempore libur-
nicis eò ad aromata conquirenda quotidie nauigant. Sed uidetur Galenus satis perplexè de Cinnamomo scripsisse.
quippe primum arcam Romanam delatam prodidit è barbarorum regione longitudine cubitorum quatuor cum dimidio,
in qua integra cinnamomi arbor erat. quibus omnino denotat Cinnamomum esse arborem. Deinde uerò unamquamq;
Cinnamomi speciem scribit, ab una radice, ceu frutex quidam paruus confurere, adeo ut maiora eius uirgulta dimi-
diū Romanum pedem non excedant. quibus procul dubio fatetur, Cinnamomum esse in paruorum fruticum genere. 30
Vnde certè nesciuerim ego explicare, quid sibi hac in historia uoluerit Galenus; præsertimq; cum tam tenui ipsum sar-
mento esse tradiderit, ut ueratri, uel damasonij radicibus comparauerit. Sed illud etiam mirum mihi uidetur, quod ex
cassia (ut ipse ait) Cinnamomum oriatur, spectenturq; nonnunquam cassiæ arbores integræ, in quibus aliqua cinnam-
momi uirgulta è cassiæ ramis prodeant, cum tamen cinnamomum, & cassia diuersæ inter se sint plantæ. Nisi fortasse
inter utranque tanta sit generis cognatio, ut aliquando inuenta sint cassiæ uirgulta tanta odoris saporisq; fragrantia,
ut omni ex parte cinnamomum referrent, etsi legitima fuerit cassia. Præterea non desunt, qui putauerint hæc Gale-
ni auctoritate freti, cassiam & cinnamomum ex una, & eadem arbore prouenire, quæ dum pumila sit, cinnamomum
edat, dum uerò adoleuerit, cassiam. Sed cum dicat Galenus, cassiam mutari in cinnamomum, non autem cinnamomum
in cassiam, cadit eorum sententia. Quibus etiam refragatur Theophrastus lib. ix. de plantarum historia cap. v. ubi
cassiam, & cinnamomum ostendit diuersas esse plantas: licet de earum forma, & proceritate nihil certi exploratiq; 40
affirmet. Quandoquidem initio capitis non ex sua, sed aliorum sententia scribit, cinnamomum & cassiam frutices esse
magnitudine amerinæ: deinde uerò alios etiam secutus auctores, cinnamomum fruticosum facit. Ceterum cum scri-
bat Strabo Arabas cinnamomo, & cassia uti ad ignem parandum, cæterorum lignorum loco, uidentur hæc plantæ non
esse adeo pumilæ, ut quidam scribunt. Quod de cassia facile dici potest. siquidem Venetijs cassiæ Cannellæ uocata fi-
stule uisuntur tantæ crassitudinis, longitudinisq;, ut facile quisq; iudicare possit eas è ramis, seu uirgultis non sanè bre-
uibus fuisse decerptas. Cinnamomi deniq; sex genera esse produntur à Dioscoride, & Galeno: sed is nullibi (quod
sciuerim) præterquam in libro de theriaca ad Pisonem, quem tamen librum spurium putamus, ea per genera descri-
psit, fortasse (ut solet) Dioscoridi se remittens, qui etiam tantum à locis, ubi nascuntur, plus minusue præstantiæ
huic, quam illi reddidit. At Theophrastus citato nuper loco longè aliter cinnamomi differentias haberi ait, his
uerbis. Cinnamomum decerptum in quinque partes discerni narrant, & esse præcipue bonitatis, quod germinibus 50
proximum fuerit, idq; ad palmi longitudinem cædi, aut paulo maius. Secundum, quod sequitur, quod etiam minus
cassura est. Tertium deinde, & quartum notatur. Vltimum uerò, quod deterrimum, proximumque radici: hoc en-
nim minimum corticis habet, in quo summa gratia est, non in ligno. qua de causa præferri cacumina solent, quod
corticis plurimum habeant. Quidam sic aiunt. Alij uerò Cinnamomum fruticosum enarrant, eiusq; genera duo,
alterum nigrum, alterum candidum. Hæc Theophrastus. Veruntamen cum nec is hac in historia aliquid constanter,
affirmanterq; scribat, Imperatorem, Regemue quempiam desiderarem, qui humanam rempublicam miseratus, ex-
plorandi Cinnamomi gratia in Arabiam, & Indiam mitteret, magnanimosq; illos imitaretur Imperatores, qui ipsius
Galeni æuo ex iisdem regionibus sibi Cinnamomum comparabant. Id enim Caesar noster Carolus quintus, si illi Deus
opt. max. Christianam remp. pacatam redderet, commodè consequi posset. uel fortasse commodius Rex Lusitanus,
qui in orientalem Indiam sæpe ad aromata conquirenda suas liburnicas mittit, quo in itinere uniuersas felices Ara-
biæ oras explorare posset: quemadmodum & uniuersam Indiæ partem, quæ ad austrum spectat, ubi inquit Strabo
Cinnamomum

Cinnamomi
penuria unde
sit.

Opinio quo-
rundam falsa.

Cinnamomi
differentiæ ex
Theophr.

Cinnamomum pariter nasci. Sed o clarissimi Lusitanie medici, si res medica uobis cordi est, si nostram cupitis ditare facultatem, medicumq; nomen extollere, si charitas uos tenet, si naturalis humani generis iuuandi amor uobis insitus est, iamiam prouinciam hanc suscipite. Quippe si princeps uester hinc sibi immortale nomen, uniuersae uero reipublice commodum perquam maximum comparare posse a uobis intellexerit, cum omni pietate ac magnanimitate (ut audio) preeditus sit, nulli dubium est, quin omne studium, auxiliuq; impendat, ut non modo Cinnamomum ipsum reuocetur in lucem, sed & alia fortasse pleraq; medicamenta, quibus antiqua medicorum familia suas illustrauit antidotos. Porro tamen si haecenus illud mihi abunde probatum esse uideatur, quod cassiam ueram habeamus, desideremus autem optimum & legitimum cinnamomum; sunt tamen hac etate scriptores, qui non cassiae folium, sed etiam cinnamomi genera inueniri tradunt. inter quos extat Fuchsius uir clarissimus, qui libro illo de compositione medicamentorum, quem locupletatum postremo edidit, de cinnamomo differens, ita scribit. Sed haud dubie in capsis cannella refertis & cassiae, & cinnamomi genera reperiuntur, quare delectu opus erit, qui illa distinguere uelit: distinguet autem notis utriusque diligenter expensis. His nimirum uerbis Fuchsius cinnamomum nobis uerum non deesse asseuerat. Sed quibus id rationibus, aut auctoritatibus comprobet, non uideo: nisi hoc acceptum referat Amato Lusitano, qui eo amentiae deuenisse uidetur in suis enarrationibus, quas in Dioscoridem scripsit, ut apud nos cinnamomi genera inueniri, atque etiam illud aroma notissimum esse contendat. Verum huius ineptias ac uanitates plurimas alibi persequimur, ubi nos ab eius calumnijs defendimus. hic enim quod de materia medica sentimus, & ingenue profiteri possumus, libenter scribimus. Quare ea sit nostra de cinnamomo sententia, quae a nobis antea fusius probata est, quam modo oporteat pluribus Fuchsum refellere. quem tamen doleo maiorem fidem praestitisse Lusitani illius ineptijs & mendacijs, quam uirum peritum deceat. Ceterum illud tantum addam, quod nobis, qui cinnamomum lignum non corticem esse ostendimus, mirari quidem subit Fuchsum, qui libro supra citato eodem loco paulo post contrarium scripsit, ut eius uerba, quae subiiciam, aperte testantur. Cinnamomum, inquit, quod nobis Zeilam insula mittit, cortex est arboris quatuor fere cubitorum altae, crassitudinis brachialis, sex uel septem e trunco mittentis ramulos, qui singulis annis amputantur, atque iterum pullulant: quorum cortex, qui cinnamomum est, sit tenuis, odoratissimus, gustatu acris, & ualde mordax, non tamen adeo ut moleste rodat, mansum rutam oleat, &c. In hanc, meo quidem iudicio, uanam opinionem Fuchsius non secus atque in superiorem uenisse deprehenditur secutus Amatum Lusitanum: qui eandem fere prius, quam ille post cinnamomo effigiem reddidit, quanquam eam a quodam accepisse fatetur. Cinnamomi uires scribit Galenus lib. VII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Cinnamomum summe tenuium est partium, non summe tamen calidum, sed ex tertio ordine. Nihil autem aequè desiccet eorum, quae pari sunt excalfaciendi facultate propter tenuitatem scilicet essentiae. At Cinnamomis est uelut imbecillum cinnamomum: nonnulli ipsam pseudocinnamomum nuncupant. Meminit & Cassiae eodem libro citato, ubi sic habet. Cassia exicat, & excalfacit tertio quodammodo ordine, sed & tenuium admodum est partium, gustu uero plurimum in se acris deprehenditur, leuiter quoque nonnihil adstringens. Quamobrem ob haec omnia incidit, simulq; digerit, quae in corpore sunt recrementa, & ad haec robur etiam instrumentis addit. Idoneum uero etiam suppressis mensibus, cum uidelicet a copia simul & crassitudine excrementorum, quod sufficiat, euacuari nequit. haecenus Galenus. Ceterum ex uulgari cinnamomo fit aqua stillatitia, quae & odore & sapore idipsam pulchre representat. eam autem extrahendi ratio haec est. Sumito dicti cinnamomi quantum licet optimi libram, idq; leuiter contusum in uas uitreum uel eneam, quod matulae formam referat, conijcito: dein aquae rosarum stillatitiae libras quatuor, & uini albi odorati selibram infundito. uas illud in balneum aquae tepentis & non feruentis imposito, atque inibi ore uasis prius obturato, uiginti quatuor horis macerari sinito. post id tempus uitreo organo rostrato, quod ab effectu galerum uocant, uas antedictum cooperito, & igne fornaci succenso, per balneum aquae feruentis aquam stillatitiam elicit. Verum canna stagna, uel uitrea, quae duorum circiter cubitorum longitudinem expleat, organi uitrei rostro admouenda inferendaq; est. illi postremo uas uitreum subiucito, quod manantem aquam excipiat, insuper prouidendum est, ut omnia uasorum orificia diligenter obstruantur, ne quid expirare possit. Haec aqua contra omnes aegritudines, quas frigus excitauerit, efficax est: utpote quae pituitam humoruq; lentitiam digerat, incidat, & absumat, statusq; discutiat. Priuatim uero uentriculum, iecur, lienem, cerebrum, neruosq; iuuat & roborat: animi deliquio, cardiacisq; affectibus praesentano remedio succurrit: uenenis uenenosorumq; animalium moribus aduersatur: menses pellit, & urinam ciet: caeliacis auxiliatur: nauisam sedat, & fastidium abigit. uteri morbis perquam utilis est: prode suspiriosis, resolutis, conuulsis, & comitali morbo laborantibus: gustui gratissima est, atque oris halitum commendat. In summa ubi excalfacere, aperire, incidere, digerere, & roborare sit opus, huius aquae usus maximam praestat utilitatem. Veruntamen quoniam nec Dioscorides, nec ueterum Graecorum quisquam meminit

Fuchsi, & Amati opinion- nes reprobatae.

Cinnamomi vires ex Galeno.


Cassiae vires ex eodem.

Cinnamomi vulgaris aqua stillatitia.

Cassiae solutiuæ confideratio.

d recess,

CASSIA SOLVTIVA.



Nomina.

Ἄμωμον.

AMOMVM.

CAP. XIII.

AMOMVM exiguè fruticat, ex ligno se conuoluens in racemi modum: flore, ceu candidæ uio-
læ, paruo: folijs bryoniæ similibus. Laudatur quàm maximè Armeniacum, colore ad aurum uer-
gens: ligno subrufo, abunde odorato. Medicum, quoniam in campestribus, & aquosis enascitur,
infirmius esse constat: est autem magnum, subuiride, tactu tenerum, frutice uenoso, odore origa-
ni. Ponticum uerò subrufum, paruum, fragile, racemosum, fructu turgens, & odore nares feriens.
Deligito recens, candidum, uel subrubrum, quod nec adstrictum cohæreat, nec conuoluatur, sed
solutum diffundatur: semine plenum, uis paruis simile, graue, ualde odoratum; modò cariem non
contraxerit, acre, gustu mordens, simplici colore non euariante. Vim habet calfaciendi, adstrin-
gendi, exiccandi. Somnum allicit: & illitum fronti, doloris sensum auferit: inflammationes, & me-
liceridas concoquit, discutitque: iuuat quos scorpis percussit, ex ocimo illitum: & podagricis
confert: inflammationes oculorum, uiscerumque lenit ex uua passa: ad vuluarum uitia in pesis, aut
in fessioibus utile est. Decoctum iocineri, renibus, podagræ, potu conuenit. Antidotis immisce-
tur, & pretiosissimis unguentis. Adulteratur Amomum herba simili, quæ Amomis uocatur, sed
sine odore, sine fructu. Nascitur in Armenia, flore origani. Quare in huiuscemodi rerum pro-
bationibus fragmenta fugienda sunt: eligenda autem, quæ ab una radice suos integros surculos
emittunt.

Amomi con-
sideratio.

TANTA medicorum, qui nos præcesserunt, in simplicium medicamentorum historia, & facultatibus igno-
rantia, segnitiaque extitit, ut nisi Deus opt. max. acerrimi, & fere diuini ingenij uiros, hac ætate nobis produxisset
in lucem, qui præter id, quòd uniuersam medicam facultatem ab erroribus sanè innumeris expurgauerint, eandemque
illustrauerint, uera quidem simplicia medicamenta inuestigarunt; minimè profecto uerendum fuerat, quin paruo tẽ-
poris tractu ars medica penitus subuersa, extinctaque remansisset. Et certè si longiori tempore res ita se habuisset,
nulli dubium est, quin huiuscæ facultatis cognitio in auram euolasset. quandoquidem hæc pestis radices tam in altum
fixerat, ac tam late se diffuderat, ut tametsi nonnulli ingenio, & doctrina præstantes plurimum insudauerint, om-
neque studium, & operam quam diligentissimè impenderint, quo errores, qui ignauia & negligentia emerferant, à
re medica excluderentur, eos tamen hæcenus radicibus euellere nequuerunt. Siquidem non desunt, qui (quanuis hæc
sæpe percipiunt rationes) malint suos prosequi abusus, omni ex parte detestandos, quàm candidissimæ in hære uerita-
tati. Quo fit, ut unà cum alijs innumeris simplicibus medicamentis etiam legitimo Amomo careamus. Cuius uice quis
dam

recens, grauis, sarcta, & quæ concussa, inclusis seminibus minimè
constrepit. Pulpa exalfacit, & humectat ordine primo. Eadem
lenit, resoluit, sanguinem mundat, bilisq; feruorem extinguit: aliu
item cõmodissimè citat, eiusq; uis uentriculum non pertransit. qua
propter securissimè datur à medicis inchoatibus febribus, alijsq; ca-
lidis morbis ante uenæ sectionem, quòd tantum uentriculum repur-
get, et aliu emolliat. Nocet tamè intestinorũ imbecillitate affectis,
et his, qui admodũ lubrici sunt: aliàs omnino habetur innoxia. Tol-
litur id noxæ admistis myrobalanis, rhabarbaro, nardo, et mastiche.
Constipatis si detur, augenda est eius facultas ijs, quæ magis ea-
dem ui pollent: proinde sunt, qui addant amygdalinum oleum, &
psyllij spissamentum. Urinæ difficultatibus mirificè auxiliatur, si
cum urinam cientibus medicamentis hauriatur, uel deuoretur. Aegre
aliu excernit: eaq; propter nonnulli roborant eius uires, ad-
dito hyssopo, uel caprino sero. Bilem, & pituitam excernit, nul-
lo sane incommodo: pectus, & fauces mulcet, & eorum inflam-
mationes resoluit: renes à calculis, & sabulo expedit; præsertim
si cum glycyrrhizæ decocto, alijsue medicamentis urinam cienti-
bus bibatur. quin etiam frequenter deuorata calculos renasci pro-
hibet. Admodum præter hæc calidis confert febribus. Ceterum
exteriori illita erysipelas extinguit, ceterasq; inflammationes, quæ
cutè tenus emergunt. Sunt è recentioribus medicis, qui eam nun-
quam suis ægrotantibus exhibeant, nisi picæ puluerem admi-
sceant. quod consulti factum existimo: præsertim ubi uentriculi,
& intestinorum imbecillitas adsit. Quæ Græcis κασσία, La-
tinis item Cassia nominatur: Arabibus, Selicha, Selche, aut Sa-
libacha: Italis, Cassia, atque etiam Italarum uulgo Camella:
Germanis, Zimmet, seu Zimmet roerlim: Hispanis, Canela: Gal-
lis, Canelle. Quod uerò Græci κιννάμωμον, Latini quoque Cin-
namomum dicunt: Arabes, Darfeni: Itali, Cinnamomo.

10

20

30

40

50

dam

dam stirpium impostores ex Gargano Apuliae monte profecti, pumilum quoddam semen supponunt, colore nigro, odore melanthij. Quod cum tantillum aromatis respiciat, & gustu acri deprehendatur, excogitarunt, ut facilius ipsum corradere, in hominum animis inducere, id procul dubio legitimum esse Amomum. Quod tamen (si Dioscoridi fides est adhibenda) semen edit uuarum racemis simile, non autem minutum, quale illud uisitur. Insuper mihi sane non constat, Dioscoridem semen in Amomo approbasse, sed potius ligneam arbusculæ materiem, ut in cinnamomo & cassia uidere est. quo fit, ut legitimum Amomum lignum potius, quam semen existimauerim. Sed & turpiter aberrant, qui Serapionis interprete decepti, herbam Pedem columbinum quibusdam uocant, que geranii præ se fert speciem, Amomum esse contendunt, & in Amomi locum substituunt, nullam de his historiam inquirentes. Ceterum Amomum, quod uere probari possit, nullibi (quod scierim) in Italia prouenit, nec eò aliunde translatum hætenus uidere potui. Neq; propterea uulgare pro eo supponendum esse censeo: quippe de incognitis periculum facere nec decens est, nec tutum. Sed potius Galeno mos gerendus fuerit, qui acoro, & Amomo uires consimiles tribuit. Acorum itaq; locum Amomi supplere poterit. Porro & hi omnino explodendi sunt, qui pro certo asserere non uerentur, eam stirpem esse Amomum, quam Hiericuntam à Hierico Palestine oppido appellant. Plantam hanc plerunque ad nos è Hierico defertunt ij, qui ad sanctissimum REDEMPTORIS nostri sepulchrum peregre proficiscuntur. Ea enim est, quam nostrates mulieres rosam diuæ Mariæ uocant. Constat hanc Amomum non esse, quod folia albæ uitis non proferat, nec ullo spiret odore. Legitimum enim ualde odoratum est, adeo ut nares feriat primo statim occurssu, origanumq; respiciat. Cordus libello de consiciendis pharmacis satis inconstanter de Amomo disseruit, quippe in compositione aureæ Alexandrinæ pro certo asserit Amomum uerum esse rosam Hiericuntis: in compositione uerò theriacæ, sui ipsius oblitus habere nos Amomum negat. Utuntur Hiericunta nostrates mulieres tempore partus ad inuestigandam pariendi horam. quoniam quidem (ut ipse fatentur) in aquam demissa non prius fatifcit, quam fetus nafci incipiat: tanta inter christicolos irrepsit superstitio. Fuchsius medicus hæc nostra ætate celebris in libro de componendis medicamentis, quem nuper locupletatum edidit, dum ea simplicia examinat, que Theriacam ingrediuntur, eò productus, ubi Amomi racemosi carmine meminit Andromachus senior, omnes Galeni interpretes insinuat his uerbis. Botryos) Græcè est Βότρυος. In hac uoce interpretanda omnes Galeni, qui hanc compositionem tradit, interpretes hallucinati sunt. Siquidem Andernacus libro primo de antidotis, uue conuertit: alij omnes, & cum ijs Cordus, racemosi, Βότρυος uocem cum Amomi dictione, que præcedit, coniungentes, quasi uero Andromachus de Amomo racemoso locutus sit: quod certè Dioscorides non Βότρυον, sed Βότρυόδες appellat. Separandæ igitur hæc due dictiones per interiectum coma erunt, hoc nimium modo, ἀμώμου, Βότρυος, ut nos conuertimus: ut intelligamus Andromachum de duabus inter se differentibus herbis esse locutum, nempe Amomo, & botry. hæc ille. Ex quibus utique abunde liquet Fuchsium sensisse, botryn quoq; herbam, de qua Dioscorides agit libro tertio, in theriacam addendam esse. Veruntamen in hoc nos à Fuchsio, uiro alioqui doctissimo, planè dissentimus: quandoquidem Andromachum non botryn, sed amomum racemosum intellexisse putamus, idq; non sine rationibus, & coniecturis. Et ne longè progrediamur, in primis Andromachus ipse senior Fuchsio aperte refragatur: illum enim non inuenio in suis carminibus, que libro primo de antidotis in Galeno leguntur, aliter de amomo cecinisse, quam κατὰ Βότρυόδες ἀμώμου. que quidem due dictiones non ita separari possunt, ut Fuchsio opinatur: neque prior illud unquam significabit, quod idem perperam accipit. Ad hæc non minus, quam senior, nostræ sententiæ adstipulari deprehenditur iunior Andromachus: utpote qui in tradenda theriacæ compositione, quam soluta oratione descripsit, nusquam (quod equidem legerim) botryn commemoret, sed amomum tantum. Quod etsi Damocrates in eadem antidoto describenda carminibus, que loco citato à Galeno referuntur, cecinerit Βότρυος τ' ἀμώμου; hæc tamen due dictiones non sunt temere, meo iudicio, separandæ: nam eas auctor consultò coniunxisse uidetur. Quid præterea de Galeno dicemus? etenim is quanquam libro antè dicto sigillatim enumerat, ac diligenter expendit simplicia medicamenta, que in theriacam adduntur; tamen nusquam (quantum inuenierim) botryos mentionem facit: neq; etiam eius meminit de theriacæ ad Pampbilianum scribens. quid, si eadem plantam apud Galenum in simplicium medicamentorum censu desiderari omnibus notum est. Addam illud postremo quod inter recentiores Græcos Paulus, & inter Arabas Auienna botryn herbam theriacis non inserunt suis. Quæ sanè omnia nostram augent, & confirmant opinionem. Cui si illud obijciat Fuchsius quod Nicolaus Myrepsicus in sua theriacæ botryn Gallicam habeat; respondebo ego, quod Nicolai codex Græcus deprauatus est, & innumeris scateat mendis: id quod ipse Fuchsius nō negabit, quod idem de Nicolai codice sepe numero polliceatur. Ex his itaq; satis manifestum fieri arbitror, quod ut Fuchsij sententia, que theriacæ botryn adijcere contendit, refellenda est; ita Galeni interpretes, qui Amomum racemosum uertunt, probandi sunt, ut qui sint cum Andromacho Dioscoridem secuti. is enim Amomi Pontici notas perstringens, ipsam racemosum fecit, ut supra in eius mentione legitur. Amomi meminit Galenus lib. vi. simpl. med. sic inueniens. Amomum acoro similem facultatem obtinet: nisi quod acorum siccius sit, maiore autem concoquendi facultate Amomum. Hoc Græco nomine ἀμώμου dicitur: Latino item Amomum: Arabico, Hamemis, aut Hamama: Italico, Amomo.

Amomū spurium.

Serapionis Interpretis lapsus.

Error quorūdam.

Fuchsij opinio reprobata.

Amomi uires ex Galeno. Nomina.

Κόβορ.

COSTVS.

CAP. XV.

PRAECELLIT Arabicus, candidus, leuis, eximia odoris suauitate. Secundum locum sibi uendicat Indicus, leuis, vber, ut ferula niger. Tertius est Syriacus, grauis, colore buxeus, & odore ferriens. Optimus est recens, albus, abunde plenus, densus, aridus, à teredinibus non erosus, sine graueolentia, gustu calidus ac mordens. Vis ei excafactoria: vrinam ciet: menses pellit: vitij, quæ uulnam malè habent, tam imposito, quàm fotu, & suffitu auxiliatur: Contra uiperarum morsus

d 2 sextan-

sextantem bibere prodest: item aduersus pectoris dolores, conuulsa, inflationesque ex uino & absinthio: uenerem ex mulso stimulat: latas uentris tineas ex aqua pellit: horroribus ex oleo ante februm accessiones, & neruorum resolutionibus oblitur: uitia cutis in facie, cum aqua, uel melle illitus, emendat. Additur in antidota, & malagmata. Sunt qui, admittis helenij Comageni præduris radicibus, adulterent. Quod deprehensu facile est: siquidem neque gustu feruet helenium, neque ualidum odorem uibrat, ut caput tentare possit.

Costi confide-
ratio.

COSTVS, quo use sunt officinæ per longas ætates, in amarum, & dulcem diuidi solet: tamen si tum Dioscorides, tum etiam Plinius nec dulcis, nec amari meminerint, sed nigri duntaxat, & albi. Galenus quidem scribit leuiculam Costo inesse amaritudinem: sed qui inter Græcos scripserit Costum inueniri dulcem, hætenus compertum non

PSEUDOCOSTVS.



Costi quæ uicem
supplicat.

Costi uires
ex Galeno.

Nomina.

habeo: quamuis Mauritanii, & eos secuti, dulcis, & amari quantum mentionem fecerint. Qui in myropolijs passim habetur, adulterinus est. quippe nec ulla odoris suauitate commendatur; nec gustu adeo acri deprehenditur, ut admotus exulceret, ut Galenus inquit. Proinde medicamentis, quæ Costum excipiunt, non erit, meo iudicio, imponendus, cum præterea nos planè lateat, cuius nam plantæ sit radix. Porro non desunt hodie impostores, qui ex Gargano Apulie monte quotannis ad nos conuehunt Pseudocostum cuiusdam radices, amari saporis, quæ facie quadantenus Rhodiam radicem representant. Eas autem pro legitimo costo uendunt nostratibus pharmacopœis, ijs præsertim, qui in rei barbariæ cognitionem negligentius incumbunt. Plantam nos habere, atque etiam depingi curauimus (ea enim alioqui non est uulgaris iudicanda) ut ex eius imagine, quam hic damus, discant imperiti cuius plantæ sint radices illæ. Hinc fortasse fiet, ut si illi imposturam hanc omnibus cognitam esse intelligent, eam desinant posthac facere. Inuenitur Costus (ut audio) apud quosdam Venetijs, sed admodum rarus, quem legitimi notas habere aiunt. Verum eum hætenus talem non uiderim, non est, cur eum probem, uel improbem. Ceterum seplastarij, si legitimum consequi nequeunt, à pseudocostis abstineant. & Galenum, uel auctorem illum sequantur: qui, si Costus defecerit, ammoniacum, uel helenium supponi iubet. erit enim eis hoc satius, quam uti adulterino. Sed quidam adeo suis pandectis, & luminaribus additi sunt (quæ est eorum tum inscitia, tum pertinacia) ut nullis unquam auctoritatibus, atque rationibus suaderi possint, ut ueterem semitam penitus detestandam relinquere uelint, quæ plerumque est ægris detrimento, & sibi, & medicis dedecori. Sunt insuper, qui Costi loco Angelicam recentioribus uocatam supponendam existiment. quorum sententiam magis probandam censerem, quam eorum, qui pseudocostis utuntur. Costum enim hæc radix non obscure refert: quandoquidem eximia illa odoris suauitate tam iucundè spirat, ut angelicæ nomen sibi merito uendicasse uideatur. Acris præterea est, nec amaroris omnino expertis. Quapropter eos haudquaquam damnandos putauerim, qui Angelicam Costi genus esse crediderint. Costi uires scribit Galenus lib. VII. de simplicium medicamentorum facultatibus, sic inquit: Costus leuiculam planè amaram, plurimam autem acrem, & calidam in se qualitatem simul & facultatem continet, adeo ut etiam exulceret. Vnde ipso cum oleo perscrant corpus ante accessionem in rigoribus per circuitu redeuntibus. Sic uerò etiam in resolutis, & ischia dicis, atque in summa in quibus excelsa facere partem quamuis, aut ex alto in superficiem extrahere aliquem humorem est opus, ad costum confugitur. Eadem de causa urinas, mensesque prouocat: & adrupta, conuulsa, ac laterum dolores conuenit. Porro ob amaritatem, quæ illi inest, lumbricos latos enecat. Ob eandem & ad contractas uelut ex sole maculas, ἐφύλας Græci uocant, cum aqua, aut melle usurpant. Inest item flatuosa quædam illi temperiei humiditas, per quam & uenerem excitat cum uino mulso. Kōsos ita Græcè nominatur, quem admodum Latine Costus, Arabice Kostos, siue Chast, & Italicè Costo.

Σκοῖνος ἀρωματικός.

IVNCVS ODORATVS.

CAP. XVI.

ODORATVS Iuncus in Africa, & Arabia nascitur. Laudatissimus ex Nabathæa: proximus Arabicus, quem aliqui Babylonium cognominant, alij teuchitin: pessimus ex Africa. Eligendus est rufus, recens, floribus refertus, tenuis, rubentibus fragmentis, qui manibus confricando rosæ odorem emittit, igneæ mordacitatis ad linguam. Floris, culmorum, radicis que est usus. Vin uinæ ciundæ habet: menses pellit, discutit inflationes, caput aggrauat, modicè adstringit, comminuit, excoquit,

IUNCUS ODORATUS.



excoquit, ac uenarum spiracula laxat. Flos eius in potu utilis sanguinem reijcientibus: doloribus stomachi, pulmonis, iocineris, & renum. miscetur antidotis. Radix adstringentior est: ideo fastidijs stomachi, hydropicis, conuulsis, drachma una cum pari pondere piperis, per dies aliquot datur. Decoctum uulua inflammationibus, ad defidentium fatus, utile est.

IUNCUS odoratus officinis Squinanthum uocatur. Que uox, quamuis deprauate, ex planta, & floris nomine componitur, in unam utrisque iunctis dictionibus. Namque squinanthum si ad rectam etymologiam referatur, non aliud inferet, quam duas hasce Græcas dictiones σκίνοον & άνθος, que Latine florem iunci significant: σκίνοον enim iuncum, άνθος uero florem Græcis designat. Verum tamen flos ad nos non importatur. quod tamen mirum non est, cum etiam Galeni tempore non haberetur. Proinde inquit libro primo de antidotis. His præterea Iuncum odoratum ex Arabia allatum immitte præcipit, quem nescio quomodo schoeni anthos, id est, iunci odorati florem multi uocent, cum nobis floris copia non adeo suppeditet. Nam etsi tota aduehatur herba, sunt tamen eius superiores partes à camelis sepe depastæ: uescuntur enim ea, & delectantur maxime. hæc Galenus. Que (si licet nobis dicere quod sentimus) potius ridenda, quam probanda uidentur. Arduum quippe fuerit credere, tam ingentem esse camelorum numerum, qui locustarum modo in uniuersum schoeni flores depascantur, ut nulla penitus supersit planta, cui flos non deuoretur. Referunt quidam nasci odoratum Iuncum etiam in Apulia. quin & in Campania prouenit, ut Brasauolus inquit Plinij auctoritate. Sed uerbor, ne hallucinentur, quod nec inde flores afferantur, nec paleæ: neque etiam id Plinius affirmanter asserat. Is, quo Seplastrii passim utuntur, non affertur aliunde, quam ex Alexandria. Ceterum non parua quidem diligen-

Iunci odorati consideratio.

tia, dum emitur, est adhibenda. quandoquidem non desunt impostores, qui ad merces augendas, schoenum palearum, & herbarum quibusdam fistulis adulterent. Præterea uidendum est, ne uetustate exoleuerit: facile enim (ut in libro de antidotis docuit Galenus) ab hoc uis omnis euanescit. Scribunt Monachi illi, qui in Mesuem commentarios ediderunt, odoratum Iuncum, quo passim officinae utuntur, spurium & illegitimum esse, cum hæc paleæ (ut eorum uerbis utar) Dioscoridis schoenum minime referant. Siquidem radices primùm medicinae usui congruas illi non inesse contendunt, sed capillorum modo tenues: deinde paleæ ipsas nullam gustantibus acrimoniam relinquere, nulloq; rosarum odore fragrare, si manibus confricentur: nec postremo iuncum aliquem proferre, sed calamos geniculis interceptos tritici, uel hordei modo. Quia in re (pace eorum dixerim) duplici errore notantur, primùm quod Dioscoridem oscitanter legerint: deinde quod illud affirmant, quod experimento procul dubio falsum esse deprehenditur. Quod autem Dioscoridem oscitanter legerint, cum dicunt schoenum iuncum proferre, non calamum, facile patet. quandoquidem contrarium scribit Dioscorides, ubi schoeni usum reddidit his uerbis. χόσμος δὲ τῶ ἀνθους, καὶ τῶν καλαμῶν, καὶ τῆς ῥίζης. id est. Usus est floris, calamorum, & radices. Præterea quod communis usus schoenos acrimoniam non habeat, pariter falsum est. quippe, ut experimento quotidie comprobari potest, qui non longo tempore consenuerit, linguam mansu uellicat. Quibus palam est, Monachos uel nunquam schoenum degustasse, uel si degustarunt, illum adeo uetustate exoletum fuisse, ut (quem admodum Galenus inquit) omnem acrimoniam, odoremq; amiserit. Quod autem nostri schoeni radices tenues sint, nihil ad historiam refert: siue enim tenues sint, siue crassæ, eas non descripsit Dioscorides. Schoeni flores ex Alexandria unâ cum integra planta allatos ego in manibus habui, qui digitis attriti rosarum odorem emittebant. Quamobrem non temerè contra Monachorum sententiam afirmandum putauerim, communis usus schoenum legitimum, & probatissimum esse. Sed ij quidem adhuc magis reprehendendi uidentur (non tamen ut eorum dignitati aliquid derogetur) quod in Diagalangæ compositione scripserint, radicem galangam uocatam legitimum esse schoenum, ipsamq; galangam ad nos afferri. quod prorsus à ueritate alienum deprehenditur. Ceterum & in hoc pariter Fuchsum errasse crediderim. quippe qui scripserit sua in methodo, schoeni anthi stipites nullam acrimoniam mansu relinquere, Schoeni uires prodidit Galenus lib. v 111. simp. med. ubi sic habet. Schoeni anthos modicè calfacit, modicèq; etiam adstringit, nec planè à tenuitatis natura alienus est. Quocirca his de causis urinam mouet, mensesq; ciet adhibutum siue in fomentationem, siue in potionem. prodest & iecoris, & stomachi, ac uentris inflammationibus. Magis eo astringit radix. Quod uero florem uocant, calidius est. Porro in omnibus sui partibus, in alijs magis, alijs minus, gustantibus apparet adstrictio: proinde medicinis, que hæmoptoicis, siue sanguinem reijcientibus exhibentur, commiscetur. Σκοίτος ἀρωματικὸς, Græcis: Iuncus odoratus, Latinis: Adcher, Arabibus: Giuncò odorato, & Squinantho, Italis: Ramelstro, Germanis: Paya de la Mequa, siue Paya de chamellijs, Hispanis: Pasture di chameaulx, Gallis nominatur.

Monachorū opinio explorata.

Fach. lapsus. Iunci odorati uires ex Gal.

Nomina.

Κάλαμος ὀρωματικός.

CALAMVS ODORATVS.

CAP. XVII.



Calami odorati historia ex Theo.

Brasauoli error.

Fuch. opinio improbat.

Calami odorati vires ex Galeno.

CALAMVS odoratus in India nascitur. Melior est fuluus, dense geniculatus, & qui assulose frangitur, plena araneorum fistula, albicās, lentus in mandendo, & adstringens, cum aliquanta acrimonia. Vrinam potu ciet: quare cum graminis, aut apij femine coctus, in aquæ subtercutem iusā morbo, renum uitijis, stitlicidio urinæ, ruptisq; commodè bibitur: menses & potu, & appositu pellit: tussi suffitu medetur per se, aut ex resina terebinthina, hausto per arundinem fumo: ad muliebres infellus decoquitur, & clysteribus imponitur. Malagmatis, & suffitionibus odoris gratia commiscetur.

CALAMVS, & Iuncus odoratus (ut Theophrastus est auctor lib. IX. cap. VII. de historia plantarum) trans Libanum montem, inter ipsum Libanum, & alium quendam montem paruum ualle minima exeunt: non, ut quidam dixerunt Libanum atq; Antilibanum. Inter quos campus amplissimus, & pulcherrimus est, quem Aulonem appellant. Quā uerò calamus, & iuncus proueniunt, lacus in amplum spatium, iuxtaq; cum palustribus siccatis isti assurgunt. Occupant locum plus quam triginta stadia. Virides nequam esse uidentur, sed sicci: forma uerò nihil ab alijs differunt. Locum ingredienti protinus odor affirat, nō tamen longius spirat, ut quidam referunt. Hic enim locus a mari plus est, quam stadia centum quinquaginta. Sed in Arabia aspirationem agri odoratissimam esse inter omnes constat. hæc de Calamo Theophrastus. Cui etiam subscribit Plinius libro XII. cap. XXII. ubi sic habet. Calamus quoq; odoratus in Arabia nascens communis Indis, atq; Syria est: in qua uincit omnis a nostro mari centum quinquaginta stadijs. Inter Libanum montem aliumq; ignobilem, non (ut quidam existima-

uere) Antilibanum in conualle modica iuxta lacum, cuius palustriaestate siccantur, tricenis ab eo stadijs calamus & iuncus odorati gignuntur. Nihil ergo a cæteris sui generis differunt aspectu. Sed Calamus præstantior odore statim è longinquo inuitat, mollior tactu, meliorq; qui minus fragilis, & qui assulose frangitur. Inest fistule araneum, quod uocant florem. Præstantior est, cui numerosius: reliqua probatio, ut integer sit. Damnatur alibi. Melior quo breuior, & crassior, lentusq; in frangendo. hactenus Plinius. Sed certè satis palam esse arbitror (ut in acori commentarijs diximus) quam magno ducatur errore Brasauolus Ferrariensis, quod tam facile sibi persuaserit, legitimum odoratum Calamum illam esse radicem, que temerè omnibus in pharmacopolis illius uicem explet, quamq; uerum esse acorum superius pluribus rationibus comprobauius. Quandoquidem pronum ex ipsa Calami appellatione, deinde ex eo, quod dixerint Theophrastus, & Plinius non differre hinc forma à reliquis sui generis, id est, ab omni arundinum genere, utique constat odoratum Calamum genere, & forma arundinem præ se ferre, odoratam tamen, non autem esse radicem. Quocirca Plinius Dioscoridem fortasse secutus, dixit. Fistule (hoc est cavitati) inest araneum, quod uocant florem: non autem radici, ut falso contendit Brasauolus, araneum illud inueniri in uulgari illo officinarum. Ad hæc Plinius lib. XXIIII. cap. XI. dum plura arundinum genera, & uires recensent, idem apertissime ostendit, his uerbis. Arundinis genera XIX. demonstrauius, non aliter euidentiore illa natura, quam continuis uis uoluminibus tractauius. Et quoniam plura genera fecimus, illa, que in India Syriaq; nascitur, odorum unguentorumq; causa, urinam mouet cum gramine, aut apij femine decocta: cit & menstrua admotu: medetur conuulsis duobus obolis pota, iocinori, renibus, hydropi, tussi etiam suffitu, magisq; cum resina. hæc Plinius. Sed præterea uulgares calami radices, quas acori esse censemus, assulose nequaquam frangi possunt, sed transuersim, quemadmodum & iridis. Quo fit, ut eorum innotescat lapsus, qui Calamum odoratum radicem esse contendunt, qui tamen (ut aperte ostendimus) nil aliud est, quam arundo. Cæterum si quisptam dixerit, has radices, quarum est usus, esse calami odorati proprias, non acori, illud sanè argumentum destruit, quod intuentibus euidenter apparet. quandoquidem etsi complures illius acori radices habeantur, que sicca gerunt in cacumine folia, iridi omni ex parte similia; nulla tamen usquam inuenta est, que secum arundinis trunculum cacumini annexum deferat. nempe acori proprium, non odorati calami est, iridis folia ferre. His itaq; rationibus Fuchsij quoq; sententia improbanda mihi uidetur. quippe qui putauerit in sua methodo, uulgarem officinarum calamum ueri odorati calami esse radicem. Porro minime quidem compertum habeo, Dioscoridem, nedum Galenum, qui ex odoribus, ac saporibus uires a que, ac qualitates omnium simplicium medicamentorum accuratissime inuestigauit, dixisse aliquid odorato Calamo inesse amaritudinis, quā tamē in acoro haberi Galenus prodidit. Qui Calami odorati uires pluribus descripsit lib. VIII. simpl. medicamentorum, sic inquit. Calamus odoratus leuiculam quandam adstrictionem, ac minimam acrimoniam possidet: magna ex parte essentia eius terrena est, & aërea, in caliditatis frigiditatisq; coniugatione temperata. Quamobrem moderate urinam mouet, & facultatibus

bus, quæ iecori, & stomacho imponuntur, misceri potest. tum in fomenta quoque uteri, quæ pblegmones gratia, aut irritandis mensibus assumuntur, utiliter admiscetur. Ponatur itaq; habeaturq; secundi ordinis eorum, quæ exalfaciant, & desiccant: ualentius tamen desiccant, quam exalfaciant. Inest quoq; ei quædam partium tenuitas, uelut alijs omnibus odoratis. Cæterum illorum compluribus tenuium partium plurimum, calamo uerò non multum adest. hæc Galenus. Quibus facile patet, Calamum officinis uocatum, legitimum esse nequaquam: maior enim illi inest acrimonia, quam suo referat Galenus. Eaq; propter legitimum calamo odorato nos esse hoc æuo desitutos fateri non dubitauerim: id quod etiam aliquibus satis persuasum esse puto. Nam propterea sunt qui libellum secuti de substitutis medicamentis falso (ut mea quidem fert opinio) Galeno adscriptum, sphagnum, id est, muscum arboreum, calami odorati loco supponendum esse uelint. Quam equidem sententiam ut hætenus probaueram, ita etiam literis mandaueram.

10 Nunc autem quoniam illud mihi absurdum uidetur, quod ea medicamenta inter se commutari debeant, quæ contrariam facultatem sortita sunt, cuiusmodi esse deprehenduntur calamus odoratus & sphagnos; ideo non temere cogor mutare sententiam, atq; ab illis desistere. Sed quid pro calamo odorato rectè substitui posse credamus, alibi, Deo concedente, explicabimus. Eius nomen Græcum est Κάλαμος ἀρωματικός: Latinum, Calamus odoratus: Arabicum, Hafabel, aut Casab. aldatira: Italicum, Calamo odorato.

Nomina.

Βάλσαμ.ν.

BALSAMVM.

CAP. XVIII.

BALSAMVM arbor albæ violæ, lycij, siue pyracanthæ magnitudine conspicitur. Folium rutæ proximum, longè candidius, perpetuò uiuens. In Iudæa solùm quadam valle, & Aegypto nascitur: his differens modis, scabritia, proceritate, gracilitate. Quod igitur tenui, & capillacea coma est, 20 theristum uocant, quasi demersibile: forsassis quoniam ob gracilitatem facile demetatur. Acstius sub ortu canis ardoribus, arbos uingibus ferreis inciditur, manatque è plaga succus, quem Opobalsamum uocant: sed tam exiguo stillatu, ut annis singulis, ne plures quidem, quam seni septenive cogij cogantur: inibi que pondus duplo rependitur argento. Succus probatio est, ut sit recens, ualidi odoris, syncerus, non ad acorem uergens, dilui facilis, læuis, adstringens, ac modicè mordens gustu. Sed uariè uitiat, misto ab aliquibus terebinthi, cypri, lentisci, balani unguento: item susino, metopio, melle, aut Cypria cera liquida. Quod maleficium facile deprehenditur: nanque merus in læneam uestem suffus, neque maculam facit, neque si eluatur, notam relinquit: uitiatum autem inhæret, & lac instillatus coagulat, quod adulteratus non efficit. Quinetiam syncerus in aqua, aut lacte celerimè liquatur, coloreque lactescit: uitiatum uerò olei modo innatat, se conuoluens, aut in stellæ modum 30 diffundens. Syncerus senescens crassescit, deteriorque redditur. Hallucinantur, qui aqua concretum pessum ire, & ad ima fidere arbitratur: postea dissipatum supernatare. E ligni genere, quod Xylobalsamum uocant, probatur recens, sarmento tenui, fuluum, odoratum, quadantenus opobalsamum spirans. Necessarius etiam feminis erumpit usus: quare eligatur flauum, plenum, grande, ponderosum, mordens gustu, feruens in ore, modicè opobalsamum olens. Adulteratur femine hyperico simili, quod à Petra oppido defertur. Sed coarguitur magnitudine, inanitate, virium ignauia, sapore piperis. Efficacissima uis inest succo, & quàm maximè calfaciens: abstergit quæ tenebras oculorum pupillis offundunt: medetur perfrictionibus uulue cum rosaceo cerato appositus: menses quoque, secundas, & partus extrahit: horrores illitu discutit: vlcera fordida expurgat, & cruda concoquit: urinam potu ciet: ægrè spirantibus prodest: datur in lacte contra aconitum haustum, aut serpentium ictus. Miscetur acopis, malagmatis, & antidotis. In summa præcipua autoritas succo, 40 secunda femini, minima ligno. Semen commodè potui datur doloribus lateris, pulmonum uitij, tussi, ischiadicis, comitialibus, uertiginosis, orthopnoicis, urinæ difficultati, torminibus, ac serpentium moribus: ad muliebres suffitus perquam utile est: uuluum aperit in defensionibus balnearum decoctum, & humorem euocat. Lignum eisdem habet uires, aliquantò minores. Ex aqua potum cruditatibus, torminosis, uulsis, venenatorum ictibus opitulatur: urinam cit: ad capitis vulnera cum ficca Iri conuenit: squamas ofsium extrahit. & ad vnguentorum spissamenta additur.

ANTIQUITVS Balsamum (ut Plinius libro XII. cap. XXV. est auctor) in duobus tantum hortis, utroque regio, altero iugerum uiginti non amplius, altero pauciorum uni terrarum Iudææ concessum erat. Sed postea pro- 50 pagata admodum fuit species, cum Iudæa ipsa simul cum balsamo Romani potiti sunt. Qui ueluti politicarum pretiosarumq; rerum propagatores, tam dignam, claramq; stirpem raram esse non tulerunt. Itaq; eam mallicolis serendo, atq; iterando non secus ac uites in collibus propagantur, latius ac creuerunt. Quocirca Iustinus quoq; hæc de Balsamo memorie prodidit. Opes genti Iudææ ex uetigalibus opobalsami creuere, quod in his tantum regionibus gignitur. Est nanq; uallis, quæ continuis montibus, uelut muro quodam cincta ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducenta millia iugera, nomine Hierico dicitur. In ea ualle sylua est & ubertate, & amoenitate arborum insignis: siquidem palmeto, & opobalsamo distinguitur. quanquam species huius insignis, ac pretiosæ arboris plurimum adau- cta sit. hæc Iustinus. Scripsit Balsami historiam etiam Strabo lib. XVI. suæ geographiæ, ubi sic habet. Hiericus est campus à montina quadam circumdatus, quæ in theatri speciem ad ipsum declinat. Hoc in loco est palmetum palmis abundans spatio stadiorum centum, & totum irriguum, & habitationibus plenum, ubi & regia est, & Balsami uiridarium. Quæ arbor odorata est, & fruticosa, cytho, & terebintho persimilis. Eius corticem uulnerantes, succum in uasis suscipiunt tenaci lacti persimilem. Sed alibi etiam, quàm in Iudæa nasci Balsamum eodem libro idem testatur, præter

Balsami con- sideratio.

præter

præter Plinij, & Solini sententiam, cum inquit. Et apud Sabæos thus, & myrrha, & cinnamomum nascitur: in ora etiam Balsamum, & quædam alia planta ualde odorata. hæc ille. Oriri etiam Balsamum in Arabia testis est Pausanias in Beoticis magnitudine fructus myrti, folijs amaraci, sub cuius umbra inueneræ apricantur uiperæ, & suauissimo eius liquore aluntur. Sed quoniam modo sit factum (ut in Syriam peregrinantes uno ore fatentur) quod hoc tempore omnibus sanè Balsami plantis Iudæa sit penitus destituta, cum olim sola Balsami ferax à compluribus crederetur, quid certi dicam, & quibus auctoritatibus id comprobem, sanè non habeo. Verum cum certò sciam probatissimorum uirorum testimonio, qui ex Italia soluentes pluries in Aegyptum nauigarunt, Memphi Balsami uiridarum exterre, illud fortasse euenisse putandum est, quod è Iudæa ab Aegypti regibus, quibus uniuersa subijciebatur Syria, omne in uniuersum Balsamum eo fuerit translatum, quò decoris inde plurimum regiæ accederet. Quamquam Balsamum in Aegypto quoq; prouenire antiquorum monumentis mandatum est, ut ex ipso Dioscoride constat, atq; etiam ex Gale-
no libro primo de antidotis, cap. 1111. ubi de melle agit componendis antidotis idoneo. Veruntamen diu est, quod in
Italiâ, ne in totam dicam Europam, neq; lacryma, neq; semen, neq; lignum, neq; cortex importantur, nisi adulteris, & imposturis uitiata. Ceterum non modò fuit id ætatis nostræ adulterium, sed & antiquorū, ut auctor est Theophrastus: qui hæc de Balsamo lib. 1 x. cap. v1. de historia plantarum posteritatis memoriæ mandauit. Balsamum in ualle Syriæ prouenit. Eius hortos duos tantum affirmant, alterum uiginti iugerum, alterum multò minorem. Arboris magnitudo, quæ malo punice magnæ: rami multi: folium rutæ simile, candidum tamen, perpetuò uiuens: fructus similis terebintho tam magnitudine, & figura, quàm colore. Is quoq; admodum odoratus est, & magis quàm lacryma. Colligi lacrymam in caudice, & parte superna tradunt, facta incisura unguibus ferreis sub hydere, cum æstus maxime angit. Collectionem uerò æstate fieri tota. Sed quod manat, multum non esse: uix enim toto die concham posse impleri: odorem tamen inferri eximium, & copiosum, adeò ut ex paruo spatium per longum odor ualeat permeare. Verum syncerum ad nos nullum aduehi, sed quod mistum colligitur: plurimis enim missionibus uitari, quodq; Græciæ uenditur. Ideoq; Galenus lib. primo de antidotis narrabat, cum non ignoraret, opobalsamum diuersis modis adulterari posse, ita ut difficulter ementi discerni queat, se proprio oculorum intuitu cernere uoluisse & quomodo cresceret Balsamum, & quomodo lacrymam mitteret: uoluitq; synceræ eius lacrymæ partem habere, ueluti regulam ad dignoscendum alios Balsami liquores, qui per orbem ab imposturis uitiati circumferantur. Modus autem incidendi corticis, ut inde liquor effluat, apud auctores sanè uariis est. quandoquidem Theophrastus, & Dioscorides arborem dixerunt unguibus ferreis scalpi, ut inde uulnerato cortice fluat lacryma. Plinius uerò contrà, si ferro incidatur, statim sicari, atq; emori scribit: ob idq; qui opobalsamum colligunt, inquit, uitro, lapide, ossibusq; cultellis ad corticem uulnerandum utuntur, deinde succum lana excipientes in corniculis colligunt. Ceterum cum mecum sæpius cogitauerim à tot imposturis, quæ indies fiunt, nos cauere non posse, non alienum fore duximus illud in hominum memoriâ reuocare, quod si unquam opobalsamum uenale inueniatur (tametsi in Italia per longas ætates non amplius ipsum uenturum putem) non ematur, nisi prius de eo omne fiat periculum, quo clarè cognoscatur omnibus ijs præstare tum notis, tum facultatibus, quæ illi ab auctoribus tribuuntur. Ad hæc Balsami fructus, siue semen, quod Carpobalsamum uocant, ab eo quidem longè differt, quod his temporibus ex Alexandria comportatur. Siquidem optimum legitimumq; flauum sit oportet, farctum, ponderosum, gustu mordens, & feruens in ore: non autem nigrum, leue, inane, nõ acre, & nullum spirans odorem, quale, quod circumfertur, deprehenditur. Quo fit, ut non aliud suspicandum sit, quàm quod hoc idem sit semen hyperico simile, quod etiam Dioscoridis æuò à Petra Palestine oppido deferbatur. Hoc idè ligno euenit, quod Xylobalsamum uocant officinæ Græcos secutæ. quippe quod passim in ijs habetur, potius myrtum, quàm Balsamum refert. Corticis non meminit Dioscorides, quanius dixerit Plinius libro 6. cap. superius citatis, ipsum quoq; in usu medentium esse. Balsamum memoriæ prodidit Galenus lib. v1. de simplicium medicamentorum facultatibus, sic inquit. Balsamum desiccatur, & exalfacit secundo excessu. Est autem tenuium partium, adeò ut odoratum sit. Sed liquor eius subtiliorum etiam partium est, quàm ipsa planta, non tamen adeò calidus, ut quidam existimant tenuitate partium falsi. Porro fructus eius persimilis genere facultatis est, cæterum longè in subtilitate partium inferior. Placet eidem Galeno (ut in libello de supposititijs medicamentis illi adscripto legitur) ut Balsami uice stacte myrrhæ, aut oleum irinum, in compositis medicamentis commodè inseri possit: xylobalsami uerò loco leucioj radix. Porro quid carpobalsami uice supponendum sit, nullibi apud eundem reperi. tametsi in quodam incerti auctoris libello, quem seplasiarij Quid pro quo nuncupant, pro opobalsamo oleum terebinthinum, uel laurinum, uel gummi hederæ, subijciatur; pro carpobalsamo hederæ corymbus; & pro xylobalsamo hederæ ipsius lignum: tantam ille hederæ tribuit auctoritatem. Sed alia est opinio nostra: nam ipse libentius pro opobalsamo oleum myristicæ nucis, uel styracinum supposuerim, quàm terebinthinum, uel laurinum; pro xylobalsamo agallochum; & pro carpobalsamo uulgaribus cubebas. Quod autem Carpobalsami locum cubebæ rectè supplere possint, pleriq; rei medicæ studiosi id mecum sentiunt. Sed addam præterea, quod si eæ mandantur, dentibusue conficiantur, mordent gustum, feruentes in ore percipiuntur, & aromatis non modicum respiciunt. quas nimirum qualitates Balsami fructui inesse Dioscorides testatur. Hinc igitur fit, ut in hoc à Fuchsio, uiro alioqui doctissimo, planè dissentiamus. namq; is in libro, quem de compositione medicamentorum nuper auctum edidit, Carpobalsami loco leucioj radicem supponendam censet: eo quidem argumentum (ut inquit) quod ita scriptum repererit in eo Galeni libro, cui titulus est de substitutis medicamentis. Verum cum ipse nusquam (quod equidem legerim) in legitimis Galeni libris inuenerim, hunc auctorem, si desit Carpobalsamum, substituere, uel uiribus proximam facere leucioj radicem, cui nulla prorsus inest qualitas, neq; facultas, quæ Carpobalsamo respondeat, non est, cur in hoc Fuchsij probem sententiam. Ceterum affertur iam (ut audio) ex occidentalibus Indijs liquor odoratissimus liquido styraci admodum similis, quem qui deferunt, appellant Balsamum, quod notas nonnullas Balsami præ se ferat. Veruntamen cum teste Strabone Balsami lacryma lacteo colore sit, crediderim

Carpobalsamum non legitimum.

Balsami uires ex Galeno.

Fuchsij opinio improbat.

crediderim potius nouum liquorem hunc, ueram esse stactem, uel styracis liquorem, quam Balsami: ob idq; non esse penitus ab re, si quispiam eo Balsami loco uteretur. Quidam recentiores eum se Opobalsamo destitutos conspiceret, illud artificio quodam non sane damnando componunt. Faciendi modum sic habeto: ego enim hac ratione pluries ipsum mihi confeci. Sumito resinae terbinthinae, abiegnae, cuiusq; libram: thuris albi, ladani, cuiusque unc. sex: nardi Indici drac. duas: radicem phu, iridis, acori, asari, cyperi, singul. drachmam: mastiches, galanga, caryophyllorum, cassie odoratae, zedoariae, cuiusq; drach. sex: nucum myristicarum unc. quatuor: macis unc. unam: agallochi unc. duas: gummi elemi unc. sex: aloes hepaticae, myrrhae, cuiusq; unc. unam & semis: castorei drach. decem: osisium cariotarum, styracis calamiti pinguis, laseris odorati, sing. unciam: lacrymae sanguinis draconis sexunciam: florum lauendulae unc. quatuor: olei unguentariae glandis unc. sex. Quae ex his atterenda sunt, in puluerem conterito, liquoribusq; admisceto, & uitreo organo (si nescis, Chymistas consulito) diligentissime ui commensurati ignis oleum elicit. Primum enim clarissima tenuissimaq; emanat aqua, tenuissimarum utiq; partium, quae igni admodum modo quodam admirabili flagrat: haec aqua Balsami dicitur. Deinde defluit oleum colore aureo, & substantia inter tenuem, & crassam, quod oleum Balsami uocant. Postremo uero id manat, quod Balsamum uocant, rufo colore. Aqua, quae prius fluxit, uentriculi imbecillitate affectos hausta mirum in modum iuuat: siquidem tum pituitam, tum flatum ualenter consumit. sed quod acerrima sit, dari sane per se nequit, nisi uino, aut iure aliquo admista. Liquor deinde, qui secundo stilliticio fluxit, quem quidam caeteris praeferrunt, mirifice neruorum uulneribus, compaginum cruciatibus, conuulsis, resolutis, comitialibusq; succurrit. Vltimum uero oleum haec omnia similiter praestat, uerum debilius. Pollentibus hi liquores & ad alia innumera corporis incommoda, quae breuitati consulentes silentio inuoluenda duximus. Βάλασαμον sic Graecè dicitur, ut Latine etiam Balsamum: Arabicè, Balesem, Bolefma, aut Belsan: Italicè, Balsamo.

Balsami facti-
tij conficiendi
ratio.

Nomina.

20 A'σπάλαθος. ASPALATHVS. CAP. XIX.

ASPALATHVS, alijs erysiceptron, frutex est furculosus, multis spinis horrens. Nascitur in Ithro, Nisyro, Syria, & Rhodiorum insula: quo ad unguentorum spissamenta pigmentarij utuntur. Optimus est grauis, detracto cortice rubescens, aut in purpuram uergens, densus, odoratus, gustatu amarus. Est & alterum eius genus candidum, lignosum, sine odore: quod deterius habetur. Vim calfaciendi cum adstrictione obtinet. Vnde decoctum cum uino ad tetra oris ulcera colluenda conuenit: ad nomas genitalium, & fordida ulcera infunditur: subiectum in pello, partum extrahit. Alum fistit eius decoctum: & sanguinis reiectionem potu cohibet: urinae difficultatem, inflationesq; discutit.

30 ASPALATHVS quidem ex Creta, Rhodo, uel Syria ad nos (quod ego sciam) non aduehitur: etsi existimauerint nonnulli santalum rubrum uocatum esse Aspalathum. Quorum errorem Serapio manifestè prodidit: quandoquidem de santalo agens, nullum (ut assollet) affert Dioscoridis testimonium, sed tantum suae gentis nitiatur auctoritatibus. Quod maximo argumento est, santalum rubrum nihil cum Aspalatho habere cognationis. Meminit tamen Serapio Aspalathi sub Arabico nomine Darfisaban, ubi leguntur omnia, quae de ipso tradidit Dioscorides. Huic alia ualidior accedit ratio. siquidem Aloisius Cadamustus, Columbus, & Pinzonus in suis navigationibus ad orientales Indias, aliasq; ignotas terras, & continuas santalorum recta proceritate soluas unanimiter uidisse narrant. Quod longe abest ab Aspalatho, qui frutex humilis est suauiter odoratus, amarulento gustu, quae in rubro santalo non deprehenduntur, rubrum enim santalum odoratum non est. Quod si quandoque odoratum sentitur, id (ut optime norunt periti myropolae) non euenit, quod ex se tale sit, sed quod, dum unà cum albo, & flauo importatur, quae odorata sunt, ex illis sibi odorem ascuerit, qui tamen tractu temporis facile euanescit. Porro Ruellius medioeri censura non uacat, quod pro certo asserat, id legitimum esse Aspalathum, quod Rhodium oleastrum nonnulli uocant: quo item quondam agallochi uice utebantur myropolia. Cuius materiem cum & in seplasijs, & apud artifices, qui precatorias (ut ita dicam) coronas ad Deiparae uirginis salutationes torno conficiunt, diligentissime sim perscrutatus, ea sane nigra partim, partim uero ex nigro, flauoq; uenosa mihi sese obtulit. Rubram autem, & subrubram (ut Ruellius inquit) nusquam me uidisse ingenue fateri possim. Adde etiamnum, quod sit (quemadmodum Rhodij narrant) haec planta ex olcarum genere Rhodio tractu abunde proueniens, quae oliuas etiam proferat, sed nec multis spinis horrens, nec detracto cortice rubescens. Quamobrem (ut mea fert opinio) Aspalathus non erit Rhodium oleastrum, neq; santalum rubrum. Itaq; cum nobis Aspalathus desit, qui tamen facile ex Rhodiorum insula afferri posset, suppleat eius locum

Aspalathi cō-
sideratio.

Ruellius erro-
re notatur.

50 uiticis semen: sic enim in Galeni succidaneis scriptum reperio. Meminit Aspalathi Galenus lib. VI. simp. med. sic inquit. Aspalathus gustu quidem acris simul & adstringens est: facultate uero ex dissimilibus constat, nempe partibus suis acris exalfaciens, partibus uero alijs, austeris scilicet, refrigerans. Itaq; utriusq; ratione desiccatur, & proinde ad putredines, & fluxiones est utilis. haec enim Galenus. Ceterum quod etiam hi nostri commentarij Santala redoleant, posteaquam antiquiores Graeci eorum non meminerunt, de his hic differere non alienum duximus. SANTALVM itaq; in utraq; India siliis densissimis, ingentissimisq; nascitur. Cuius tria numerantur genera: quorum praefertur pallidum, secundum locum habet album, postremum rubrum, quod nullo commendetur odore. priora duo suauiter spirant. Quapropter Mauritanorum sententiam minime probandam putauerim, qui Santalum tertio ordine frige facere, siccare uero secundo memoriae prodiderunt. Rubrum (ut ipsi asserunt) priuatum defluxiones prohibet: incandescentibus inflammationibus, podagrisq; ex succo solani, aut sedi, uel portulacae utiliter illinitur. Candidum, ac pallidum, ex rosarum aqua fronti imposta, capitis dolores mulcent. Aduersantur omnia calidis febribus: epota aestuanti uentriculo mirifice auxiliantur. Fiunt ex ijs, & aqua rosarum epithemata, quae uentriculo illita eius feruorem

Aspalathi ui-
res ex Gal.

Santalorū cō-
sideratio, &
uires.

rem

Nomina.

rem in ardentissimis febribus extinguunt. Ad hæc (ut auctor est Auicenna libro de uiribus cordis) Santalum non modo cordi efficacissime letitiam affert, sed & robur non paruum addit. Quare his immiscetur medicamentis, quæ cordi, & cordis palpitationi maximam opem præstant. Quod $\alpha\sigma\omega\lambda\alpha\delta\omicron\varsigma$ Græcis, Latinis item Aspalathus uocatur: Arabibus, Darfisaban: Italis, Aspalatho.

Bp̄ōō.

M V S C V S.

CAP. XX.

Musci arborū
historia.Musci arbo-
rei uires ex
Galeno, & A-
rabibus.

ti improbantur, omnesq; quibus palmarum, atq; non suus odor inest. hæcenus Plinius. Ceterum in eo genere, quod in Italia prouenit, is & nobilior, & odorator apparet, qui in larice nascitur: quapropter & uiribus fortasse præstantior erit. Nimirum recorder me non paruum eo quandoq; fuisse oblectatum, dum nocturno tempore quibusdam in montibus super sceno recumberem, ex conquistis plantis defatigatus, ubi larices innumerae erant omni ex parte uilloso musco incane. Quandoquidem pastores, ut nos ueluti re noua, & uoluptuosa reficerent, quodam paruo ignis lumine hos uillos inendebant, qui tanto flagrabant impetu, & crepitu, ut nobis quidem uiderentur tormentorum puluerem facile superare. Quippe flammæ unâ cum ingenti fauillarum copia, in obscuræ noctis silentio ad astra tolli uidebantur, relicto sui odoris oblectamento. Vnde illud existimauerim, quod Galenus, cum bryon in quercubus, & piccis inueniri tradiderit, non solum de pice intellexerit, sed etiam de congeneribus plantis, nempe abiete, larice, & pinu. Is autem lib. VI. simpl. med. citato, ita de eo scriptum reliquit. Bryon, quidam uero splachnon. Inuenitur autem in quercubus, & piccis, & populis albis. Vim habet adstringentem, inualidam. Nec enim multum est frigidum, sed propinquum ferme medijs; quia uidelicet & digerendi, & emolliendi facultatis est particeps, maximè quod in cedrinis lignis reperitur. Muscum officinæ Arabas secuta Vñeam uocant. Inter quos Serapio epotum uinum retulit, in quo diebus aliquot usnea maduerit, altum somnum inducere, uentriculum roborare, uomitiones compescere, & aluum sistere. Ad hæc Muscus (ut Auicenna inquit) utiliter inter cordis medicamenta inseritur, quod odoris fragrantia animi defectus iuuat. Sed quoniam arboreus muscus odoratissimum Moschon mihi in memoriam redegit, qui ab oriente, & occidente, quibusdam pilosis utriculis conclusus defertur, etsi Dioscoridis Galeniq; eum hunc silentio præterierit; nos tamen haud quaquam dissimulanda putauimus, quæ ad hanc rem pertinere arbitramur. Siquidem hi nostri commentarij merito de me conqueri potuissent, si eos tanta odoris suauitate destitutos reliquisset; præsertim cum omnibus palam sit ubiq; terrarum Moschum inter pretiosa odora primam sibi comparasse sedem. Quippe non modo collo, auribusq; suspensus, uestimentis interpositus, chirothecis illitus, crumenis conclusus, ore retentus, & barbæ & supercilijs inunctus defertur Moschus, quò alarum, nariumq; tædia, sudoris graueolentia, & insuauis corporis halitus occulantur, lasciuie oblectamenta augeantur, mollitorq; politia fiat; sed etiam ut odoris suauitate Deiparam uirginem concilient, ne dicam, ut hac fucata hypocrisi lasciuam dissimulent (cò enim uanitatis peruentum est) Moschum ipsum in orbiculos componunt, quibus funiculo traiectis angelicas salutationes in cælum eructant. Omnia deniq; quibus miscetur Moschus, sua odoris incunditate commendat. Quod si hæc lucubrationes eo

fortè

forte caruissent, uerendum quidem erat, ne cum illis gratiam inissent, qui mira undique odoramentorum fragrantia redolent. Quomobrem ut et ij sibi unguenta omnium praestantissima, odoratissimaq; comparare ualeant, Moschi primum, deinde uero liquoris Zibetti uocati, et Ambari denique historiam, et facultates describam. Moschi odoratissimi sunt, cum potius Symeonis Sethi esse uideantur) plura habet genera. Praefertur qui in municipio quodam nascitur, quod magis, quam Chorasa ciuitas ad orientem uergit: hoc barbaro nomine Pat dicitur, colore subflauo. Secundam sibi sedem arrogat, qui ab India defertur, priori bonitate cedens, colore subnigro. Eo infirmior censetur, qui a Sinarum agro mittitur. At Moschus omnis in umbilico cuiusdam animalis gignitur, quod caprea simile est, unico armatum cornu, praegrandi corpore. Huic cum in uenerem agitur, furoris uehementia umbilicus intumescit, fitq; uomica praegrans congesto inibi crasso re sanguine: quo tempore et pabulo, et potu ferum animal abstinet, humiq; crebro uoluitur: qua uersatione umbilicum lutofo, feculentoq; sanguine turgentem exprimit. Ceterum emissa sanies post aliquod tempus sibi magnam odoris suauitatem adsciscit. De Moscho inter Arabas scripsit diligenter accurateq; Serapio, his uerbis. Animalia capreis non absimilia, quae moschum gignunt, in Tumbascorum, et Sinarum agro potissimum habentur, loca inuicem contermina. Tumbascinus Sinico longe praestantior est, quod capreae moschum gignentes et nardum, et alias odoratissimas plantas depascantur. Quod Sinis non euenit, nam etsi haec quoq; odoratis uescantur herbis; ea tamen odoris, et facultatis praestantia, nardum, et cetera Tumbasci plantas non aequant. Quinetiam in causa est demetendi ratio. quippe Tumbascini e uomicae folliculo saniem nunquam eruunt, quo adulteria permisceant, et non nisi sereno caelo syncerum legunt. Sinici uero uomicae utriculum exprimunt, et exclusa sanie imposturas quosdam admiscunt, nubilo parumq; aridente caelo, et alabastris recondunt. Is ceteris praestat, qui maiore odoris fragrantia redolet, et qui e uomica maxime matura eruitur. Sunt et inter haec animalia, quae ab alijs moschum ferentibus nullo discrimine differunt, praeterquam caninis uocatis dentibus. quippe haec uerrium modo exertos palmi longitudine dentes habent, et pariter moschum praestantissimum gignunt. Moschus praecox tetro, et insuauis odore displicet. uerum uenatores immaturi folliculos excutientes, tantisper eum libero aere suspendunt, dum abacto prorsus foetore maturuerit. Is enim aeris coctione perfecta, miram sibi conciliat odoris suauitatem. Veruntamen praecipuus habetur, qui suapte natura in animalis utriculo sibi maturitatem comparauerit. Hunc incolae per saxa metunt, et arborum truncos, namq; animal cum uomicam maturam esse praesentit, saxis et truncis sese magno oblectamento affricat, donec facta uomicae emissario tota saniei uis effundatur. Hic ceteros sane antecellit, tanquam solis coctione, et caeli benignitate maturitatem ultimam consecutus. Hunc itaq; moschum inde uenatores colligentes eorum animalium utriculis asseruant, quae alijs uenatione captauerant. Isq; ille moschus est, quo reges et donantur, et utuntur. Moschus excalfacit ordine secundo, siccat uero tertio. Cor frigidum, ac tremulum roborat, et omnibus ipsius affectibus opem praestat potus, atq; illitus. Detergit tenues oculorum albugines, et humidus defluxiones exiccat: cerebrum roborat, et diuturnum capitis dolorem mulcet, si tamen pituita redundantia pronemiat. Coles ex eo cicino oleo macerato perunctus, promptius in uenerem excitatur. Probat nonnulli an Moschus legitimus sit, hoc modo. Ponderis libra examinatum in labellum humore perfusion immittunt, tum paulo post iterum aqua lance ponderant. Quod si superferatur, syncerum et legitimum existimant: sin cedat, spurium, et adulteratum putant. Huic simile aliud quodpiam habemus, sed praeterquam quod mirum in modum oleat, primo statim occurso odoris uehementia nares admodum ferit.

Moschi odorati historia.

Moschi odorati uires.

Zibetti historia, & facult.

ANIMAL ZIBETTI.



Hoc uulgari sermone uocamus ZIBETTO, unguentarijs maxime expetitum ad ea odoramenta componenda, quae proprie misturas appellant. Gignitur id in exteriori testiculorum utriculo cuiusdam animalis, feli, qui ueteribus edificiorum ruinis oberrat, non absimilis. Catos haec animalia uocant, quos sepius Venetijs uidi ex Syria delatos. Est autem Zibettum tanquam sudor inter huiusce animalis testiculos concrescens, calide, humideq; facultatis. Id caeuernulae umbilici impositum uidae strangulationibus mirifice prodest: proinde nec mirum est, si eo uiri peni circumlito magnam mulieribus inuoluitu afferant solatium. Porro ex quo AMBARVM aliud odoramenti genus gignitur, quod nos uulgo uocamus Ambracane, uarij uarij opinantur. Alij namq; tradunt ipsum in maris alueo non secus, atq; in terra fungos oriri, ac deinde senientibus procellis, e profundo elici, et in litus expui. Nonnulli uero referunt piscem Azelum nomine Ambarum hoc audidissime prosequi, cuius esu necem sibi statim consciscere. Quod cum sciant piscatores huius rei periti piscem hunc mortuum, undisq; fluctuantem coniectis uncis et funibus extrahunt: et Ambarum scisso animalis uentre eruunt. Quod uero (ut perhibent) proxime dorso spinam inuenitur, id maxime praefertur

Ambari historia uaria.

Ambari genera, & uires. Tur alio. Quidam præterea in fontibus quibusdam Ambarum natam scribunt, qui bituminis modo illud eructant. Huius sententia est recentioribus Græcis inuenio Symeonem Sethi, qui Ambarum describit his uerbis. Ambar, quod & Ambar appellatur, in diuersis locis scaturit. Sunt enim eius fontes ut bituminis, & sulphuris, & rerum similitum. Tria Ambari faciunt genera. Præfertur colore fuluum est Selachito Indiæ peitium. Aliud subalbidum, quod est Sinchrio felicis Arabiæ oppido aduehitur. Tertium atrum, & cæteris uiribus imbecillius. Excalfacit Ambarum, & siccatur: ce rebrum, & cor olfactu roborat. Semibus, & natura frigidis opem mirificè præstat. Quare ipsam potius, quam iuuenibus chirothecæ Ambaro imbutæ concedi deberent. Vino infusum temulentos efficit. Cæterum ex antedictis quæ sit Ambari historia ut uerior accipienda, non equidem ausim decernere, quod nihil adhuc certi atque explorati habeam.

Fuchsij opinio. Neque etiam libet subscribere sententiæ Fuchsij, quauis uiri eruditissimi: qui in libro de componendis medicamentis, quem ultimo loco auctum edidit, Ambarum nostri usus factitium esse censet, atque legitimum Ambarum, de quo scripserunt Mauritanii, quodque ipse succini generi adscribit, desiderari. Siquidem non uideo, quibus rationibus, uel auctorum testimonijs hanc suam comprobet sententiam. Muscus arboreus ῥέρον, ἢ ὁπωλάγγιον Græcis appellatur: Muscus, Latinis: Axnech, aut Vsnec, Arabibus: Mosco, Italis: Moosz, Germanis. At Moschus odoratus μόσχος Græcis recentioribus nominatur: Moschus, Latinis: Misch, seu Mesch, Arabibus: Muschio, Italis.

A'γαλλοχον.

AGALLOCHVM.

CAP. XXI.

AGALLOCHVM lignum est, quod ex India, atque Arabia deportatur, thuiæ ligno simile, maculatum, odoratum, gustu adstringens cum quadam amaritudine: cute uerius quam cortice uestitur, aliquantulum uersicolore. Manditur, aut decocto os colluitur, commendandi halitus gratia: sudores arcet toto corpori insparsum: pro thure ad suffimenta substituitur. Radix epota drachmæ unius pondere, humida stomachi uitia, & imbecillitatem, feruoremque mulcet: si lateris, iocinerisue dolor excruciat, si dyfenterix, aut tormina infestant, ex aqua bibere prodest.

Agallochi consideratio.

AGALLOCHVM à Græcis, & Latinis recentioribus, sicuti ab Aphris Lignum aloës appellatur. Optimum à Lusitanis est Calecut Indiæ emporio ad nos conuehitur. Etsi etiam Venetias hac ætate ex Alexandria Aegypti præstantissimum afferatur: siquidem igni accensum suauissimum, ac periuicundum spirat odorem. Nec ob id putandum hoc illegitimum esse, quod ἑσργαμένον, id est punctis maculatum non sit: quoniam Oribasius non legit ἑσργαμένον, sed ἑσῖ μέν ὄνν ἐν ὁδῶδες, id est. Est igitur odoratum &c. Quemadmodum nec id etiam legit Serapio, qui nec punctorum, nec macularum meminit: sicuti nec Paulus. Cæterum non diu est, quod legitimum importari cœpit: nam licet antea, quibusdam non deesset Agallochum uerum; nihilominus, quod rarissimum esset, officinæ ferè omnes eius loco, ut superius diximus, oleastrum Rhodium suppediabant: quem falsò existimauit Ruellius aspalathum esse. Nascitur Agallochum (ut Lusitani per meridiem in orientem nauigantes testantur) in insula Taprobana, alijsque confinibus locis, cuius integros truncos in Lusitaniam, & Hispaniam iidem secum attulere, qui non modò incensi, sed manuum tantam attritu suauiter (ut aiunt) redolent. Porro ubique pretiosum Agallochum est: nam & in locis, ubi nascitur, plurimi penditur. Verum Agallochum, quod tantopere præstet, hæcenus mihi uidere non licuit. Sunt, qui somniantes dixerint, Agallochi arborem uidisse neminem, cum terrestri tantum paradiso proueniat: illudque ferri fabulantur fluminibus, quæ (ut sacra testantur monumenta) ex eo manant. Atqui pro comperito habetur (ut paucis innuit Serapio) Gangem Indiæ amplissimum fluium quam plurima secum Agallochi fragmina uehere, quæ tamen in ipsum ducuntur aliorum fluminum cursu, qui in eum confluunt. Quippe eum fluij translucant loca, ubi Agallochum prouenit, aquarum inundationibus turgentes, huius truncos, fragmina, ac ramenta rapiunt unà cum alijs uarij generis lignis, & in Gangem transferunt: quemadmodum in nostris etiam fluminibus sæpe ac sæpius uisitur. Cuius rei indicium affert illud, quod Venetijs uenditur, utpote quod longo aquarum discursu omni ex parte laceratum, exesum, comminutumque spectetur. Quamobrem mirum non est, si dum manibus tractatur, id odoris non præstet, quo illud frangere prædicant ex natali solo in Lusitaniâ aduectum. Eius plura numerantur genera, si Serapioni fides est adhibenda, qui ex Abohanisa Arabo ita transcribit.

Agallochi fabulosa opinio.

Dicunt Agallochum in Arabia nunquam oriri; tametsi quædam ibi crescat planta neuig uocata, quæ quadantenus Agallochum refert. Verum præstantissimum India mittit: & quauis hoc genere differat (plura enim Indijs Agallochi sunt genera) id tamen quod uiribus cætera præcellit per excellentiam Indum peculiariter uocant, quemadmodum nigra myrobalana, quod cæteris præstent, Inda pariter appellant. Indum in quadam Indiæ insula inuenitur, quæ Finua nominatur. Selectissimum est nigrum, quod uarium ostendat colorem, iucci plenum, ponderosum, duritie compactum, crassum, non albicans, & quod accensum ægerrimè flagret. Secundæ bonitatis est Mondunum à Mondel Indiæ urbe denominatum. Tertium est Scificum, quod non obscure bonitatis præsumitur, quod sua præstanti ui, ac graue dine in aqua coniectum, non innatet, sed statim subsidat. porro ex hoc genere id magis præstat, quod crassum est, & plurimo humore prægnans. Postremam sedem habet Alcumericū Scifico bonitate cedens: tametsi Alcumeri non longius à Scifi distet, quam itinere triduo. Præstat in Alcumerici genere nigrum nulla albedine uarium, graue, ignium flammis diu resistens, ueruntamen uiribus Scifico infirmius est. Item ex auctoritate Cbealsfetebeni idem ita scribit. Ferunt præterea, quod incolæ Agallochum statim ab arbore dissectum integro anno sepeliunt, ut ita terra obrutum marcescat cortex, lignumque tantum purum remaneat, adeo ut è ligno nihil erodatur. Ferunt insuper illis in regionibus colabentes ex Agallochi arboribus ramos, raptos à fluminum inundationibus per circumstantes regiones deferri. hæc Serapio. Cui subscribit è recentioribus Græcis Symeon Sethi, causam etiam reddens, cur annua sepultura dissectum Agallochum recondatur, cum inquit. Non aliàs odoratus futurum existimant, nisi prius marcorem aliquem & teredinem

Agallochi historia ex Serapio, & Symeon.

et teredinem senserit: proinde harum regionum incolæ dissectum sub terra condunt, suoq; tempore eximunt, & negotiatoribus uendunt. Nicolaus Myrepsicus sapius in suis componendis medicamentis Agallochi crudi meminit, ubi Fuchsius prima de antidotis sectione, sic adnotauit. Saepe Agallochi crudi mentionem facit Nicolaus, ideoq; hoc loco, quæ nostra de illo sit sententia, exponemus. Per crudum itaq; lignum intelligo, quod non putruit: nam (ut testis est Symeon Sethi) eius regionis, in qua prouenit, incolæ idipsum concidunt, & sub terra multo puluere obruunt, & post aliquod temporis spatium, quantum scilicet sufficere uidetur, ligni partes educunt, & mercatoribus uendunt. crudum itaq; erit, quod terra non obruitur, sed statim ab arbore excisum ad usum rapitur. hæc Fuchsij sententia. A quo tamen nos pace sua dissentimus. nam si in componendis medicamentis præstantiora simplicia semper exposcimus, sitq; Agallochum illud præstantius, odoratiusq; (ut etiam Symeon ille refert) quod terra, uel puluere fuerit sepultum, non uideo, cur potius insepultum, & statim ab ipsa arbore excisum (id enim ob locorum distantiam recens habere nequimus) crudum uocauerit Nicolaus, præstantiusq; existimauerit. Puluere enim uel terra conditum coqui non potest, quod nullus ibi sit ignis, neq; calor, sed potius recrementitia humiditate exui, quæ fortasse odorem eius obtundit. Verum crediderim potius, per crudum Agallochum Nicolao illud designari, quod non fuerit antea elixum: quod inde fortassis odoratissima lauacra ex Agallochi decocto sibi conficiant Indi, aliq; odoramenta in regales præparent usus, ut etiam cum rhabarbaro fieri narrant. Vel fortè per crudum illud intelligit Nicolaus, quod impetu fluminum, longoq; eorum ductu per regiones non defertur. In his nanque caloricis regionibus aquæ à solibus non obscure calefactæ non modo illud omni ex parte diluunt, sed etiam elixant. Illud præterea addiderim, quod cum non modò crudum, sed etiam bonum addiderit Nicolaus, nullum aliud expetere uidetur, quàm quod sepultum præstantissimum euaserit. Ceterum Agallochi omne genus excalfacit, & exiccat ordine secundo. Facit, ut Auicenna scribit, ad cordis affectus: ob idq; inter ea medicamenta, quæ cordi præsidio sunt, Agallochum recensuit. Huius non reperio meminisse Galenum alibi, quàm in succidaneis, ubi centaurium supplet pro Agallocho. Lignum, quod Græci ἀγαλλοχον, Latini similiter Agallochum dicunt. Verum recentioribus Græcis ἐυάλλοχον nominatur, ut officinis Lignum aloës: Mauritanis, Hoad, Agabian, Agalugin, aut Agalugen: Italis, Agallocho, & Legno aloë: Germanis, Aloes holtz, seu Kreuz holtz: Hispanis, Lin aloë.

Fuchsij sententia improbat.

Agallochi facultas.
Nomina.

Νάρκαφθον.

NARCAPHTHVM.

CAP. XXII.

NARCAPHTHVM ex India defertur, corticosum, simile fycomori libro: quod iucundi odoris gratia suffitur. Miscetur thymiamatis compositis. Constrictionibus vuluæ suffitu prodest.

30 TAM breuiter, tanq; parca de Narcaphtho scripsit Dioscorides, ut nimirum mihi perdifficile sit explicare, quidnam hac ætate ad nos ex India afferatur, quod legitimum Narcaphthum referat. Eoq; magis quod nihil de hoc (quod equidem sciam) Theophrastus, & Plinius suis monumentis posteritatis memorie prodiderunt. Attamen non desunt indicia, quæ præ se ferant (si modò ad nos deferatur) id omnino esse Narcaphthum, quod uulgò officinæ uocant Tigname. nam tigname non aliud integrat, quàm thymiana apud Græcos, quod apud Latinos suffimentum significat. Proinde cum huius in suffimentis frequentissimus sit usus, nil mirum si nouum ex usu sibi uendicauerit nomen, quod est thymiana. Id quod corrumpentes posterit tigname pro thymiamate dixerit. Ad hæc (ut Dioscorides inquit) iucundi odoris gratia per se suffitur, ac etiam alijs suffimentis inseritur. Quod in Tigname facile probatur, quippe id tantum usu uenit in cõpositis odoramentis, quæ ad suffiendum parantur, ita ut præterquam quod per se id muneris præstet, rare quoq; fiant suffimentorũ compositiones, quæ ipsum non recipiant. Quare admirari sinamus, si relicto proprio suæ arboris nomine, sibi a seuitiam nomenclaturæ ex suffimentis usurpauerit. Serapio Narcaphthũ Lasabaten uocat: & illud odorati calami uice supponi posse autumat. Νάρκαφθον Græcè, sicut Narcaphthum Latine appellatur: Arabicè, Nabach, siue Lasabaten: Italicè, Agallocho, atq; etiam Tigname, ueluti seplasarum uulgo.

Narcaphthi consideratio.

Tigname.

Nomina.

Κάγκανον.

CANCAMVM.

CAP. XXIII.

CANCAMVM Arabici ligni lacryma est, myrrhæ quodammodo similis, uirosi gustus, quam ad suffimenta usurpant. Vestes eo, additis styrace, & myrrha, suffiuntur. Vim proditur obtinere extenuandi obesos, si ternum obolorum pondere ex aqua, aut mulso aceto plusculos dies ebibatur: lienosis datur, comitialibus, & suspiriosis: menses cum aqua mulsa pellit: oculorum cicatrices confestim emendat: uino madefactum medetur eorundem hebetudinibus. aduersus gingiuas humore prægnantes, doloresq; dentium, non aliud efficacius.

CANCAMVM, quod notis omnibus Dioscoridis historiam referat (ut recentiorum ferè omnium medicæ materie studioforum fert opinio) nec ex Arabia, nec aliunde ad nos aduchitur. Quidam tamen pro Cancamo gummi quoddã rufum, ac pellucens ostendunt, quod surculos incognitæ arboris undique circumuestit, myrrhæ quadamtenus simile. Veruntamen quod nulla (ut Dioscorides inquit) in eo manso saporis uirositas deprehendatur, alij id potius mentiri, quàm esse legitimum Cancamum uolunt. Expetitur hoc gummi genus hoc tempore maxime insectoribus ad inficienda serica stamina, idq; uulgari sermone quidam in Italia appellant Lacca, quidam dimmutè Lacchetta. Cuius duo habentur genera, quæ tantum (ut opinor) bonitate differunt. Præstantius uulgò appellant Lacca sumetri: quod uerò deterius est, Lacca comberti, cognomentis fortassè à locis Arabum, à quibus deferuntur, acceptis. Primum surculis perpetuò obuolutum uisitur: alterum absque surculis in glebas concretum myrrhæ modo, quod etiam uiliori pretio uendunt. Hinc itaq; factum est, ut crediderint illi Serapionis auctoritate freti, hoc legitimum esse Cancamum: nempe quod

Cancami consideratio.

e quod

Laccæ Arabū
opinio uaria.

quod is Cancamū Laccam appellet, & quod arboris sit gummi, uel lacryma myrrham quadantenus referens: quodq; etiam eius meminerit Serapio, postquam de Dioscoridis et Pauli Cancamo egit, his uerbis. **L A C C A** (ut inquit Isac amran) res quædam est rubea, quæ tenuibus lignorū sirculis inheret, sapore non ingrato. Coquitur hæc, et inficiuntur inde panni rubeo colore, quam infecturam chermes appellant. Quod uerò post infecturam subsidet, & infectoribus remanet, pariter Laccam uocant. Caterum Lacca ex Armenia defertur exiccans, & exalfaciens ordine secundo. Ventriculum, & iecur roborat, eorumq; infarctus expedit, ictericos iuuat, & aquas pellit. Eluitur ad medicamenta hac ratione. Ramuli, qui hoc scatent gummi, diligenter franguntur, ac subinde aqua perfunduntur, in qua odoratus iuncus aristolochiaq; infirbuerint, deinde pistillo agitantur, cum autem ab agitatione resederint, aqua leuiter abicitur. quod si una tantum lotionem non pelluceat, secundo item repurgetur, demum sicceatur in umbra, & recondatur in uase uitreo. hæc Serapio. Quibus palam est, gummi, quod infectoribus uulgò Lacca dicitur, Laccam esse Arabum, & à Græcorum Cancamo differre: quod Dioscoridi Cancamum lacryma sit Arabicæ arboris, uirosi gustus: Serapioni uerò res quædam rubea, ex Armenia, non ex Arabia allata, tenuibus lignorum sirculis inherens, sapore non ingrato. Item Dioscoridi Cancamum obesos extenuat, lienosos iuuat, suspiriosos, & comitialibus prodest, menses pellit, oculorum cicatrices delet, & hebetudinem curat, timentes gingiuas cohibet, & dentium dolores tollit. Serapioni autem tantum obstructions aperit, uiscera imbecilla roborat, iecoris dolores mulcet, & regium morbum, & hydropem sanat. quæ omnia medicamentorum diuersitatem præ se ferunt. Quo fit, ut non ab re existimauerint peritiores medici, nos omni-

Cācamum &
lacca quòd idē
sint, y probatur.

no Dioscoridis Cancamo esse destitutos. Veruntamen non desunt rationes, nec probatissimorum auctorum testimonia, quibus etiam probari possit, Græcorum Cancamum, & Arabum Laccā idem esse. Nam etsi hæc, quæ allata sunt, omni ex parte uera uideantur; si quis tamen Dioscoridis codicem hoc capite scateat mendis animaduertit, & rem omnem accuratius, diligentiusq; perpenderit, certior fortasse fiet, nos Cancamo non omnino destitui. Ego enim cum Paulum, qui in omni simplicium censu omnia ex Dioscoride transcripsit, accuratius perlegerem, inuenissimq; illi Cancamum lacrymam esse Arabicæ arboris, myrrhæ similem, odore grato, & quod nullius uirosi gustus meminerit, illico orta est suspicio, quod ea particula Dioscoridi illegitimè accesserit. Auxit deinde suspicionem hanc Serapio: quippe qui capite de Lacca de Cancamo agens, dum (ut assolet) ex Dioscoride transcribit, nusquam huius particule mentionem fecerit. quod fortasse Dioscoridis codex, à quo transcripsit, hac menda facile uacaret. Sed illud adhuc magis rem ita se habere mihi persuasit, quod primum legatur in Dioscoride, Cancamum uirosi esse gustus, quod scetoris, non sua uolentia indicium est: mox cum styrace, et myrrhæ ad sufficiendas uestes expeti, ut grato comendatur odore. quæ ut inter se maximè repugnant, ita etiam deprauatæ lectionis præbent suspicionem. His itaq; rationibus, & auctoritatibus non ab re adductus esse uideor, ut quasi crediderim Dioscoridis codicem hoc in loco uitiatum fuisse. Vnde postea factum sit, ut eius Cancamū ab Arabico diuersum sese ostenderit. Neq; sanè huic opinioni illud obstare uidetur, quod

Laccæ factiū
genera.

plura in morbis curandis Cancamo assignauerit Dioscorides, quam Serapio. siquidem nulli dubium est, quin ea medicamenta, quæ obesos extenuant, lienosos iuuant, & menses eient, possint pariter uentriculum et iecur roborare, eorumq; infarctus expedire, & cutem subeuntes aquas, & fille suffusos sanare. Hæc autem silentio inuoluenda non duximus, non ut nostra hæc probetur, uel improbetur opinio, sed ut alijs ueritatis inuestigandæ pateat aditus. Sunt etiam factiæ Laccæ plura genera: quæ ex diuersarum inflectionum sedimento pictoribus tantum parantur. Alia nanque conficitur ex pimpinellæ bacca, quam uulgò uocant Cremese, & Cremesino: ex infectorio cocco alia: alia ex natua Serapionis lacca: alia denique ex ligno, quod brasiliū uocant, omnium deterrima. quarum nulla ad medicamenta admittitur. Non tamen desunt, qui credant, chermesinum infectoribus uocatum esse arboris gummi: imò illud idem, quod Serapio, auctore Isac, rem rubeam (ut paulò antè diximus) esse ait, quæ tenuibus lignorum sirculis inheret, & quod ea inficiuntur panni rubeo colore, quem chermes appellant. quandoquidem huius sententiæ reperio fuisse Fuchsum.

Fuchsi opinio improbat.

sed meo iudicio non exactè rem explorasse uidetur. quippe chermesinum, quo puniceo, & purpureo colore serica stramina inficiuntur, est (ut Itali optime norunt) pilula, uel bacca exigua pimpinellæ radicibus in orientalibus regionibus adnascens, non autem gummi, uel roscidum, uel aliud per se manans, ab eo perquam longè diuersum. siquidem hoc nil aliud est, quam natua Serapionis lacca, quam proprie Itali uocant uulgò lacca & lacchetta, infectoribus tantum expetita ijs inficiendis sericis, quæ uiliori ueneunt pretio. Nec obstat, quod dixerit Serapio, quæ hic secutus est Fuchsius, huius laccæ infectori uocari chermes: quippe proprio capite de chermes, nil sanè aliud per chermes intelligit, quam coccum infectorum Dioscoridis. quo fit, ut existimauerim in eo capite de lacca omnino subesse mendam, uel auctoris, uel interpretis: & fortè melior hæc esset lectio. Coquitur hæc, & inficiuntur inde panni rubeo colore, adeo ut cocci-

Pharmacopolarum error.

nei uideantur: uel adeo ut ijs similes sint, quorum infectoribus inficitur chermes. Aberrant præterea pharmacopolarum quam plurimi Dialaccam antidotū componentes, quod legitima Armeniacæ laccæ loco, quam Arabes prodidere, factiæ, & pictoribus tantum dicatas immisceant. Sed caueant, quæso, ne hunc errorem corrigentes in alterum non minus detestandum incidant: id nanq; ijs facile continget, si Monachis, qui in Mesuem scripserunt, morè gerent. Hi enim iam rei medicæ professores asserere non dubitarunt, immiscendam esse loco cancami, seu laccæ in magnâ dialaccæ antidotum eam Aphricæ arboris lacrymam, quam seplasta sanguinem draconis appellant, quæq; Dioscoridis cinnabaris ab omnibus esse censetur. Sed certè ij magis hallucinantur, quam ut refelli debeant, quod ea lacryma in compluribus facultatibus cancamo aduersetur. Quippe Arabicum Cancamum, quod potissimè antidotus illa exposcit, tanquam à Mauritanis inuentum, præterquam quod uentriculum, & iecur roborat; adeo eorum infarctus, & obstructions expedit, ut ictericos quidem, & aqua intercute laborantes iuuat. Contrà uerò draconis lacryma propria uel efficaciter adstringit, ita ut scriptum reliquerit Dioscorides, eam lacrymam iisdem pollere uribus, quibus hæmatites lapis: cuius tamen uis est, ut mensium profluuia sistat, non autem ut eliciat, Cancami modo, præsertim ubi uasorum infarctu remouentur. ob idq; maximè expetitur ad sanguinis emanationes, ad uulnera cohibenda, & osium fracturas ferruminandas.

Monachorū lapsus.

Sed

Sed monachos missos faciamus: & seplasiarios admonemus, ut si nostro consilio uti uelint, non aliud pro lacca in eam antidotum imponant, quam laccam ipsam Serapionis. quæ natiua ex Armenia ad sericorum uellerum insectum copiosissima ad nos defertur. siquidem de hac intellexerunt Mauritanii: quos secutus Nicolaus Myrepsicus in sua Diacacæ confectioe laccam insectorum immiscuit. Quod κρόκος Græci, Latini item Cancanum uocant: Arabes, Sach, siue Lach: Itali, Cancano: uulgus officinarum, Lacca.

ΚΥΦΙ.

CYPHI.

CAP. XXIII.

CYPHI odorati suffimenti compositio est, dicata dijs: qua abunde Aegyptij sacerdotes utuntur. In antidota misceri solet: suspiriosis datur in potu. Permultæ componendi rationes, quarum una hæc est. Sumito cyperi dimidium sextarium, cum pari baccharum iuniperi adultæ modo: uuæ passæ pinguis, exemptis uinaceis, minas duodecim: resinæ purgatæ minas quinque: calami, & iunci odoratorum, & aspalathi, singulorum minam: myrrhæ duodecim: uini ueteris sextarios nouem, cum duabus mellis minis. Vuam passam, detractis uinaceis, tufam cum uino, & myrrha subigito: cætera tufa, & cribrata adijceto: die uno humorem combibere finito. dein mel coquito, dum sibi glutinis adsciscat crassitudinem: eliquatam resinam accuratè permisceto cum reliquis diligenter contritis, & in fictile uas recondito.

NON omnes sanè Dioscoridis codices, præsertimq; uetustiores hoc Cyphi caput recipiunt. Quo fit, ut crediderim cum plerisque rei medicæ peritis, id illegitimè huc accessisse. siquidem non rationi consentaneum esse uidetur, Dioscoridem hic de simplicium materia scribentem, composita medicamenta tam inconsultè, ac præter rem simplicibus inferuisse: præsertim cum id nulli superiorum commode adnecti possit, quemadmodum est de multis alijs compositionibus. Vt κρόκος Græcis, ita etiam Latinis, & Italis, Cyphi appellatur.


Cyphi caput adscititium.

Nomina.

Κρόκος.

CROCVM.

CAP. XXV.



CROCVM optimum in medendi vsu Coryceum, recens, & boni coloris, paulum candidi gerens in capreolo, oblongum, omnibus suis partibus constans, non fragile, plenum, à quo detractum est nihil, quod madefactum manus inficit, nec situm redolet, aut cariem sentit, subacre: sin huius generis non est, aut uetus, aut humore perfusum creditur. Secundus locus datur Coryceo, è tractu Lyciæ contermino. Tertius Lycio, è monte Olympe. Dein ex Aegibus Aetoliæ. Cyrenaicum & Centuripinum inter Sicilica omnia uiribus infirmius est.

Omnium natura oleracea. Itali tamen ob succi copiam, & coloris uenustatem, tingendis mortarijs dicauerunt: quibus de causis magno uenditur. Vtilissimum in medicina quod antè descripsimus. Adulteratur immisto crocomagmate tuso, atque etiam sapæ subtilu: contrita, quò pondus adijciatur, simul argenti spuma, aut plumbagine. Sed maleficium declarat insidens puluis, præsertim si defrutum in odorando subolet. Thessalus ipsum tantum odoratum esse uoluit. Alij exitiosum, tribus drachmis ex aqua potis. Procul dubio uim coquendi, emolliendi, atque substringendi habet: vrinam cit: elegantem colorem præstat: qui ex passo biberint, crapulam non sentient: oculorum fluxiones illitum cum humano lacte cohibet: additur in potiones, quæ interaneorum causa temperantur: ad vuluæ etiam, sedisq; cataplasmata, utiliter inditur: venerem stimulat: vergentes ad ignem sacrum inflammationes mulcet: auricularijs collectionibus utile. Quò facilius conteratur, in calido fictili sole sicari oportet, celeriterq; uersari. Vrinam mouet radix ex passo pota.

Κροκόμαγμα.

CROCOMAGMA.

CAP. XXVI.

CROCOMAGMA fit expressis unguenti crocini odoramentis, & in formas digestis. Optimum est odoratum, modicè myrrham olens, graue, nigrum, ligni expers, læue, subamarum, quod madefactum croci colorem reddit, gustatumq; uehementer dentes ac linguam inficit, multis durans annis: quale est quod à Syria defertur. Habet suas uires ad delenda, quæ caliginem oculis obuersant:

c 2 vrinam

vrinam cit, calfacit, concoquit, & emollit: Vires croci proportione quadantenus repræsentat: quãdoquidem plurimam croci partem sibi Crocomagma uendicat.

Croci consi-
deratio.

CROCVM quidem ubique terrarum cognoscitur. In Italia, & præsertim in Hebruria, Mauritanorum modo uulgò uocatur Zaffarano: quanquam non desunt rura in agro nostro Senensi, quæ corrupto à Croco uocabulo ipsi sunt appellati Gruogo. Cæterum crocum Coryceum, & Lycium in Olympo monte decerptum (quod sciam) ad nos non aduehitur. Quapropter quod ab Aquila Vestinorum urbe affertur, primum sibi locum uendicat in Italia. Constat optimum esse, & Aquilano longe præstantius, quod in Germania oritur, è Vienna Austria metropoli deuectum. Sed huiuscemodi sanè perexiguum est, idq; difficulter transiit ad Italos, ob eius frequentissimum in cibis usum apud Pannonios, & Germanos. Floret Crocum (ut Theophrastus auctor est) uergiliarum occasu, paucisq; diebus: con-
festim uerò cum folio florem quoque expellit. Gaudet calcari, & melius ita euadit. Croci meminit Galenus libro

Croci vires
ex Galeno.

VII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Crocus paululum etiam adstringens quid obtinet, quod terream, frigidumq; ostendimus. Sed superat in eo calfaciens & qualitas, & facultas, ut tota eius essentia secunda sit ordinis excalfacientium, & primi exiccantium, proinde concoquendi quoq; uim quandam habet, adiuuante scilicet in hoc & pauca adstrictione. Quippe quibus medicamentis, cum non admodum excalfaciant, pauca adest adstrictio, ea parum facultatem habent essentijs emplasticis uocatis, quas cum iunctas esse caliditati non uehementi contigerit, concoquentes esse ostendimus. Et lib. II. de comp. med. secundum locos: Crocum, ait, suo odore caput ferit, & mentem tentat, peucedani, & fructuum lentisci modo. Κρόκος, Græcè: Crocus, Latine nominatur: Zabafaran, aut Zafaran, Arabicè: Zaffarano, Italicè: Saffran, Germanicè: Azafran, Hispanicè: Saffran, Gallicè. Κρο-

Nomina.

κίμαγμα idem nomen retinet apud Græcos, Latinos, & Italos.

Ελένιον.

HELENIVM.

CAP. XXVII.



Helenij cõsi-
deratio.

HELENIVM folia habet uerbasci angustioris folij, asperiora, oblonga: caulem quibusdam in locis non emittit: radicem subalbidam, interdum subrufam, odoratam, subacrem, uegetam, magnam: ex qua agnatae propagines liliorum, aut ari modo seruntur. Montanis, umbrosis, & siccis locis prouenit. Fodiunt æstate radix, particulatimque dissecta siccat. Potum radice decoctum menses, & urinas ciet. Ipsaque in eclegmate ex melle prodest tussi, orthopnææ, ruptis, conuulsis, inflationibus, & serpentium moribus. In summa excalfaciens est. Folia eius ex uino cocta utiliter ischiadicis illinuntur. Helenii radix & stomacho utilis est in passo condita: siquidem salgamarii paululum siccatam eam, mox decoctam, & frigida aqua madefactam, in sapam coniiciunt, & ad usum recondunt. Trita, potaque ad cruentas excretionem efficacis est. Alterum Helenii genus in Aegypto gigni Crateuas tradit. Herba est cubitalibus ramulis, serpylli modo per humum repentibus. folijs lenticulæ circa ramos, sed longioribus crebrisque: radice pallida, digiti minoris crassitudine, per ima tenui, supernè crassiore, cortice nigro. Nascitur in maritimis, collibusque. Radix una in uino epota, contra serpentium ictus auxiliatur.

HELENIVM, quod Latinis etiam Inula dicitur, planta est uulgaris notitie. Quod autem in Italia prouenit, folio est longè maiore, quam tradiderit Dioscorides. Quippe non solum uerbasci angustifolio Inulae Italicæ maiora insunt folia; uerum etiã ea magnitudine longè superant, quæ latifolio exoriuntur. Quod tamen pro locorum uarietate euenire facile possit: crediderim tamen hoc in loco Dioscoridis codicem pluribus scaterere mendis. Siquidem testatur Marcellus Florentinus uir quidem apprime doctus, se habuisse Dioscoridis uetustissimum, ac probatissimum codicem, in quo longè plura legebantur, quam in cæteris ferè cunctis Græcis exemplaribus. Sed præsertim in hoc capite hæc de caule, floribus, & semine habebantur. Caule ex se mittit Helenium crassum, hirsutum, cubitalem, & aliquando maiorem, angulosumq;: flores luteos: & in his semen uerbasci simile, tactu pruritiu faciens. Quare mirum non est, si etiam alia hic desiderari possint, cum non facile adducar, ut credam, Dioscoridem Helenij radiceis, cuius tantum est in medicamentis usus, tum amaritudinem, tum formam subicuisse. Meminit Inulae Plinius lib. XIX. cap. V. ubi sic habet. Sifer his seritur mensibus, februario, martio, aprili, augusto, septembri, octobri. Breuior his est, sed torosior amariorq; Inula, per se stomacho inimicissima. Eadem dulcibus mistis saluberrima. Illustrata maxime Iulie Augustæ quotidiano cibo. Superuacuum eius semen, quoniam oculis ex radice excisis, ut arundo seritur. Item lib. X. cap. V. Inula quoq; inquit, à ieiunis commanducata dentes confirmat, si ut eruta est, terram non attingat. Conditia tussim emendat. Radice

eis uerò decoctæ succus tincas pellit. Siccatur autem in umbra farina, tussis, & conuulsis, & inflationibus, et articularijs medetur. Venenatorum morsus abigit. Folia ex uino lumborum dolori illinuntur. hactenus Plinius. Ceterum Aegyptium helenium, quod Crateus auctoritate memorie prodidit Dioscorides, ad nos (quod ego sciam) non deferatur, nec in Italia prouenit. Hoc à nostrate non distinxit Auicenna, sed utrunque simul confudit. Meminit huius etiam Plinius libro XXI. cap. x. his uerbis. Helenium è lacrymis Helenæ dicitur natum: & ideo in Helena insula laudatissimum. Est autem frutex humi se spargens, dodrantalibus ramulis, folio simili serpyllo. Item lib. eodem cap. XXI. Helenium, inquit, ab Helenæ lacrymis (ut diximus) natum, fauere creditur formæ: cutem mulierum in facie, reliquæque corpore nutrire incorruptam. Præterea putant usu eius quandam gratiam ijs, ueneremque conciliari. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in uino, eumque quem habuerit nepenthes illud prædicatum ab Homero. quod tristitia omnis aboleatur. Est autem succi prædulcis. Prodest & orthopnoicis radix eius in aqua ieiunis pota. Est autem candida intus, & dulcis. Bibitur & contra serpentium ictus ex uino. Mures quoque contrita dicitur necare. hæc Plinius. Quibus satis constat, non modo in Aegypto hoc Helenij genus prouenire, sed etiam in Helena Aegæi insula præstantissimum haberi. Helenij uires scripsit Galenus libro VI. simpl. medic. sic inquit. Helenij herbe radix maximè utilis est, non primo statim occurso ex asfaciens: ac proinde non dicenda est calida, & sicca exactè, ceu piper tum arum, tum candidum, sed cum recremento humore. Quapropter ecligmatis, quæ faciunt ad educendos ex thorace, & pulmone crassos, lentosque humores idoneè commiscetur. Rubrificant quoque ea partes frigidis, ac diuturnis uexatas affectibus, cuiusmodi sunt nonnullæ coxarum passionis, ischiadas uocant, & exiguæ assiduæque articulorum quorundam præ humiditate procidentia, ac luxationes. hæc ille. Ceterum sunt, qui dicunt (ut etiam testatur Galenus libro de theriaca ad Pisonem, si tamen liber ille Galeni legitimus est) quod si Helenij succo tela uenatoria inficiantur, uenenata efficiuntur, idque in Dalmatia fieri narrant, ut seras omnino perdant. Quod tamen potius fabulosum, quam historicum crediderim. Planta, quæ Græco nomine ἑλένιον, Latino Helenium & Inula dicitur: Arabico, Iasim, siue Rasen: Italico, Lella, Enoa, aut Enola: Germanico, Alant: Hispanico, Raiz de alla: Gallico, Aulnee.

Helenij Aegypt. confid.

Helenij uires ex Galeno.

Fabulosum.

Nomina.

Ὀμφάκινον, καὶ πᾶν ἔλαιον.
OLEVM.

OMPHACINVM, ET OMNE
CAP. XXVIII.

OLEVM, quod ex immaturis oliuis exprimitur, ad multos usus rectè ualentibus accommodatissimum est. omphacinum id appellatur. Præstat recens, odoratum, quod non mordeat. Tale unguentorum compositionibus idoneum intelligitur. Stomacho utile est, quod astringat: gingiuas contrahit, dentes firmat, si contineatur in ore: sudores cohibet. quò autem uetustius, ac pinguius, eò ad medicamenta aptius est. Et (ut reliqua in commune dicantur) omne oleum calfacit, emollit uentrem, à perfrictionibus corpus tuetur, ipsumque promptius ad obeunda munera reddit. aluum emollit, ulcerantium medicamentorum uires permistum hebetat: contra uenena datur, assiduè potu, redditumque uomitionibus: soluit aluum heminae mensura cum pari ptisanæ succo, aut aqua potum: ad tormina calidum simul decocta ruta tribus sextarijs in potu datur: uentris animalia pellit: idem maximè dei intestini morbo laborantibus infunditur. Vetus magis calfacit, & uehementius discutit: oculorum claritati sublitum confert. Si uetusti non sit occasio, in uase decoquitur ad mellis crassitudinem, ut uetustatem representet.

Ἐλαιον τῆς ἀγριελιάας. OLEVM SYLVESTRIS OLIVAE. CAP. XXIX.

OLEVM, quod syluestres oliuæ fundunt, uehementer astringit, & ad sanorum usus secundum sibi locum uendicat. In doloribus capitis utiliter pro rosaceo substituitur: sudores arcet, defluentes capillos inhibet: furfures, ulcera capitis manantia, scabiem, leprasque abstergit: tardius canitiæ sentiunt, qui eò quotidie perunguntur. Candidum oleum fit hoc modo. Album colore, nec anniculo uetustius, in nouum fictile oris patuli funditur, centum heminarum mensura, & sub solem media quaque die concha refunditur, ex altoque demittitur, ut assidua deuolutione, ictuque agitatum respumet: octaua die sænum græcum mundum quinquaginta denariorum pondere, calida aqua madefactum, donec emollescat, in supradictum oleum deijcitur, ita ne extillet aqua: postea tedæ præpinguis piceæ, assulatim cæxæ æquale pondus adijcitur, & transfactis octo diebus, oleum concha mouetur. Vbi candorem contraxerit, in uas nouum uetere uino affusum recondi debet, substratis fertulæ Campanæ corollis drachmas undecim pendentibus, cum pari iridis pondere. sin minus, rursus soli mandandum, & idem munus obeundum, usque dum inalbescat.

Σικυώνιον ἔλαιον. SICYONIVM OLEVM.

CAP. XXX.

SICYONII componendi ratio hæc est. In lebetem oris lati, stanno inductum, funditur noui olei albi, quod crudæ oliuæ reddiderunt, congius unus: aquæ semicongius. Leui id igne coquitur, leniter mouendo: at ubi bis efferbuit, & subtracto igne refrixit, innatans oleum concha decapulatur, & adiecta noua aqua conferuescit, & reliquis, ut diximus, peractis reponitur. In Sicyonia maximè fieri consuevit, Sicyonij inde accepto cognomine. Calfactoriam ad quendam usque modum uim habet. Fibræ, ac neruorum uitijs prodest. sceminæ ad commendandum faciei nitorem eo utuntur.

STRIGMENTA à balneis calfaciunt, molliunt, discutunt: ad sedis rimas, & condylomata illinuntur. Illa uerò, quæ ex palæstris puluerem sibi adsciuerunt, in fordibus speciem redacta, articularum nodos imposita adiuuant: ischiadicis in foveis, aut malagmatis locum, calida commodè sufficiuntur. Derafa gymnasiolorum parietibus, simulacrisque fordes, calfaciunt: tubercula, quæ agrè ad coctionem producuntur, dissipant: desquamatis, & ulceribus antiquis profunt.

Olei confideratio.

Olei usus apud veteres.

Olei facultates ex Gal.

Oleum fylue fite.

Nomina.

MVLTO quidem artificio ueteres utebantur ad componendum multifariam oleum, ut ex Dioscoride satis superque constat. Quod tamen hac tempestate à nobis fieri non solet: quauis fortasse apud Græcos eiusmodi parandi olei consuetudo minimè exoleuerit. Quippe id tantum in communi omnium usu apud nos habetur, quod è maturis oliuis exprimitur: tamen si quidam, quod & gustatu iucundius, & sanitati conducibilis sibi oleum comparare uelint, id ab immaturis oliuis exprimant, quas eo tempore legunt, cum ipsæ iam plene flauæ tantillum subrubescere ceperint. Ceterum non mirum est, si ueteres & illud candidum reddere, & multis parare modis curabant: siquidem non modò in ciborum condimentis oleo frequenter utebantur; sed etiam ut agiliores, promptiores, ac expeditiores euaderent ad obeunda corporis muneris, frequentius sibi totum corpus oleo perungebant. Quæ de causa & balneas frequentabant, & thermas. namque olei contracta fordes, ut corpora sepius perluerentur, maximè expetebat. Obiabant autem id muneris serui in balneis, qui non modò corpus totum intrantibus ablucebant; sed & ipsum quibusdam strigilibus abradebant ad hoc opus aptissimis, quas alij ex auro, nonnulli ex argento; quidam ex ferro, aliqui ex ebena, ac etiam ex præclaris lapidibus sibi comparabant, denique pro nobilitate, & facultate eorum, qui ad balneas confluabant. Quapropter dum se in ipsis balneis abradere, sudoremque emanantem detergere curabant, olei strigmenta, quod se prius perunxerant, in balnei aquam decidebant: quorum hic meminit Dioscorides. Fuit præterea in magno, ac præcipuo usu apud ueteres oleum ad perungendos athletas, qui in theatri palæstræ nudi luctabantur, non solum ut eorum corpora agilia, expeditioraque in certamine redderentur, sed ut etiam ij difficiliter sese manibus comprehenderent. Cum autem ibi puluis ob pedum frequentiore motum concitaretur, athletæ ipsi oleo affatim perunctissimum in se facile contraherent; ac multò magis cum in terram alter alterum consternerent. Quare balneum ingressi, strigilibusque abradi cænoza strigmenta relinquebant, quibus artuum affectibus Dioscorides moderari tradidit. Sed cum plurimi athletæ oleo copiose peruncti inter luctandum palæstræ parietibus, ac statuis lapideis sese sepius affricarent, contracta loca olei pinguedinem contraherent, quo facile fiebat, ut adueniente puluere cænosum quoddam unguem parietibus inheresceret; de quo etiam Dioscorides disseruit. Olei facultates fusius prosecutus est Galenus lib. vi. de simplicium medicam. facult. sic inquit. Oleum, quod ex oliuis conficitur, quod sanè propriissimo nomine oleum appellamus, cuiusmodi sit temperaturæ, superioribus libris definitum est. quippe humectatorium esse, & moderatè calidum ostendimus. Eiusmodi est, quod est dulcissimum, fitque potissimum ex oliuis, quas Græci δρωτῆρῶς uocant, nos drupas. Ceterum quod omotribes, & omphacinum nuncupant, id quantum in se habet adstrictionis, tantum etiam illi inest frigiditatis. Porro oleum uetus, quod quidem ex dulci inueterato efficitur, & calidius est, & magis discussorium. Quod uerò ex immaturo, id dum reliquum quippiam seruauerit adstrictionis, mistæ permanet facultatis: ubi uerò illam prorsum abiecerit, reliquo sit simile. Quinetiam quicumque in præparando germina iniiciunt, ij & ipsi omphacino simile oleum efficiunt. Ceterum rogandum non est, quo pacto sit præparatum, sed gustandum est potius: ac si præferat adstrictionis quippiam, eatenus etiam frigidum esse existimandum, ceu illud, quod ab Iberia portatur, quod Spanum, id est Hispanicum nominant. Quod si nequaquam gustantibus adstringere appareat, sed adanussim uideatur dulce, id modicè esse calidum putandum. Porro si tenue quoque cernatur (tale est, quod purum est, quodque intuenti transluendum uidetur) ac modicum eius latissimè per cutem extensum sibi maneat continuum, celeriterque à cute combibatur, id utique pro optimo ducendum, ac olei uirtute quàm maximè pollere, quale est Sabinum. Porro quod oleum lotum maximè expers sit mordacitatis, supra positum est. Ceterum quo potissimum modo id probissimè laues, in sequenti tradam opere, quod inscribetur de medicaminum compositione, ubi & de Sicyonio, & si quod eius generis præterea oleum est, agetur. nunc simplicia prosequor, adijciamque & de alijs olei speciebus sermonem. Iam quod ex agrestis oliua oleum exprimitur, non simplicè temperaturam obtinet; sed extergit, simulque adstringit. Squalidissimum id est ex omni olei genere, & post Istricum quoque: deinceps illis est Hispanicum. Pinguisimum est Libycum, & Cilicium: simul autem pingue, & tenue Sabinum. In medio comprehensorum omnium sunt tum id, quod per Cyclades insulas nascitur, tum quod per Græciam, Asiamque. Porro oleum pingue estimatur, iudicaturque uiscositate: tenue uerò si perluceat, si purum sit, si plurimum à minima eius portione inungatur, si facile à cute combibatur. Ex dictis cognoscere iam liceat & de alijs olei generibus, quæ æquiuocè ipsis dicuntur unguentis, puta rosaceo, melino liliaceo, & quæcumque id genus floribus, fructibus, germinibus, folijs in oleo maceratis conficiuntur. Horum quodque ubi unà cum aromatibus præparantur, unguentum efficitur. Pro cuiusque iniectionum natura oleum uariari contingit. Ex ijs ergo, quæ in toto hoc opere de quoque iniiciendorum generatim discas, sigillatim quoque confectum ex iisdem oleum cognoscere dabitur. Quod Græci ἔλαιον, Latini Oleum dicunt. id Arabibus Cait, seu Zait nominatur: Italis, Olio: Germanis, Oel: Hispanis, Azeite: Gallis, Huyle.

Ἐλαίωμαλι.

ELAEOMELI.

CAP. XXXII.

IN PALMYRIS Syriæ, quod elæomeli uocant, ex quodam caudice manat, oleum melle crassius, sapore dulci. Bilem, cruditatesque detrahit, sextario cum una aquæ hemina dato. Sed qui sumpsere,

pfere, torpescunt, & uiribus deficiunt. quod minimè uereri oportet: uerùm crebro excitare, ne ueterno pressi somnos capent. Fit & oleum è pinguitudine furculorum. Optimum uetus, crassum, pingue, non turbidum. Calfacit: priuatim caliginibus oculorum illinitur: lepras, neruorumque dolores illitum emendat.

QUANQVAM quotidie plura, uariaq; mercimoniorũ genera nobis ex Syria conuehuntur; Eleomeli tamẽ (quod sciam) non modò non conuehitur, sed ne ullum quidem unquam audiui, qui ipsum uiderit, uel nouerit. Ceterum Her-
 10 molaus uir quidem præstantissimus dubitat, utrum eleomeli sit manna, eleomelitis, & æromelitis, quod mel aëris si-
 gnificat, uicinitate deceptus. Quapropter non possum non admirari, doctissimum uirum hac in re dubitasse, cum tum
 Dioscorides, tum etiam Plinius, quibus cum longam contraxerat consuetudinem, communi sententia scribant, eleo-
 meli oleum esse è quodam arboris caudice manans in Syria Palmyris, non mel aëreum, neque rorem, qui ab æthere
 cadat. Eoq; magis, cum addiderit Dioscorides, non modò eleomeli per se ex arbore manare, sed & factitium ha-
 beri iussit, expressisq; arboris furculis.

Hermolai la-
 plus.

Κύκινον ἔλαιον. CICINVM OLEVM. CAP. XXXIII.

CICINVM oleum hoc modo temperatur. Maturi ricini, qua uoles quantitate, torrido sole flacce-
 scunt, & aliorum more cratibus instrati tantisper in solantur, dum uestiens cortex fractus decidat. Ca-
 ro colligitur, & coniecta in pilam diligenter tunditur: postea in lebetem stanno illitum, qui aquã ha-
 beat, demittitur, subiectoq; igni seruescunt: & ubi insitum prorsus humorem reddiderunt, sublato
 20 ab igni uase, innatans oleum concha tollitur, & reconditur. Sed in Aegypto, ubi largior increbuit u-
 sus, longè secus fieri solet. Nam repurgatos ricinos molæ mandant, & accuratè mollitos per sportulã
 toreulo exprimunt. Tum quidem ematuruerunt ricini, cum continentibus orbiculis exuuntur. Ci-
 cinum oleum ad pforas, & ulcera capitis manantia ualet: prodest sedis inflammationibus, uuluis con-
 uersis, atque præclusis: item indecoris cicatricibus, & aurium doloribus: emplastra efficaciora red-
 dit additum: potu aquam aluo extrahit: uentris animalia pellit.

RICININVM, siue Cicinum oleum, Cheruæ oleum officinis dicitur; quanuis rarioris sit usus. Nanque semen
 plantæ, quam Dioscorides ricinum appellat, Arabum esse cheruam nemo est, qui ignoret: quod etiam Serapio pen-
 tadatachylum uocat, ut diffusit suo loco libro quarto explicabitur. Ceterum ricinus animalculum est fœdum, liuidum,
 30 & sanguine plenum, quod Italis zecca uocatur, suibus, canibus, capellis, & id genus animalibus infestissimum. Cui
 eum hoc semen forma, & colore sit quàm simillimum; idcirco Ricini nomen sibi comparauit. Meminit huius olei
 etiam Mesues, qui præter uires ei à Dioscoride redditas, addidit, id ualidè crassas coercere inflationes. Proinde uen-
 triculi, laterum, coliq; doloribus prodesse illitum, potum, & infusum.

Ricini olei cõ-
 sideratio.

Ricinus unde
 dictus.

Ἀμυγδαλίον ἔλαιον. AMYGDALINVM OLEVM. CAP. XXXIIII.

AMYGDALINVM oleum, quod aliqui metopium uocant, hoc fit modo. Semodius ex amaris nu-
 cibus repurgatis, siccatisque, in pila ligneo pistillo leniter tunditur in offas, aquæ, quæ ferbuerit, sex-
 tarius adijcitur, & ubi dimidia hora humorem hauserit, uehementius quàm antea tunditur: mox ta-
 bellis premitur, & quod digitis hæsit, concha excipitur. Pressis nucibus rursus hemina aquæ insper-
 40 gitur, & postquam ebiberint, idem opus profequendum. singulas heminas reddunt singuli modij.
 Contra uuluarum dolores, strangulatus, conuersiones, & eorundem locorum inflammationes effi-
 cax est: uitijis renum, calculosis, difficili urinæ, suspiriosis, lienosisque proficit: dolores capitis, gra-
 uitatem auditus, sonos incertos, tinnitusque discutit: maculas, & uitia cutis tollit è facie: & eam eru-
 gat cum melle, radice lilij, & Cypria cera, aut rosaceo ce rato: & oculorum hebetudines emendat. ul-
 cera capitis manantia, & fursures cum uino abstergit.

CVM amarum omnino dulci sit temperandum, delinquere sanè existimarem, si oleum ex dulcibus amygdalis ex-
 pressum (etsi illud Dioscorides silentio inuoluerit) ex amaris coisectò non adijcerem, rectumq; conficiendi modum non
 explicarem: præsertim cum nostræ ætatis medicis maximo sit usui, & pauci sint myropolæ, qui ipsum rectè probeq;
 50 conficiant. Parandi igitur rationem (ut Mesues tradidit) sic habeto. Præstantiores, dulcioresq; amygdalæ, qua lubet
 quãtitate, ab utrisq; corticibus repurgatæ, optimè in lapideo niortario tui-
 tur, et in loco calido reponuntur, quinque
 horarum spatio. dein parum iterum contunduntur: mox prælo tandiu premuntur, quousque omne, quod continent,
 effluat oleum. Elicitur etiam hoc modo. Collocantur delibratæ, contusæq; amygdalæ in uitreo, uel stanno uase,
 infunditurq; uas in balneo calentis aquæ. eximitur deinde tribus peractis horis, extrahunturq; amygdalæ, & statim
 prælo calentes subiiciuntur: itaq; oleum copiosius excipitur. Tritæ rursus amygdalæ, & repurgatæ in sacculis
 panno duplicato inuolutis sub arena, cinerèue calido reconduntur, & postquam efferbuerint, prælo oleum elicitur.

Amygdalini
 parandi ratio.

Sed nostrates seplasiarij plurimum negligentie, segnitieq; indulgentes non modò amygdalas non repurgant, neq;
 delibrant; sed & amaras, & rancidas commiscunt, & ontas simul conterentes, in æreum cacabum iniiciunt, igniq;
 admonent affuso aquæ tantillo, ne penitus torreantur: deinde in sacculum conijciunt, et prælo summittunt, & quod
 inde fluit oleum excipiunt. quod plerumq; existionis nidorem tantum obolet, ut haurientibus illico euomendi pariat nau-
 seam. Qui autem sic parant oleum amygdalinum, eius lenientem facultatem peruertunt, ac destruunt: siquidẽ con-
 tris

Myropolarũ
 ignauia, & la-
 plus.

tusis amygdalis non delibratis, oleum inde confectum corticium vires asseruat. Proinde et dissipat, et exasperat, et scabritiem inducit. id quod etiam adauget ignis violentia, dum in lebetibus amygdala torrentur. Hoc itaq; diligenter animaduertens optimus Mesues Amygdalini faciendi rationem prodidit, ut uidelicet, cum purgata, contusaq; essent amygdala, calore quodam suauis, ac lento leniter calefierent, sicut diximus, non autem carbonibus ardentibus, quemadmodum hodie if faciunt myropole, qui etiam alia pleraq; confundunt. Amygdalinum igitur, si recte, probeq; conficiatur, mirifice lenit. quare potum ad libra dimidium aluum leniter deiecit: asperam arteriam, pulmonis, ac pectoris scabritias tollit: duritias omnes emollit: et compaginon, et membrorum omnium siccitates humectat. quocirca hecicis plurimum conducit. Contra uuluarum dolores illitum et potum facile prestat: sicuti uestie cruciatibus est efficacax, si argentea fistula coniectum impulsorio instrumento iniiciatur. Quod autem ex amaris amygdalis exprimitur, dulci in omnibus efficacius habetur. Idcirco in prouocandis lapillis, conciliandisq; uiscerum cruciatibus a flatu crassiore genitis, dulci longe prestantius reperitur. Nimirum et obstructions aperit, et interaneorum tineas euecat.

Amygdalini uires.

Βαλανίνων ἔλαιον. BALANINVM OLEVM. CAP. XXXV.

SIMILI modo fit Balaninum oleum. Quod repurgat maculas, lentigines, varos, & cicatrices nigras: aluum soluit, stomacho aduersatur: contra aurium dolorem, fonos, & tinnitus auxilio est, cum anserino adipe instillatum. Similis sesaminum ex sesamo conficiendi ratio. Fit etiam è nuce iuglande oleum, quod caryinum uocant. Eandem uim habet, quam balaninum.

Balanini consideratio.
Balanini facultates.

OLEVM unguentaria glandis, quod Balaninum uocant, à pharmacopolis, et unguentarijs oleum de Ben appellatur: quoniam myrobalanum, quod Latini unguentariam nucem dicunt, ex qua hoc conficitur oleum, Mauritanii Ben appellant, ut latius libro quarto differemus. Consimili modo id Mesues fieri tradit. Et (ut idem etiam est auctor) abstergit, mundat, et obstructions aperit. Illiolum strumas dissoluit, durosq; tumores. Frigidis tum iocineris, tum lienis affectibus opem mirifice prestat: facit et ad frigidam nervorum conuulsiones, et compaginon cruciatibus. Sed illud sibi peculiariter adseiuat, quod etiam si diu ueterascat, haud quaquam rancidum euadit. Ideoq; unguentarijs expetitur ad suauissima odora menta excipienda; praesertim cum moscho, et ambaro chirotheas illumant. quo fit, ut nullo temporis tractu rancorem unquam respiciant, ut facile eueniret, si alio quouis oleo eo in opere uterentur. Quamobrem mirari non licet, si ueteres fructum, à quo elicitur hoc oleum, glandem unguentariam nominauerint. Sesaminum uero (ut Mesues inquit) amygdalini modo exprimitur. Quippe sesam repurgatum semen primo contunditur, deinde eodem artificio calefactum praelo supponitur, tandiuq; premitur, quousq; oleum reddat. Id (ut idem testatur) pingue ministrat alimentum: semen adauget, asperitates quascunq; lenit, sed praecipue gulae uocem expedit, et dura apostemata mollit. Adijcitur Sesaminum plerisq; unguentorum compositionibus, quorum in officinis est usus. Verum quod è iuglandibus nucibus elicitur, nullius in medicina usus esse reperio, etsi lucernis, et lampadibus, qui parsimonie student, id maxime expetant. quippe ignis funiculo non tam cito consumitur, quam id, quod ex oliuis paratur. Praefertur etiam pictoribus eo, quod è lini semine exprimitur. siquidem hoc cerussa admixtum tractu temporis colorem immutat, illud uero incorruptum perpetuo asseruat.

Sesaminu, & eius uires.

Oleum è nucibus iuglandibus.

Ἵοσκυάμινον ἔλαιον. HYOSCYAMINVM OLEVM. CAP. XXXVI.

HYOSCYAMINVM sic fit. Semen candidum, recens, ac ficcum tunditur, & calida aspergitur aqua, ut in amygdalino diximus: dumque insolatur, siccate, quae sub manu sunt, partes cum reliqua massa permisceantur: hoc autem fieri oportet, dum nigrescat, & grauitè oleat: mox pressum, atque excolatum reconditur. Ad aurium dolores efficacax est: pesis miscetur, ad emolliendum utile. Fit et è grano gnidio purgato, & tufo. Vis ei aluum soluere potu. Non secus cnicinum oleum temperatur. cui facultas eadem est, quae factu è gnidio grano, uerum inualidior. Rhabbaninum è rhabhani femine fieri solet, caeterorum more. Phthiriasis mala ualitudine contractas tollit: scabritias cutis in facie emendat. Ad obsonia utuntur Aegyptij. Melanthinum idem, quod rhabbaninum potest, eodemque modo paratur. Tritum sinapis semen, & calida aqua madefactum, adiecto postea oleo exprimitur. Id ad diuturnos dolores efficacax est: transfert humores, qui in aliqua parte concreuerunt.

Hyoscyamini uires.

Hyoscyam. parandi ratio.

Gnidinum.

TAMETSÍ perpauci reperiantur medici, qui Hyoscyaminum oleum nouerint, ne dum in usum receperint unquam; ego tamen id ipsum pluries confeci. Siquidem ad tollendos omne genus dolores, ubi caetera praesidia non iuerint, efficacissimum est medicamentum, praesertimq; inflammationibus pudendorum utriusque sexus. Item acutissimis aurium doloribus medetur cum castoreo, uel croco instillatum. Prohibet praeterea gonorrhoeam, renibus et testibus illitum. Mensuum exuberantiam cohibet, et albicantia uteri profluua, tum pubi et lumbis perunctum, tum pesis infusum. Mammis à partu inflammatis utiliter illinitur. Dentium dolores mirifice mulcet, si tepidum in ore continetur. Pilorum exortum admodum retardat, alijs quibusdam additis, ita ut euulsi pili integro anno non renascantur, se eodem depilata loca saepius perungantur. At ipse in eo faciundo Dioscoridem minime secutus sum, sed aliam parandi rationem adinueni, quae haec est. Sumito nouum, siccumq; hyoscyami semen, tundito deinde, ponitoq; in stanno, uel uitreo uase, ardenti aqua, quae è uino fit, parumper prius affusum. His factis ponito uas in calentis aquae balneo die, ac nocte, demum adhuc feruens sacculis imposito, et praelo subijcto, sicq; oleum habeto. Quod autem è grano Gnidio, quod rustici Ananienses montanum piper appellant, paratur, recessit hoc aëno à medicorum usu, eo quod in deicienda aluo

da alio uolentissimum sit medicamentum, rusticis tamen aptissimum, cum sepius, ne medicos consulant, coctum Gnidium deuorent: quo etiam sepius morte occumbunt. Porro Cnicinum (ut Mesues inquit) potum aqua intercute laborantibus, uiscerum obstructionibus, uentriculi, & coli cruciatibus à flatuositate genitis, efficax est. Suspiriosis mirificè prodest, & uocem clarificat. Epotium pituitam tum uomitionibus elicit, tum per inferna ducit. Rhabaninum præterea, & Melanthinum aboluerunt, sicuti etiam Sinapinum: etsi ubi ad summum excalfacere opus fuerit, maximam opem prestare ualeant. Sinapinum uero non nisi collacrymantibus oculis exprimi potest: tanta enim est uaporis acrimonia, ut concepto uapore, illico prodeant lacrymæ. Miscetur quandoq; cum eo, quod è pistaceis nucibus elicitur: perungunturq; eo genitalia in frigidis, ut feliciter coëant, addito lasere, & mosebo.

Cnicinum.

Rhabaninũ.
Melanthinum.

Sinapinum.

ΜΥΡΣΙΝΙΝΟΝ ἔλαιον. MYRTEVM OLEV. CAP. XXXVII.

MYRTEI faciendi ratio hæc est. E' myrto nigra syluestri, aut fatiua, foliorum mollissima quæque tusa premuntur: succo pares omphacini olei portiones adijciuntur, subiectisque carbonibus inferuescunt, donec concoquantur: innatans oleum deraditur. Sed longè facilius hæc compositio. Tënera folia contusa coquuntur in oleo & aqua, & quod innatat, eximitur. Priuatim alij deiecta in oleum folia in sole macerant: alij prius oleum inspissant malicorio, cupresso, cypero, & iunco odorato. Efficacius est amarum gustu, & oleosum, uiride, translucens, & olens myrtum. Astringit, & indurat: ideo medicamentis miscetur, quæ cicatricem obducunt: prodest ulceribus in capite manantibus, ambustis igni, & papularum eruptionibus. Facit ad attrita, & furfures, sedis rimas, condylomata, articulos laxatos: corporis sudores compescit: & ad omnia ualet, quæ astrictionem, inspissationemque desiderant.

MYRTEVM myropole ferè omnes non quidem ex tenellis myrti frondibus, Dioscoridis more, conficiunt, sed è fructibus tantum, nulla seruata parandiratione. Quandoquidem myrti baccas contundentes, oleo, nigroq; uino immiscent, & in æneum cacabum transferunt, subduntq; (ut citius opus expediant) ignitos carbones, ibiq; tandiu inferuescere sinunt, donec uinum totum absumatur: mox ab igne tollunt, percolant, & asseruant. Neq; animaduertunt conficiendi regulam à Mesue explicatam. siquidem is in calentis aquæ balneo, non quidem uolento carbonum igne Myrteum parari iubet: ex oleoq; omphacino fieri, non (ut ipsi parant) ex maturis oliuis expresso. Namq; ut balnei humentati, ac leni calore olei compositio mirificè digeritur, ac eius omnes conseruantur partes: sic contra uolento igne subdito peruertitur, & destruitur tota rei compositio. Sed quoniam reipublice beneficio (ut etiam ab ipso exordio pollicitus sum) decreui non prætermittere quicquam, quò errores, qui in diæis contingunt, e medio tollantur, dico, oleum omne, quod officinæ ad medicamenta usurpant (illud exceipio, quod ab arborum resinis, stirpiumq; aliarum gummi, ut a treis organis per sublimationem, ut chymistæ uocant, elicitur) uasè uitreo, uel saltè in stanneo in balneo calentis aquæ fieri debere: & inibi primum impositis imponentis tribus diebus macerari: post tertium uero diem expressis cunctis prius impositis, donec sibi oleum amplissimas exceptorum medicaminum comparauerit uires. Verum ingens hominum lucri auuiditas, auriq; ingluuies, ut admodum superluerentur, arcantq; auro ad summum usq; impleant, non patitur myropolas necessarium tempus impendere ad medicamenta exactè paranda: eos, inquam, qui continuè magis erumenis intendunt, & inbiant, quàm ut uita egrotantium satagant. Probi tamen, & diligentes hæc mea uerba boni consulant, his uerò mali errores emendent suos. Idcirco Myrteum oleum, quod myrti præstantiam ad plenum refrat, hoc modo temperatur. Sumito fructuum myrti libram, foliorum eius recentium uncias decem, uini nigri adstringentis libras duas, olei omphacini libras quinque: deinde contusis baccis, ac folijs omnia oleo exceipito, & uasè uitreo, uel stanneo reponito, tectoq; uasè ore in balneo calentis aquæ immergito, & post tres dies extrahito, ac percolato. Rursus assumptis recenter baccis, folijs, & uino, ut antea oleo exceptis, in eodem balneo omnia recondito ad tertium usq; diè. At postremò uasè ore detecto, tandiu id apertum finito, donec balnei feruore uinum totum exiliat, & oleum tantum remaneat. Nec audiendi sunt ij, qui Dioscoridis testimonio, æneo cacabo (ut supra dictum est) substratis carbonibus Myrtinum conficiunt. Quippe Dioscoridis tempore ars medica non adeò exulta erat, quin nec seplasiaria, ut nostra hæc ætate esse uisitur. Quamobrem putandum, quod si huius balnei artificium Dioscoridi innotuisset, ipsum haudquam silentio præterisset, ueluti nec illud Mesues, nec alij complures præterierunt, qui summo studio, & diligentia medicam facultatem excolerunt, & in ordinem redegerunt.

In myrteo officinarũ lapsus.

Olei omnis generis parandi ratio.

Myrtei parandi ratio.

Δάφνινον ἔλαιον. LAVRINVM OLEV. CAP. XXXVIII.

LAVRINVM fit hoc modo. Lauri baccæ cum maturæ sunt, in aqua coquuntur: siquidem ex obducto cortice quandam pinguitudinem reddunt, quæ manibus subacta, concha excipitur. Alij omphacinum prius oleum cypero, iunco odorato, & calamo inspissant, deinde tenera lauri folia concoquunt. alij etiam baccas, donec oleum odorem contraxerit. alij styracem, & myrtum addunt. Optima laurus ad id latifolia, & montana. Oleum laurinum utilius, quò recentius, quoque uiridius colore, amarissimum, & acre. Vis ei excalfactoria, emolliens: uenarum spiracula aperit, lasitudines discutit: omnibus neruorum uitijs, algoribus, destillationibus, aurium doloribus, malis renum frigore contractis, illitum non aliud iuuantius: attamen potum nauisam parit.

LAVRINI

Laurini con-
sideratio.Laurini uires
ex Mesue.

LAVRINI conficiendi rationem aliter à Mesue institutam legimus, sed tamen ab hac parum recedentem. Ideoq; quòd id parum, uel nihil refrat, rem ipsam silentio prætereundam duximus: præsertimq; quòd non me latet, Laurinum, cuius est usus in officinis, à seplasiarijs nequaquam fieri, sed ab alijs confectum emi, qui lecta magna lauri baccarum quantitate ipsum elicendi artem exercent. Mesues præter facultates à Dioscoride traditas, id summè laudauit & ad iocineris dolores, & ad hemicraniam, quæ frigidis contrahitur succis. Quin & ad uentriculi dolores, colli, uulue, & lienis efficax esse tradidit.

Σχίννον ἔλαιον.

LENTISCINVM OLEVM.

CAP. XXXIX.

SIMILIS Lentiscini ratio. Nam è maturo fructu temperatur, factis prius spissamentis, ut in laurino diximus. Hoc scabiem iumentorum, canumq; sanat: utilissimum pefsis, acopis, & leprarum medicamentis: sudores cohibet. Nec secus Terebinthinum fieri solet: quod refrigerat, & alstringit.

Lentiscini pa-
randi ratio, &
uires.Terebinthini
consideratio,
& uires.

LENTISCINVM pluribus in locis Hetruria conficitur, sed præsertim in agro nostro Senensi, Alua, & Gilio Tyrrheni insulis, non longè à continenti nostra distantibus. Fit autem ab incolis hoc modo. Racemosas lentisci baccas assumunt, & à putaminibus cunctis expurgant, permittuntq; aliquot diebus simul flaccescere: deinde magnam in abenum collocant, affusa aqua: & igni tandiu feruent, donec baccæ debiscant: demum eas extrahunt, & faccis includunt, præloq; subiiciunt, expressumq; afferuant oleum. Quod & quibusdam Adriatici insulis hac similiter ratione confici audio, absque alterius cuiusuis olei adminiculo: siquidem fructus is per se olei satis emittit. Incolæ (ut experimento comprobatum affirmant) ad acuendam oculorum aciem, caliginesq; delendas, illud cibus commiscunt. At ego eo sæpius usus sum magno sanè iuuamento in dysentericis, non quidem potu exhibito, sed clysteribus infuso. Lentiscinum summis laudibus extulit Galenus lib. v. de compos. medic. secundum locos, ad gingiuarum, & lingue inflammationes, si os eo colluatur. Quod autem fit è fructibus terebinthi, quos Mauritanii grana uirida nuncupant, non fit in Italia, neq; ad nos (quod equidem sciam) aliunde conuebitur: proinde non uenit in usum. Hoc tamen (ut Mesues inquit) uulnera consolidat. Medetur item conuulsis, opisthotonicis, neruorumq; duritijs, & creberrimè cataplasmatis admiscetur.

† In his uerbis mendum subesse putamus, ut etiam doctissimè adnotauit Manardus Ferrariensis lib. VIII. epist. prima. Aliàs siquidem sibi ipsi repugnasset Dioscorides, cum scripserit in Terebinthi mentione eius fructus exalfaceare; hic uerò dicatur, oleo ex eisdem parato inesse refrigerandi facultatem. Huic deprauatæ lectioni illud quoq; resfragatur, quòd sint nobis Græci Dioscoridis codices, in quibus uerba illa de Terebinthini olei facultatibus non leguntur, sed de eius tantum conficiendi ratione mentio habetur.

Μασίχνον ἔλαιον.

MASTICHINVM OLEVM.

CAP. XL.

MASTICHINVM è trita fit mastiche. Quod contra omnia uulue mala efficax est: medio-criter calfacit, alstringit, & emollit. Aduersus prominentes stomachi duritias, cæliacorum, dysentericorumq; cruciatus utile: faciem emaculat, & colorem nitidum facit. optimum in Chio insula componitur.

Seplasiariorū
lapsus.

MASTICHINI parandi rationem, sanè quàm paucis Dioscorides perstrinxit. quippe è trita tantum Mastiche fieri tradidit, nulla alia explicata conficiendi ratione. Seplasiarij autem nonnulli prorsus obliti, scripserunt Mesuem in balneo calentis aquæ Mastichinum confici debere, communi oleo, albo uino permisto: mastichen admiscunt, & æreo uase carbonum igni admovent, ibiq; tanto tempore efferuescere sinunt, quoad uinum prorsus exiliat, ac inde usui asseruant. At ipse uitreis organis è purissimo tantum mastiche illud sæpius confeci.

Μύρον σύνθεσις.

VNGVENTORVM COMPOSITIO.

CAP. XLI.

DE RATIONE vnguentorum consequenter tractandum existimauius: quandoquidem ea in nonnullis corporum uitijs, aut medicamentis mista, aut corporis perfusa, aut naribus obiecta, plurimum profunt. in quorum probationibus consulere nares oportet, an ea oleant, ex quibus temperantur. Optimum huiuscemodi iudicium. quod tamen in quibusdam planè obseruari non potest, propter ea, quæ admiscuntur, odore cæteris præualentia: ut in amaracino, & crocino, telino, & plerisq; alijs, quæ crebra circa hæc meditatione experiri conueniet.

Ρόδινον.

ROSACEVM.

CAP. XLII.

ROSACEVM sic fit, Iunci odorati quinque libras & bessem tundito, & subactas aqua in viginti olei libris, & quincuncem subinde mouendo, coquito: dumque percolaueris, in olei libras uiginti, & quincuncem, adijcito rosas non madefactas numero mille, & manibus melle perunctis identidem moueto, interdiu premens, finito nocte tota macerari, postea exprimito: & ubi recrementum pefsum ierit, mutato uase, in craterem melle illitum recondito. Cæterum rosas, quæ antea pressæ fuerunt, in labellum demittito, & affusis octo libris & quadrante spissati olei, iterum premito, eritque secundarium oleum. Quòd si tertias usque, quartasue perfusiones infundens exprimere uoles, secundarium

ROSACEVM



cundarium fiet, tertiarium, & quartarium vnguentum. Sed quoties id feceris, vasa melle oblini debent. Si uerò secundam infusionem instituere libet, in expressum oleum, numero pari recentes rosas, nullo humore imbutas iniijcto: manibus melle præmadefactis agitans premito: & iterum tertio, aut quarto simili modo exprimes facito, totiesque recentes rosas detractis vnguibus immitto: fiet enim ita oleum multò validius. nam septies oleum rosarum infusionem admittit, nec amplius. Præ- lum melle perungatur, oleum a succo diligenter secerni oportet: nam si minimum quid relinquatur, vnguentum corrumpet. Alij autem detractis vnguibus, rosas tantum oleo macerant in sole hoc modo. Rosæ, quæ se librà pondere æquant, in sextario olei diebus octo madescunt, & usque tertiam perfusionem quadraginta diebus insolantur, & sic oleum reconditur. Alij calamo, aut aspaltho prius olei spissamenta faciunt. Alij coloris causa anchusam admiscunt, & salem, quò minus oleat. Vim astringendi, & refrigerandi obtinet: fomentis, & cataplasmatibus vtile. Potum soluit aluum: stomachi ardorem restinguit: vlcera caua replet, & mulcet, quæ cacoëthe uocantur: vlceribus in capite manantibus, atq; feruidis eruptionibus illinitur: caput dolens eo perfunditur: dentes inter initia doloris collui prodest: ad genarum duritias illitum efficax est. ad lacesita interanea, & concitatas vuluas utilissimè subijcitur.

Hoc sub olei nomine comprehendit Dioscorides oleum omnine, quod per se tantum, nulla alterius olei admixtione, aut ex arborum fructibus, aut herbarum diuersorum generum seminibus, aut stirpium resinis elicatur. Sed unguenti appellatione intelligit

Vnguëtorum consider.

oleum omne genus, cui & odoramenta, & alia simplicia medicamenta admiscuntur, ut in præsentia de Rosaceo agēs, & deinde in sequentibus manifestè ostendit. Quo fit, ut apud Dioscoridem oleum uocetur, quod simpliciter expressum sit: unguentum uerò oleum quodlibet, cuius componendi ratio pluribus constet medicamentis. Quapropter Galenus lib. vi. simpl. medicamentorum de oleo agens, sic inquit. Ex dictis cognoscere iam liceat, & de alijs olei generibus, quæ æquiuocè ipsis dicuntur unguentis, puta rosaceo, melino, liliaceo, & quæcunque id genus floribus, fructibus, germinibus, folijs in oleo maceratis conficiuntur. Horum quodque ubi unà cum aromatibus preparantur, unguentum efficitur. Ceterum oleum rosaceum, quod hoc tempore officinæ cõpletum appellant, à Dioscoridis rosaceo longè disidet, quod etiam eo præstantius existimandum est, summum ob artificium, quod in ipsa parandi ratione diligentiores adhibent myropole. Quod eorum tamen perpauci (ita ut ingenium est multorum à labore procliuè ad ignauiam) illud secundum Mesuem temperant; tamen si plures ab eo optimi rosacei conficiendi modum sint consecuti.

Rosacei consideratio.

Fit etiãnum rosaceum rosis non affatim dehiscentibus in omphacinum demissis, modò calentis balnei uiribus (ut in quibusdam alijs superius adnotauimus) modò insolatu perquam longo. Sunt & qui, ut magis uiribus præstet, oleum prius ex aqua rosacea lauent, deinde plusculo temporis spatio ter, aut quater rosas infundant, quæ haud penitus fatiscant: demum expressione peracta, immaturarum rosarum succum adijciunt, ac inde diu insolant. Postremò oleum à succo secernunt, & diligenter asseruant. Hoc inflammationes discutit, roborat, adstringit, fluxionesq; cohibet, ne ad ægras defluant partes. Potum torminibus dysentericis medetur. Capitis uulneribus aptissimum est, quòd roboret, siccet, resoluat, inflammationesq; non modò prohibeat, sed etiam extinguat. Quocirca hac in re maxime probatur Galeno lib. ii. de comp. medic. secundum locos, ubi de dolore capitis scribit, qui uel ex uulnere, uel casu excitatur. Cuius etiam meminit lib. x. simp. medic. de sanguine agens.

Rosaceum omphacinum.

Rosacei omphacini uires.

Ε'λάτιον.

ELATINVM.

CAP. XLIII.

FRACTA elate, tusa, & scarificata, in labellum deiicitur: omphacinum oleum triduo infunditur, mox per sportulam exprimitur: uerùm pares esse debent utriusque portiones. dein mundo uase ad usum reconditur. Viribus rosaceo proportione respondet: aluum tamen non mollit.

ELATINVM, quod ex Dactylorum inuolucris antiquitus parabatur, hac nostra tempestate aboleuit.

Μέλιον.

MELINVM.

CAP. XLIIII.

MELINVM hoc modo temperatur. Olei congius decem aquæ sextarijs admiscetur. Adijcitur elatæ palmarum fractæ quadrans, & iunci odorati uncia: quæ die uno macerata coquuntur, mox

mox in vas oris patuli oleum excolatur, & indita arundinacea crate, aut rara tegete, cotonea mala superponuntur, & vestimentis operata tantisper inibi resident, dum malorum vires ad se oleum alliciat. Aliqui cotonea decem dierum spatio operimentis inuoluunt, vt contineatur odoris suauitas, nec euanescat: postea biduo macerata oleo exprimuntur, oleumque reconditur. Id vim refrigeratoriam, & astringentem habet. Contra scabiosa vlcera, & quæ serpunt, ac furfures, perniunculosque effectum præbet: exulceratis vuluis infunditur: citatam vrinam fistit infusum: sudores cohibet: contra cantharidas, buprestim, pinorum erucas, bibitur. Laudatur maximè quod cotonea mala olet.

Melini confideratio.

MELINVM oleum ad hodiernum officinarum usum hoc modo conficitur. Cotonea nondum planè matura in taleolis dissecta omphacino oleo macerantur, & uino ex eis expresso superaddito insolantur. Deinde in calentis aque balneo iterum, atque iterum perfunduntur, & extrahuntur, ut in alijs superius ostendimus.

ΩΙΝΑΝΘΙΟΥ.

OENANTHINVM.

CAP. XLV.

OENANTHE è labrusca, optimè olens postquam emarcuit, deiecta in omphacinum oleum mouetur, voluiturque: & cum biduo manserit, exprimitur, & reconditur. Astringit, proximum rofaceo effectum præbens: sed aluum non resoluit aut mollit. Probatissimum est, quod odore cenanthen refert.

OENANTHINVM nullam à nobis requirit explanationem: quoniam à Dioscoride tam apertè proditur eius parandi ratio, ut non sit opus, illud pluribus explicare.

ΤΕΛΙΟΥ.

TELINVM.

CAP. XLVI.

FOENI græci libræ quinque, calami libra una, cyperi libræ duæ, olei libris nouem septenis diebus macerantur, quotidie ter mouentur, postea premuntur, & reponuntur. Aliqui pro calamo cardamomum substituunt, & cyperi loco xylobalfamum macerant. Alij oleo antea his odoribus spissato scenum græcum macerantes exprimunt. Hoc telinum abscessus emollit, & concoquit: omnibus vuluarum duritijs magnopere conuenit, sceminis difficilè parientibus subijcitur, vbi præ excretis humoribus loci siccitatem contraxerunt: sedis inflammationes lenit, tenefmo subditum prodest: vlcera capitis manantia, furfuresque expurgat: ambustis, & perniionibus addita cera proficit: vitia cutis in facie emendat: pigmentis ad conciliandum faciei nitorem inseritur. Eligi oportet recens, quod non vehementer sceni græci odorem præ se ferat, & manus abstergat, sapore ex dulci in amarum inclinato: tale enim optimum iudicatur.

OFFICINARVM Luminaria ex Rasis auctoritate aliam, quamuis exoletam, Telini componendi rationem tradunt, in quo calamo odorato, & cypero elaterij bessem adijciunt.

Σαμψύχινον.

SAMPSUCHINVM.

CAP. XLVII.

SERPILLI, casia, abrotoni, florum sisymbrij, frondium myrti, sampfuchi singulæ portiones, quadam pro uiribus ipsorum coniectatione, unà tunduntur, atque is omphacini olei modus adijcitur, qui madentium vires non euincat: hæc post quadriduum exprimuntur. denuo noua alia simili mensura, & æquali tempore macerata premuntur: ita enim ualidius reddi solet. Eligi oportet sampsuchum colore ex atro uiridi, plurimum redolens, mediocriter acre. Vim habet acrem, calfactoriam, extenuantem: aduersus vuluæ præclusiones, conuersionesque efficax est: menses, & secundas, & partus extrahit: vuluæ strangulatus recreat: lumborum, inguinumque dolores lenit: sed cum melle uti eo præstat; quandoquidem vehementi astrictione locos indurat. Lasitudines illitum discutit: in opisthotonicorum, vulforumque cataplasmata utilissimè additur.

Sampfuchini confid.

QUANQVAM ex Theophrasti, Dioscoridis, & Plinij sententia idem esse constat sampsuchum, & amaracum: cum tamen Galenus, & Paulus de his diuersis capitibus seorsum scripserint, eorumque temperamenta per gradus distingere tradiderint; non ab re credidè nonnulli aliud esse sampsuchum, aliud uerò amaracum. Quorum opinionem auxit etiam Dioscorides, quod in his unguentorum compositionibus Sampsuchinum, & Amaracinum diuersis capitibus digesserit. Quod facile plerisque ad credendum induxit, has stirpes tum facie, tum uiribus differre, hac ratione freti, quod si alterum ab altero non distaret, omnino præter rationem de his uarijs in locis scripisset Dioscorides, alterum unguentum Amaracinum, alterum uerò Sampsuchinum appellans. Porro ut huiusmodi controuersia tollatur, sciendum est, stirpem eam, quæ Galeno, & Paulo amaracum appellatur, id sanè amaracum non esse, quod Theophrastus Diosc. & Plinius sampsuchum uocauerunt, sed potius (ut ego existimo) marum, id quod etiam sentiunt clariore nostri seculi simplicium indagatores. Namq; mari nec Galenus, nec item Paulus quicquam prorsus in simplicium medicamentorum libris meminere. Quare non deest suspicio, quin librariorum culpa, in Galeno Mari titulus in amaracum abiit: quandoquidem in eius tum gradibus, tum facultatibus assignandis Galenus à Dioscoridis maro non longè recesserit.

Solutio controuersia.

Sunt

Sunt et qui uelint apud Paulum, & Galenum id amaracum dici, quod Dioscorides parthenium uocat: quippe & hoc quibusdam amaracum uocatur. Cuius rei indicium esse existimant, quod tam Galenus, quam Paulus nullibi in simp. medic. libris aliquid de parthenio posteritatis memorie prodiderunt. quorum opinio non omnino reprobanda uidetur. Ceterum licet Dioscorides Sampsuchini, & Amaracini diuersis per se capitibus meminerit; non obstat propterea, quod minus idem esse possint sampsuchium, & Amaracum. Siquidem duabus de causis ut alterum ab altero distingueret, Dioscorides facile impulsus fuit. quarum altera est, quod si diligenter animaduertantur utrorumque compositio- nes, utiq; Amaracinum tum multo odoratius, tum Sampsuchino pretiosius iudicabitur. Ideoq; auctor, eo quod nole- bat unguentum hoc apprimè nobile intactum relinquere, quodq; ob eius claritatem id particulari descriptione dignum censebat, ut præstantiæ discrimen faceret, utq; etiam minus probatum à probatissimo dignosceretur, homonymiam
 10 immutauit, ipsumq; non quidem Sampsuchinum, sed Amaracinum appellare uoluit: nam si id non fecisset, quòdnam al- tero præstantius esset, discerni non potuisset. Huc accedit aliaratio, qua alterum Sampsuchinum, alterum uerò Ama- racinum Dioscorides appellauerit: quod (ut libro tertio proprio capite legitur) in Cyzico sampsuchium amaracum ap- pellabatur, unde hoc unguentum insigne petitur. Et quoniam à Cyzicenis claris illius compositoribus ex eorum more Amaracinum uocabatur, talem nomenclaturam Dioscorides haud quaquam permutandam censuit. Quare ipsum in eadem reliquit appellatione, quam secum ex Cyzico tulerat.

Opinio quo-
rundam.

Ὠκίμινον.

OCIMINVM.

CAP. XLVIII.

OCIMINVM oleum fit ut cyprinum. Ocimi folia decerpta librarum undecim, & besis pondo, die noctuque viginti olei libris macerato, premito, colato: cum que exhauseris quallum, rursus parè
 20 olei modum fundito, & exprimito. Vocatur autem id secundarium: nam tertiæ perfusionis non est capax. Deinde recens ocimum æquali pondere, ut in rosaceo diximus, rursus maceratur, & cum tan- to temporis spatio maduerit, exprimitur, & oleum reconditur. quod si in animo fuerit ter, aut qua- ter madefacere, semper ocimum recens addes. Potest ex omphacino confici: sed illo modo melius. Idem quod sampsuchinum potest, sed inefficacius.

Ἀβροτόνον.

ABROTONINVM.

CAP. XLIX.

OLEI cyprini odoribus imbuti libris nouem & quincunce, foliorum abrotoni libras octo die noctuque madefactas, premito. Quod si in longum tempus oleum uelis asseruari, eiectis prioribus fo-
 30 lijs, noua appones, & macerata exprimes. Calfacit: ad vuluæ duritias, præclusionesque efficax est: menstrua, & secundas pellit.

Ἄνηθον.

ANETHINVM.

CAP. L.

OLEI libris octo & dodrante, florum anethi libras undecim & bessem, maceratas in oleo die una, manibus premito, & recondito. Quod si iterum perfundere uelis, recentes anethi flores confi- militer madefacito. Vuluarum duritias emollit, uenarum spiracula laxat, contra horrores fe- brium circuitu redeuntes auxiliatur: calfacit enim, & lassitudines discutit: prodest articulorum do- loribus.

Σύσινον.

SYSINVM.

CAP. LI.

50 SYSINVM, quod alij liliinum appellant, sic temperatur. Olei libræ nouem cum quincunce, calami libræ quinque & quadrans, myrrhæ uncia quinque, permisto odorifero uino decoquun- tur, & colato oleo, cardamomi tusi & cælesti aqua madefacti libræ tres & semis macerantur, præ- munturque, tres libræ cum semisse spissati olei assumuntur. mille lilia decerptis folijs, in latum, non tamen profundum, labellum demittuntur: injectum oleum manibus melle perunctis agita- tur: die noctuque conquiescunt, & in pyxidem matutinis exprimuntur. quod defluet oleum, pro- tinus ab aqua, quæ simul expressa fuerat, colo incerni oportet: non enim, ut rosaceum moram to- lerat; nam concalfactum feruet, & computrescit: quare sæpius decapulandum. Vasa melle illinen- da, tenuis sal inspargendus, & si qua sordes uasis faucibus hæsit, eximenda. Odoramentis iam ex-
 50 pressis ex quafillo in labellum transfusis, rursus olei prius odoribus imbuendi, quod primum pondus æquet, & cardamomi tusi drachmæ decem conijciuntur. Hæc manibus scitè pressa, in- teriecta breui mora exprimuntur: quod profluit, repurgatur. Tertio eadem infunduntur, adiecto cardamomo, & sale, & manibus melle madefactis. Longè optimum erit, quod prius exprimitur: se- cundum, quod sequitur: tertium locum sibi uendicat, quod nouissimum prodit. Denuo in mille li- lia euulsis folijs expressum primò oleum infunditur: tum eadem ratione prosequendum, idemque faciendum, ut prius: addito cardamomo, dein expresso, fac eadem in secundo, & tertio, ut dictum est: & quò frequentius recentia lilia maceraueris, eò ualidius unguentum efficies. Denique cum fa- ctum abunde uidebitur, singulis compositionibus miscere conuenit myrrhæ quàm optimæ duas & septuaginta drachmas, & croci decem, cardamomi quinque & septuaginta. Croci uerò, & cinna- momi pares portiones tunduntur, & cribratæ in lutram cum aqua demittuntur, expressumque pri- mò unguentum infunditur, & paulò post excipiuntur uasculis siccis, myrrha, aut gummi antea per-
 fufus,

fufis, & croco, & melle, & aqua madefactis. Eadem fiunt in altera, aut tertia exprefione. Aliqui fimplex ex balanino, alióve oleo, & lilijs componunt. Optimum effe conftat in Phœnice, mox Aegypto factum. fed cum primis laudatur, quod lilia redolet. Excalfacit, emollit: uulvæ præclufiones, & collectiones aperit: utiliffimum ad muliebria mala. ulcera in capite manantia, feruidas eruptiones, uaros, furfuresque emendat: uibices, cicatricesque celerrimè ad colorem reducit, ita ut sæpe fallant. In fuma extenuat: potum bilem per aluum extrahit, urinam ciet: fed ftomacho alienum eft, & naufeam parit.

Hoc, quod ex lilijs temperatur: illud item, quod ex ocimo, abrotano, anethoq; conficitur oleum, cum uniuscuiusque parandi ratio per fe clara fit, ideo noftris explanationibus non indigent. Cæterum Sufini compositio mihi quidem pluribus in locis librariorum potius, quam auctoris incuria deprata uidetur.

Ναρκισσινον.

NARCISSINVM.

CAP. LII.

NARCISSINI fiffamenta ita fiunt. Sex libræ afpalathi cum sextante tunduntur: olei eloti libræ feptuaginta cum uncijs quinque affumuntur. Afpalathus aqua madefactus in tertia olei parte coquitur: quo exempto, calamus quinque libris & beffe adjicitur, cum myrrhæ gleba contunditur, cribrataque ac uino ueteri odorato immifta, decoquitur: fimulac autem cum ijs efferbuerit, eximitur. refrigeratum oleum excolatur, cuius portio in labellum mittitur, flores narciffi quàm plurimi conijciuntur, qui bidui fpatio (ut in fufino dictum eft) permoti exprimuntur. Oleum fubinde decapulan-
20 dum: fi quidem celerrimè putredinem fenfit. Valet hoc ad emolliendas uulvæ duritias, præclufionesque: fed capitis dolores facit.

NARCISSINVM, quod ego fciam, non paratur noftratibus myropolis. quod mirum non eft, cum id etiam Plinij ætate parari defiffet, ut ipfe libro XIII. cap. primo memoria prodidit.

Κρόκινον.

CROCINVM.

CAP. LIII.

CVM Crocinum componere uoles, prius olei, ut in fufino diximus, fiffamenta facies, eisdè ponderibus, & menfuris: cuius olei libras tres & femiffem, croci unciam unam affumes: identidem quoti-
30 die moueto, & fexta die, quàm hoc afsiduò peregeris, oleum à croco colis incernito, eidem croco partem olei modum adjicito: moue triduo, dein contufæ myrrhæ, atque cribratæ drachmas quadraginta permifceto, & in pila agitatum recondito. Aliqui oleo aromatibus ad cyprinum imbuto in crocini compositiõne utuntur. Optimum eft, quod abunde crocum fpirat, in medendi ufu expetitur. Proximum quod myrrham refert. Calfacit, fomnum allicit: quare per fæpe phreniticis fubuenit perfufum, aut naribus admotum, aut illitum: pus mouet, ulcera purgat: contra uulvæ duritias, atque præclufiones, & ulcera, quæ cacoëthe uocantur, prodeft cum croco, cera, medulla, duplicato olei pondere: concoquit enim, emollit, humectat, & permulcet. ad oculorum glaucitates ex aqua illinitur. huic autem proportione respondent butyrium, onychinum, & ftyracinum: quæ etfi nominibus diftant, uiribus, & compositiõne cognata funt.

Κύπρινον.

CYPRINVM.

CAP. LIIII.

OLEI omphacini eloti pars una, aquæ cœleftis tantundem cum femiffe, cuius una parte oleum diluitur, altera adjiciendis odoramētis admifcetur. Dein affumptis afpalathi libris quinque & femiffe, calami libris fex & femiffæ, myrrhæ libra una, cardamomi libris tribus & dodrante, olei libris nouem & uncijs quinque, afpalathus tuffis, & aqua affufus decoquitur in oleo, donec conferuefcit: myrrha autem uino ueteri odorifero fubacta, contufusque fimul calamus, digeruntur in offulas, quæ exempto afpalatho immittuntur, & ubi efferbuerint, fublato aheno oleum percolatur. Cardamomum tuffum reliqua aqua afperfum infunditur, fpatha agitur, nulla, dum refrixerit, interpellatione. Post hæc colato oleo in uiginti octo libras olei, floris ligultri, quod cyprum uocant, fex & qua-
50 draginta libræ cum beffe infillantur, quæ fufficienter madefactæ per sportulam exprimuntur. Quod fi copiofius defideretur. idem recentium florum pondus iniectum fimili modo prematur: & iterum aut tertio, fi quis uelit, madefacere poterit, & ita reddetur efficacius. Eligi oportet bonum, quod cum odoris fua uitate nares feriat. Aliqui cinnamomum addunt. Calfacit, emollit: ora uenarum adaperit: uulvæ, neruorumque uitijs conuenit, pleuriticis, fractisque, per fe, uel cerato immiftum. malagmaticis imponi folet, quæ opifthotonicis, angina laborantibus, inflammationique inguinum optulantur: item in acopa adjicitur.

Ίριον.

IRINVM.

CAP. LV.

SPATHÆ quàm minutiffimè cõtufæ fex libras cum beffe, in tribus & feptuaginta libris & quin-
cunce olei, æreo uafe, additis decem aquæ heminis incoquito, quoad odorem acceperit: poft ea in capulam melle oblitam colato: ex eo aromatibus imbuto oleo, irinum primò temperatur, iride ex oleo
in fiffato,

inspissato macerata, ut scripsimus. Sed alia est componendi ratio. In olei septuaginta libris & quin-
cunce, xylobalsami (ut dictum est) contusi libras quinque & sextantem excoquito: postea detracto
xylobalsamo, tusi odorati calami nouem libras & sextantem adijcito, & myrrhæ glebam uetere ui-
no odorato perfusam, & in olei ita odoribus imbuti quatuordecim libris, totidem rusæ iridis, binis
diebus ac noctibus madefacito, strenuè, & uehementer distringito. Quòd si uis ualidius fieri, par
pondus iterum ac tertio similiter maceratum exprimito. Longè optimum est, quod solam irin olet,
quale illud est, quod in Perga Pamphiliæ, & Elide Achaiæ componitur. Vim habet calfactoriam,
atque emollientem: crustas adimit, fordida ulcera & putrida purgat. confert fœminis vuluæ causa-
rijs: item inflammationibus eiusdem, atque præclusionibus: partus eijcit, hæmorrhoidas recludit:
20 contra aurium sonitus ex aceto, ruta, & amaris amygdalis, prodest. diuturnis destillationibus, nari-
bus illitum, & contra graucolentia carum ulcera, quas ozænas uocant, auxiliatur: aluum purgat cy-
athus epotus: facit ad ilei cruciatus, urinam mouet: difficiles uomitiones adiuuat, perunctis eo digi-
tis & immisis, uel ijs, quæ ad uomitum ciendum induntur: angina etiam illinitur, aut ex aqua mul-
sa gargarizatur: item contra arteriæ scabritiam. datur etiam ijs, qui cicutam, coriandrum, aut uene-
na fungorum hauserunt.

QUANQVAM Irini præparatio (est enim per se clara satis) non magis, quàm Crocini, & Ligustrini ex-
planari exposulat: illud tamen silentio minime prætereundum uidetur, quòd non Iridis flores, sed radices, cum hæ-
odore fragrent, illi uerò malè oleant, in hoc olei spissamento imponi debent. Quòd etsi Dioscorides non expli-
cauerit; cum tamen unguenta odorum iucunditate commendentur, de Iridis radice, non de floribus intellexisse
Dioscoridem existimandum. Quippe quæ & sua uiter oleant, & ad unguentorum spissamenta floribus præstan-
tiores habeantur.

Irini confide-
ratio.

ΓΛΕΥΚΙΝΟΝ. GLEVCINVM.

CAP. LVI.

GLEVCINVM absolutè constat omphacino oleo, iunco odorato, calamo, Celtica nardo, spatha, aspa-
latho, sertula Campana, costo, & multo: circumdatis interim uinaceis uasi, quod aromata, uinum, & o-
leum conceperat. Tricenis diebus, bis in die mouetur, postea expressum oleum reconditur. Calfa-
cit, emollit, remittit: horroribus, & neruorum, vuluæque uitijs auxiliatur. omni acopo iuuantius,
quippe quòd emolliat.

MINIME quidem mirari licet, quòd Gleucini parandi rationem simplicem appellauerit Dioscorides. Siqui-
dem aliæ habentur unguentorum compositiones, quæ multo pluribus simplicibus constant odoramentis, sicuti Colu-
mella lib. XIII. capite L. aperte indicat. Ceterum non potest Gleucinum (si rectè admista simplicia consideren-
tur) non uehementer excalfacere: tametsi Plinius lib. XXIII. cap. VIII. id tum adstringere, tum refrigerare scri-
pserit. Quòd è uident argumentum est, aut Plinij gleucinum, siue musteum, ab hoc Dioscoridis, & Columelle diuer-
sum esse, aut Plinium non exactè illius temperamentum perpendisse. Verum cum is lib. XV. cap. VII. scribat, gleuci-
no mustum incoqui in uapore lento, non ut alia admoto igne, sed circumdatis uinaceis per se calentibus; uidetur non
parum cum Dioscoride conuenire. Quamobrem crediderim potius Plinium, cum dixit gleucinum refrigerare, lap-
sum fuisse, quàm secus. Nam etsi oleum omphacinum, cum quo musteum conficitur, tantum (ut Galenus inquit) frigi-
ditatis, quantum adstrictionis habeat: cum tamen sit aliarum qualitatum susceptiuum, fieri quidem non potest, quin
40 admistis calidis odoramentis, puta cypero, calamo odorato, Celtica nardo, dactylorum operimento, aspalatho, melilo-
to, & costo, ualde calidum euadat. Quippe eadem ratione aqua, cion frigida admodum sit, temperamentum permutat
(ut Galenus asseruit, & experimento comprobatur) cum calida in ea macerantur medicamenta: quandoquidem
& ipsa facillè alias recipit qualitates.

Gleucini com-
sideratio.

Plinij lapsus.

Αμαράκινον. AMARACINVM.

CAP. LVII.

AMARACINVM longè optimum in Cyzico fieri solet ex omphacino oleo, & balanino: spissamen-
tis è xylobalsamo, iunco odorato, & calamo factis: conditisque amaraci, costi, amomi, nardi, cassiæ,
carpobalsami, & myrrhæ odoribus. aliqui, quòd pretiosius fiat, cinnamomum addunt. Mel autem, &
uinum assumuntur: hoc in uasorum illitionem, illud ad cogendas uisorum aromatum offas. A-
maracinum calfacit, soporem mouet, venarum spiracula aperit, emollit, feruorem excitat, urinam citò
putrilaginibus, ac fistulis perquàm utile: necnon humentibus hernijs, postquàm medica manus ope-
ram suam impenderit: crustas, & tetra ulcera, quæ theriomata uocant, rumpit: difficili urina illita se-
de, & eius inflammationibus auxiliatur: hæmorrhoidas illitu soluit: vuluæ subditum menstruos cur-
fus euocat: duritias, ac vuluæ tumores discutit: uulneratis neruis, & musculis confert, lanceo centun-
culo modicè madefactum, & impositum.

SUPERIUS in sampsuchini commentario abunde de Amaracino à nobis dictum est, Quo fit, ut hic de eo plu-
ra scribere non sit opus. Huius meminit Galenus libro primo de antidotis, dum berycroum explicat, quod theriacæ
admiscetur, ubi diffusius de eo agens scribit, quòd sui temporis unguentarij amaraci loco, ex quo in Cyzico antiquitus
parabatur, marum imponebant, ut maiorem expiraret odorem. Ceterum se iussisse ait, ut legitimum experiretur ama-
racinum,

Amaracini
consideratio.

racinum, id sibi ex solo amaraco preparari, quod etsi odoris fragrantia uideretur inferius, non tamen uiribus imbecillius fuisse testatur.

Μεγαλίον. MEGALINVM.

CAP. LVIII.

FACTITABATUR olim Megalinum, sed nunc compositio exoleuit, & prorsus oblitterata est. Cuius ad historię complementum meminisse non fuit alienum. Mistura cum amaracino eadem erat, sed resina exuperabat, hac tantum ratione differens. Quare leuiter emollit. Resina unguentis, neque tutelae, neque uoluptatis gratia adijcitur, sed coloris, crassamenti que causa. Ea tantisper coquitur, dum desinat olere: cuius coquendae ratio declarabitur, cum de resina disseremus.

Ἡδύχρον. HEDYCHROVM.

CAP. LIX.

QVOD Hedychroon uocant, in Co fieri solet: eisdem praeditum uiribus, & misturis, quibus amaracinum, sed suauius spirat.

Hedychroi compositio ex Galeno.

HEDYCHROI compositionis meminit Galenus libro primo de antidotis, cum omnia, quae continet, odoramenta uino sabacta Andromachi theriaca recipiat. Ceterum etsi hedychroi parandi rationes plures dicat reperiri, unam tamen elegit, quam hoc modo descripsit. Hedychroon habet mari drachmas duas: asari, amaraci, assalathi, schoeni, calami odorati, phu pontici totidem: xylobalsami uero, & opobalsami, cinnamomi, costi, singulorum drachmas tres: myrrhae drachmas sex, totidem folij malabathrini, nardi Indicae, croci, casiae: duplo autem plus anomi, aduectae uero ex Chio abundante plurimis fontibus insula mastiches drachmam unam: uino salerno omnia excipe. Cum igitur haec miscueris, fac trochiscos similes theriacis, et scillinis, quos exiccabis eo modo, quo diximus. Productus fuit Galenus, ut hunc parandi modum describeret, tum quod Andromachus hedychroon (ut inquit) nullibi literis mandauerit: tum etiam ut rei medicae imperitos doceret, quidnam esset hedychroon in theriaca preparatione, ne in eum errorem caderent, in quem sua aetate medicum quendam Romae lapsum fuisse commemorat: qui compositurus antidotum, quae rebat apud myropolas Hedychroon, existimans esse herbam, aut radicem, aut quodpiam simplex medicamentum: id quod etiam hac nostra tempestate quam plurimis euenisse comperimus. Auicenna, & ceteri Arabicae familiae scriptores in sua theriaca compositione hedychroon trochiscos Alindaracaron appellauerunt: tradentes uarias eorum compositiones, in simplicibus medicamentis, pondere, & mensuris a Galeni doctrina plurimum differentes. Quare mirari non licet, si iandiu legitima Theriaca compositio infeliciter successerit: cum & ab Arabibus, & a myropolis, adulterinis medicamentis fuerit deprauata.

Theriaca deprauatio.

Μετώπιον. METOPIVM.

CAP. LX.

FIT in Aegypto unguentum, quod Metopion patrio nomine appellatur, propter galbani mistionem: nam lignum, in quo galbanum enascitur, metopion uocant. Constat amygdalis amaris, omphacino oleo, cardamomo, odorato iunco, calamo, melle, uino, myrrha, balsami semine, galbano, & resina. Probatur pingue, graui odore, quod magis cardamomum, & myrrham, quam galbanum respiciat. Calfacit uehementer, & adurit, atque extrahit: ora uenarum aperit: ulcera purgat, extrahitque: ad praeciosos neruos, & musculos, ad hernias humore contractas, cum erodentibus medicamentis efficax est. ceratis, & malagmatis inferitur: horroribus, conuulsisque, praesertim quibus ceruix in scapulas deiecta, & retrorsum contracta est, utile habetur: sudores ciēt, uuluae spiracula recludit, & eiusdem duritias laxat. In summa molliendi naturam habet.

Μένδισιον. MENDESIVM.

CAP. LXI.

MENDESIVM constat balanino oleo, myrrha, casia, & resina. Aliqui tamen post singulorum pondera, cinnamomi exiguum addunt, nullo compendio: nam quae simul excocta non fuere, vim nullam exhibent: Similem metopio uim obtinet, sed inferiorem multo.

Στάκτη. STACTE.

CAP. LXII.

STACTE uocatur pinguitudo recentis myrrhae cum exigua aqua tusae, & organo expressae. Ea perquam odorata, ac pretiosa est, atque unguentum per se facit, quod Stacte nominatur. Maximè probatur, quae nullam olei mistionem admittit, cuius minima portio compos est uirium plurimarum. Vim calfactoriam, myrrhae, & calidis unguentis respondentem habet.

Stactes consideratio.

Styrax liquidus.

Medicam. peregrina cur adulterentur.

STACTE Serapioni, quemadmodum & reliquis Mauritanis, pariterque officinis Styrax liquidus appellatur, cuius copia non solum Venetijs ubique uenalis habetur, sed & in omnibus fere officinis reperitur, quae medicamentorum componendorum artem exercent. Quod autem Stacte myrrhae sit liquidus uocatus Styrax, facile probat Serapio. quippe qui capite de Styrace calamita, liquidum styracem ex myrrha primum aqua conspersa, ac deinde expressa, fieri tradidit: qua in re Dioscoridem ad unguem imitatur. Cui quidem sententiae illud adstipulatur, quod liquidus Styrax (de legitimo sane loquor) sit perquam odoratus, & gustui non obscurè amarus. Porro animaduertendum est, quod hoc aeno sincerum haud facile inuenias, ut ferme euenit cum ceteris medicamentis, quae ex Alexandria Aegypti, uel Syria

Syria ad nos conuehantur. Siquidem cum omnia hæc per Mauritanorum, Turcarum, Iudeorumq; manus tranſeant, qui nobis Chriſticolis ſemper dolos, fraudesq; moliuntur, Dijs ſacrificium facere ſibi perſuadent, cum nos aliqua in re fallere poſſunt. Caterum, ut redeam, unde diuerteram, mea quidem fert opinio, ſi ſynceram ſtacten nanciſci poſſemus, non alienum fore, ipſam in myrrhæ locum ſubſtituere. Sed certe perquam difficile erit legitimam inueniri, niſi forte uera ſtacte ſit liquor ille, de quo ſuperius in baſſani commentatione diximus.

Κινναμόμινον.

CINNAMOMINVM.

CAP. LXIII.

CINNAMOMINVM conſit è balanino oleo: & xylobalſami, calami, iunci odorati ſpiſſamētis: atq; cinnamomi, & feminis baſſamini ſuauiſſitate conditur, quadruplaque myrrhæ ad cinnamomum portione: mel ad cogenda omnia adijcitur. Laudatur non acre, molli odore, planè myrrham redolens, craſſum, odoratum, guſtu perquam amaro. Id non à reſina, ſed myrrha craſſitudinem obtinuit: reſina enim neque amaritudinem præbet, neque ullam odoris gratiam adijcit. Vim habet admodum acrem, amaram, & caſſificientem. Itaque ora uenarum aperit, caſſificat, diſcutit, diſſundit: humores & ſpiritus attrahit, caput aggrauat: contra vuluæ pitia cum duplo oleo, cera, & medulla efficaciſſima eſt. Ita enim ferè multum acrimoniæ exoleſcit, & quædam emolliendi uis contrahitur: alioqui adurit, & præ omnibus craſſis unguentis indurat. Facit mirum in modum ad fiſtulas, & ulcera, quæ putredinis uitium ſenſerunt: item ad hernias humidiores, carbunculos, gangrænaſque cum cardamomo: quin & ad februm horrores, & tremores: aduerſus ſerpentium morſus illinitur: ſcorpionum, & phalangiorum ictibus, cum tritis groſſis imponitur.

Νάρδιον.

NARDINVM.

CAP. LXIIII.

RATIO Nardini faciendi euariat. Nam aut malabathrino folio, aut ſine eo fit: plerunque autem balanino oleo, aut omphacino. Iuncus odoratus ſpiſſamēti gratia adijcitur: ſicuti propter odoris ſuauiſſitatem, coſtus, amomum, nardum, myrrha, baſſamum. Laudatur tenue, non acre, nardi aridæ, aut amomi odorem referens. Viſi ei extenuans, acris: expurgat, caſſificat, abſterget humores, rarefacit. Hoc liquidum eſt, nec habet ſtrigmenti craſſitudinem, niſi reſinam recipiat. Fit etiam ſimplex ex omphacino oleo, iunco, calamo, coſto, & nardo.

Μαλαβάρινον.

MALABATRINVM.

CAP. LXV.

MALABATHRINVM ſpiſſamenta nardini habet: inſuper myrrhæ pluſculum additur. Qua de cauſa caſſificat, crocino, aut amaracino uiribus reſpondens.

Ίασμινον.

IASMINVM.

CAP. LVI.

APVD Perſas fit, quod Iaſminum cognominatur, ex albis floribus uiolæ: quorum ſextans in Italiæ ſextarium ſeſamini olei demittitur, uiolis, ut in lilino diximus, viciffim permutatis. Apud Perſas inter epulandum uſurpatur odoris cauſa. Quinetiam toti corpori conuenit: præſertim cum in balneas deſcenſum eſt. Sed his opitulatur corporibus, quæ caſſificationem, laxationemque deſiderant. grauius tamen ſpirat, quam ut libenter à plerifque recipiatur.

IASMINVM unguentum non eo quidem ſilentio prætereundum duximus, quo aliqua in præcedentibus à nobis omiſſa ſunt: in illis enim nihil ſanè, in hoc uero aliquid nobis ſe ſe offerre declarandum. Itaque primò ſcire conuenit, quòd Iaſme uocabulū apud Græcos, aliorum etiā teſtimonio, niſi aliud ſignificat, quam uiolaceum. Et certe cum ſcribat Dioſcorides, unguentum hoc fieri εκ τῶν ἀλῶν τῶν λευκῶν τῆς ἰου, hoc eſt uerbum uerbo reddendo, ex floribus albis uiolæ, id uiolaceum merito appellari debet. Sunt tamen è recentioribus, qui pro certo ſibi perſuadeant, uocabulum forte ſiſſe uicinitate decepti, illud ex floribus iſis perquam odoratis fieri, quos in Italia Geſſomini uulgo appellamus.

Quorum opinioni non parum ſuffragantur tum Hermolaus Barbarus, tum Marcellus Florentinus. Qui præcipue, ut ſuam comprobent ſententiam, ueteres aſſerit, præſertimq; Dioſcoridem, inter leucoij genera noſtratæ geſſiminum comprehendiffe, illudq; ſpeciatiim geſſiminum intellexiffe, quod floribus cæruleis prouenire nonnulli pro certo aſſerunt. Cuius ſententiam non modo non probandam cenſeo, ſed omnino reſellendam exiſtimo. ſiquidem nullo pacto cogitandum eſt, nedum credendum, quòd Dioſcorides, qui in ſimplicium hiſtoria, & in eorū declarandis ſeparandisq; generibus, omnium diligentiffimus fuit, adeò imprudenter nullo diſcrimine exiſtimauerit cæruleum leucoium geſſiminum eſſe: eum id folijs, uiticuloſo caule, radicibus, ramis, floribus, cæteriſq; notis ab omni leucoio diſſideat. Sed hoc uerum eſſe Marcello concedamus, eſſi minus concedendum ſit, quānam ratione dicet unquam, Iaſminum unguentū fieri ex floribus geſſimini, quòd cæruleum Dioſcorides leucoium eſſe aſſerit, ſi Dioſcorides ipſe palam prodit, Iaſminum ex albis uiolis temperari? Ad hæc diſſerre geſſiminum à leucoio abunde oſtendit Serapio, qui non modo ſuit Dioſcoridis imitator, ſed etiam interpres, cum alterum ab altero diuerſis capitibus diſtinxerit, & de utriſq; tanquam de rebus diuerſis diſſeruerit. Quinimo de geſſimino agens capite centeſimo ſeptuageſimo ſexto nullam Dioſcoridis, nec Galeni auctoritatem aſſert, ſed tantum ſuæ gentis monumentis inheret, aſſertq; geſſiminum floribus tum albis, tum luteis, tum cæruleis reperiri, quale etiam ætate noſtra uſitur. Quod nobis maximo argumento eſſe poteſt, ut cre-

Iaſmini conſideratio.

Hermolai, & Marcelli opinio improba-
ta.

GELSIMINVM.

Iesemin vnde
dictum.Iesemini ui-
res ex Serap.Ioānis de Vi-
go lapsus.

danus gelsiminum Dioscoridi ceterisque ueteribus incognitum fuisse. Ceterum cur Arabes stirpem hanc IESEMIN appellauerint, causa facile assignari potest: quod cum gelsimini flores odoratos, albi, anteaque; albae uiole modo conficerent, Græcos barbarice imitari uolentes, ipsi uiole nomen indidere, quod est Iesemin: tamen si uernacula eorum lingua Zambach, siue Sambach uocitetur. Id autem sicut odore fragrat, ita & uiribus pollet: si quidem Serapionis testimonio, exalfacit ordine secundo, humores discutit, pituita lentitia senibus frigidis digerit, cruciatibusque; ex pituita lentore prouenientibus mirifice prodest. Flores tan recentis, quam sicci, lentigines, & impetigines in facie abstergit. Paratur ex ijs etiam oleum Zambachinum appellatum, quod frigidis affectibus non obscurum affert auxilium. Hoc unguentarij cum amygdalino oleo parant, hominum barbis odoris gratia perfundendum: quod tamen temperie calidis caput adeo exalfacit, ut quandoque e naribus sanguinem eliciat. Hallucinantur, qui falsi uocabuli similitudine Sambachinum, & Sambucinum idem esse existimant. Inter quos errore implicatur Ioannes de Vigo chirurgicus nostri temporis non obscurus capite de Sambuco in suo paruo de simplicium libello. Non diu est, quod Ieseminum, siue (ut nos) Gelsiminum in Italiam allatum est: quantum nunc ubique horti opere topiario tum albis, tum luteis, tum etiam cæruleis gelsiminis orientur.

Σμύρα. MYRRHA. CAP. LXVII.

MYRRHA lacryma est arboris, quæ in Arabia gignitur, Aegyptiæ spinæ nõ dissimilis: è cuius uulnere defluit lacryma in subiectas tegetes: alia circum caudicè concrefcit. Dicitur ex his aliqua pedalisimos præpinguis, qua expressa, stacte emittitur. Alia gabirea pinguisima, lato & pingui solo nascens: ea copiosam sudat stactem. Omnium prima est, quæ Troglodytica appellatur, accepto cognomine à loco, in quo prouenit, splendens, subuiridis, ac mordens. Quinetiam legitur tenuis quædam, quæ à Troglodytica secunda est, bdellij modo mollis, uerum odore grauiuscula, apricis nascens. Alia caucalis cognominatur præter modum exoleta, nigra, & retorrída. Omnium deterrima, quæ ergasima dicitur, pingui carens, cano situ obducta, acris, ad gummi imaginem uergens, & uiribus eius proxima. Improbatur aminnea cognomine. Ex ijs pastilli fiunt, sed è pinguibus pingues, & odorati: è sicciorebus haudquaquam pingues, & inodorati. Minus odore pollet, quæ oleum non admisit, cum in pastillos digerebatur. Adulteratur macerato gummi aqua, in qua myrrha maduerit. Eligenda est recens, fragilis, leuis, undique concolor, quæ confracta uenas unguium modo candidas & læues ostendat, minutis glebis, amara, acris, odorata, calfaciens. superuacua, & inutilis est ponderosa, coloris picci. Calfacit, cohibet, soporem gignit, glutinat, siccit, astringit, uulnam emollit, & præclusam aperit: menses & partus celeriter extrahit cum absinthio, lupinorum pectorisque doloribus, in alui profluuiio, & dysenteria: horrores discutit duabus horis ante febrium accessiones fabæ magnitudine pota cum pipere, & aqua: subdita linguæ liquataque, scabritiem arteriæ expolit: obtusam uocè expedit, uentris tineas enecat, contra grauem oris halitum manditur, & aduersus alarum tædia cum liquido alumine illinitur: gingiuas, & dentes stabilit colluto cum uino, & oleo ore: uulnera capitis illitu glutinat: medetur fractis auribus, ac ossibus nudatis, peruncta cum cochleæ carnis: item purulentis auribus, inflammatisque cum meconio, castorio, & glaucio: ad uaros autem cum casia, & melle illinitur: impetigines ex aceto purgat: defluentes capillos cum ladano, & uino myrteo illita, firmat: diurnas destillationes lenit, & illitis penna naribus: oculorum ulcera complet, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiem læuigat. Fit è myrrha, perinde atque thure, fuligo: & ut postea ostendemus, ad eadem conueniens. Bæotica myrrha dissecta radix est arboris cuiusdam in Bæotia nascentis. Melior est, quæ myrrham odoris suauitate repræsentat. Vis ei calfactoria inest, emollit, discutitque: suffimentis commodissime inferitur.

Myrrhæ con-
sideratio.

MYRRHA, quæ ex Alexandria Aegypti hac ætate ad nos affertur, admodum sanè ab ea differt, quam inter præstantissimas Myrrhæ species recensuit Dioscorides. Quippe uniuersa serè myrrha, quæ in officinarum usu habetur, ijs omnibus qualitatibus, ac notis destituitur, quibus optima commendatur. Namque ea (ut uidere est) minime uirescit, pinguis non est, non odorata, non undique concolor, nec confracta uenas unguium figura læues intus ostendit, nec sapore

sapore acri deprehenditur; tametsi gustui amaritudinem relinquat. Verum si fortasse cupiam uideretur et hæc inter Myrrhæ species esse recipienda (quod tamen non satis cõpertum habeo) aut caucalim, aut ergasimam, esse crediderim, aut potius quam Plinius ex India deferri ait, cum hæc cæteris deteriores habeantur, certoq; sciamus ex India in Alexandriam myrrham importari. Nam ea, quæ plurima ad nos affertur, non modo sicca, nigraq; est, sed etiam retorrída, matilenta, & cano quodam situ obducta: & quanquam inter huiuscemodi globulos aliquod quandoq; reperitur frágmetum, quod & clarum sit, & pellucens; confractum tamen diuersicolor apparet. Ecquid magis & nec gustui insigniter amarum, nec myrrhæ odore præditum sentitur. Quo fit, ut credere liceat, eiusmodi Myrrham aut è deterioribus esse, aut gummi alicuius, aliarumq; mistionum adulterio minime uacare: hæc enim impostura (ut Dioscorides inquit) myrrha adulterari solet. Sed hæc ita de illa conijcimus, quæ passim uulgaris habetur. Ceteram electam Myrrham iam ad nos aduehi scimus, quæ & legitima, & probatissima esse censetur. Verum ea hæcenus tam rara est, ut non nisi ad ostentationem afferretur, & ad aliarum dignoscendarum regulam. Adulterabatur myrrha Galeni tempore opocalpaso, quæ calpasi lethalis, uenenosaq; est lacryma. Idcirco libro primo de antidotis. Opocalpasium (inquit) exitiale est, multosq; nos sorte quadam uidimus nostræ ætatis decursu mori, quod inscij myrrham, cui opocalpasium admixtum erat, assumpsissent. De industria nanq; nonnulli eorum, qui ipsam præparant, ut laudatissimam imponebant, eo quod uiderent collyrijs inditam optimum esse medicamentum. Quippe quæ pus citra mordicationem discutiatur, & interdum incipientem oculorum suffusionem substantia tenuem: siue autem in emplastrum, siue in ceratum, siue in aliquod digerens medicamentum, quod extrinsecus imponitur, huiuscemodi myrrham iniicias, uim ipsius augebis: at intra corpus assumptum lethale est medicamentum. Hæc igitur susus dicta sunt, tum quod orationis series ita expostularet, tum etiam quia hæc speculari non est inutile. hæcenus Galenus. Adhibenda itaq; diligentia est, ne & nos Myrrham quandoq; opocalpaso adulteratam emamus. Ad hæc Brasauolo Ferrariensi animus inclinare uidetur, ut existimet Myrrham officinis uulgarem bdellium esse. Cui haud quaquam assentiendum putauerim: siquidem myrrha hæc pellucens adeo non est, nec taurino glutino similis, ut bdellium esse tradidit Dioscorides. Et licet quædam nostratis myrrhæ frustra quandoq; translucida reperiantur; sunt tamen potius hæc (ut dictum est) gummi adulteria, quam myrrha, uel bdellium: nempe gustu maleficium detegitur. Præterea bdellium incensum (Dioscoridis testimonio) odorem unguibus odoratis similem spirat, quod in nostrate myrrha nunquam, factio periculo, sum consecutus. Huic etiam alia accedit ratio, quæ magis ac magis Brasauoli animam immutare poterit: quod scilicet bdellium diu digitis ductum, tractatumq; facile lentescat, & confractum pingue spectetur: myrrha uerò, quæ officinis uenditur, digitorum attritu conteritur, & si frangatur perquam arida sese offert. Ceterum improbavit Dioscorides, omniumq; Myrrhæ specierum deterrimam iudicauit, quæ aliquibus minæa, alijs aminnea uocatur, quam cum Galenus probauerit libro primo de antidotis, omnibusq; Troglodyticis prætulit, factum est, ut existimauerint quidam, in hoc loco Dioscoridis codici mendam subesse. Sed eum in Dioscoride Græco legatur aminnea, & in Galeno minæa, ego potius crediderim, eos non idem myrrhæ genus intellexisse. Plinius lib. XII. cap. xv. myrrhæ arboris faciem diligenter expressit, his uerbis. Myrrham in iisdem syluis, ubi & thus, permixtam arborem nasci tradidere aliqui: plures separatim. Quippe multis in locis Arabiæ gignitur. Conuehitur & ex syluis laudata, petuntq; eam etiam à Troglodytis Sabæi transitu maris. Satiua quoque prouenit multum syluestri præelata. Gaudet rastris, & ablaqueationibus: melior radice refrigerata. Arbori altitudo ad quinque cubita, nec sine spina: caudice duro, & intorto, crassiore quam thuris, & ab radice etiam, quam aliqua sui parte: corticem leuem, similemque unedoni: scabrum alij spinosumq; dixere: folium oliuæ, uerum crispus, & aculeatum: iuba oliuæ satri. Aliqui similem iuniperi, scabriorem tantum, spinisq; horridam, folio rotundiore, sed sapore iuniperi. Necnon fuere qui è thuris arbore, utrunq; nasci mentirentur. Inciduntur bis & ipsæ thuris modo, iisdemq; temporibus, sed à radice usq; ad ramos, qui ualent: sudant autem sponte priusquam incidantur, staten dictam, cui nulla præfertur. Ab hac satiuæ, & in syluestri quoq; melior æstiuæ. Non dant ex myrrha portiones Deo, quoniam & apud alios nascitur. Et sequenti capite inquit. Adulteratur myrrha lentisci glebis, & gummi: item cucumeris succo amaritudinis causa, sicut ponderis argenti spuma. Reliqua uitia deprehenduntur sapore gummi dente lentescentis. Facillime autem adulteratur Indica myrrha, quæ ibi de quadam spina colligitur. Hoc solium peius India affert, facili distinctione, tanto deterior est. hæc Plinius. Quo fit, ut facile crediderim nostri usus myrrham Indicam esse. nanque per mare rubrum, & inde per carouanas (ut dicunt) Alexandriam importatur. Myrrhæ quoq; historiam non iniucundè scripsit Theophrastus lib. IX. cap. IIII. de plantarum historia, sic inquitens. Gignitur thus & myrrha regione Arabum media circa Saba, & Adramytta, et Citibæna, & Manali: & exeunt thuris, myrrhæq; arbores aliæ super montem, aliæ in pede montis culturis proprijs: quamobrem aliæ coluntur, aliæ uitam agunt incultæ. Montem istum præaltum affirmant, & ningi solitum: amnes quoq; de eo in plana fluere. Myrrhæ arborem thure altitudine minorem, fruticosoremq; narrant: caudice duro, contortoq; iuxta terram, crassioriq; sura hominis, cortice læui adrachnæ simili. Alij uerò, qui se uidisse affirmant, de magnitudine ferè consentiunt. Neutram earum arborum magnam referunt, & minorem myrrhæ humilioremq;. Sed thuris folium laurinum, læueq;: myrrhæ aculeatum, non læue, ulmeo simile: crispum tamen, extremò spina horridulum, ilignei modo. Iidem ea nauigatione, qua ex sinu heroum uehementer egressos sese aquam in monte quæsisse dixere, atq; ita uidisse has arbores, & lectionem notasse hoc modo ambarum: & caudices, et ramos incisos quidem, sed alios ueluti securi percussos uideri, alios tenuiores incisas habere: & lacrymam aliam decidere, aliam arbori inherere: nonnusquam etiam subiectas tegetes ex palmis contextas, alibi solum tantummodo circumpaumentatum. Montem autem uniuersum Sabæis diuisum dixere: hos enim loci illius dominos esse, iustitiæque mutua degere, quamobrem nullum suas arbores custodire: unde & thus, myrrhamq; sese largè ad naues solitudine deportasse narrant. Illud quoq; se audiuisse dixere, myrrhæ, thusq; collectum undiq; ad solis delubrum conuehi: quod Sabæorum esse sanctissimum inter omnia regionis illius, custodesq; Arabes armatos habere, quibus singulos suum thus aceruatam

Myrrha adulterata opocalpaso.

Brasauoli opinio improbat.

Myrrhæ historia ex Plinio.

Myrrhæ historia ex Theophrasto.

aceruatum, & myrrham eodem modo relinquere, posita super aceruum tabella, literis significante numerum mensura- riarum, & pretium, quod pro singulis mensuris ponendum sit. mercatores uero, qui uenerint, tabellas aduerte- re, cuiusq; quod placuerit, ista mensura pretium in eodem ponere loco, unde merces acceperint: sacerdotem deinde uenire, par- teq; tertia pretij Deo accepta, reliquum ibidem relinquere: idq; seruari tutissime dominis, donec acceptum uenerint.

Alij myrrhæ arborem terebintho similem reddidere, sed sic abriorem, spinosiorēq;: folium paulò rotundius, gusta- tu proximum terebintho: earum quoq; ueteres præstantiores haberi. Nasci uerò hanc, & thus in eodem loco terra subargilia, & sabulosa: & aquas fonte fluentes raras admodum comperiri. Hæc ergo illis repugnant, uidelicet nin- gi, & umbribus perlui, & annibus locum illum exhilarari. Sed hi quidem altera quoq; longè maiore ignorantia labo- rarunt: thus enim, & myrrham nasci ex eadem arbore putauerunt. Quamobrem uerisimilius ipsi narrarunt, quos ex heroum oppido profectos nauis retulimus. Myrrhæ aliud sit latitium, aliud fictitium constat. Probatior melior gu- 10

Myrrhæ ui- res ex Gal.

stu, eiusq; norma concolorem accipiunt. hæc tamen Theophrastus. Myrrhæ meminit Galenus lib. VII. simplicium medic. ubi ita scriptum reliquit. Myrrha secundi ordinis est tum excafacientium, tum desiccantium. Itaq; caput uulneribus illita glutinare ea potest. Inest & amaritas non pauca, per quam foetum, & lumbricos tum enecat, tum eijcit: adest hinc ei & abstergenti potentia. Sic igitur ocula eibus miscetur facultatibus, utiq; quæ ad ulcera, & cras- sas cicatrices præparantur. Eadem de causa indicit & medicamentis, quæ ad tussim ueterem, & asthma, siue anhelationem exhibentur: non tamen arteriam exasperat, sicut abstergentium nonnulla. Verum admodum moderatam obtinet absterfionem, ut nonnulli eam arteriacis quæ uocant medicamentis commisceant, tanquam sufficienter excafaciens, & desiccans medicamen: scilicet absterfionem proficiscientem ab amaritudine nihil uerentes. hæc Galenus. Porro ubi myrrha desit, Galenus in succidaneis (si tamen liber is Galeni est, nobis enim spurius censetur) odoratum calamii supplet: Constantinus uero amaras amygdalas eodem pondere. Sed equidem hic myropolas admonitos uelim, ut nul- 20

Myrrhæ suc- cidanea.

lo pacto eorum sequantur doctrinam, qui iubent, Auicenna auctoritate malè intellecta, myrrhæ loco piper nigrum supponere. Nanq; Auicenna hanc sententiam omnino refellit, cum utatur his uerbis. Pro myrrha substituendum pi- peris nigri dimidium aliqui perhibent: sed hoc falsum est. Postremo illud etiam notandum est, quòd (ut Galenus in- quit lib. II. de comp. medic. per genera) myrrha semper medicamentis est commiscenda, cum ab igne tolluntur: quip- pe quæ coqui minime patitur, ueluti etiam thus, & aloë. De Bœotica autem myrrha, quid dicam non habeo, quòd etate nostra sit (ut arbitror) omnibus incognita. Στυράξ sic Græcis dicta, Myrrha Latinis appellatur: Ler, Mur, seu Mor, Arabibus: Mirrha, Italis: Mirrhen, Germanis: Mira, Hispanis: Myrrhe, Gallis.

Bœotica myr- rha. Nomina.

† Exemplaria Græca typis expressa habent, διαχειρομένη τῆσφι τῶν μυρρωτῆσφι, id est, illita ale narium. Quæ uerba inunctionem ad partem nasi referre uidentur, non autem ad instrumētum, quo debeat fieri inunctio. Siqui- dem, teste etiam Galeno lib. X. de usu partium, πῆσφι seu πῆσφιον pars quædam nasi uocatur. 30

Στυράξ. STYRAX.

CAP. LXVIII.



STYRAX lacryma est arboris malo cotoneæ simi- lis. Præfertur pinguis, flauus, resinofus, albicantibus gru- mis, quàm plurimum in sua odoris gratia permanēs, qui dum mollitur, melleum liquorem reddit: qualis è Cata- balis, Pilsidia, & Cilicia deuehitur. Deterior niger, fur- furosus, friabilis, canoq; situ obductus. Cæterum lacry- ma inuenitur gummiū similitudine, perlucida, & myr- rhæ æmula: uerum per pauca manat. Adulteratur ligni 40 scobe, quam uermiculi erodentes excusserunt, melle, & iridis sedimento, & quibusdam alijs. Alij ceram, aut adipe- m odoribus imbutum, fragrantissimis foibus cum sty- race subigunt, & per laxa cribri foramina in frigida aqua ueluti uermiculos exprimunt, uanundantq;ue. Stryacem hunc, † quoniam in uermiculorum speciem cōtrahatur, scoleciten cognominant, quem tanquam syncerum im- periti approbant, non animaduertentes ad præcipuam o- doris fragrantiam: siquidem acer admodum est, qui adul- terationis uitio caret. Stryrax calfacit, emollit, & conco- quit: medetur tussi, destillationibus, raucedini, grauedi- ni, & interceptæ uoci: vuluæ præclusæ, duritiæque labo- ranti conuenit: cit menses potu, apposituq;ue: aluum le- uiter mollit, si exiguum cum resina terebinthina catapo- tij modo deuoretur. Miscetur utiliter discutientibus ma- lagmatis, acopisque. Adoletur autem, & igni torretur, ut fiat ex eo, ueluti ex thure, fuligo: ad eadem conue- niens, ad quæ thuris fuligo. Ex eo etiam in Syria styra- cinum oleum componitur, quod calfacit uehementer, & emollit: uerum caput dolore afficit, aggrauatq;ue, & soporem adfert. 50

STYRAX

STYRAX passim in Italia Storax calamita officinis appellatur, quod cognomen ex Galeno libro primo de antidotis acceptum crediderim. Namq; ipse de simplicibus medicamentis agens, quæ ad theriacæ compositionem faciunt, optimum iudicavit styracem, qui in calamis è Pamphylia ferebatur: unde calamitæ cognomen sibi facile uendicauit. Itaq; cum non alius habeatur styrax, qui sit hoc genere præstantior, in usu medentium est, ut dum pharmacopolis imperant fieri medicamenta, quæ styracem excipiunt, calamitæ cognomen adijciant, quo indicent, se primum dotibus intelligere. Nec illud quidem ab re: quandoquidem Galenus eodem loco memoriæ prodiderit, hoc styracis genus tantum præstare ceteris, quantum uinum salernum illud bonitate excellit, quod à cauponibus uenditur. Quo argumento fretus Manardus Ferrariensis existimauit, ubi in Dioscoridis codice legitur τοῖουτος ἐστὶν ὁ κατὰ βαλίτης, hoc est, talis est Catabalites, potius legendum esse, talis est calamites. Neq; probat lectionem mutandâ esse in Gabaliten, quæ admodum fecit Marcellus. Sed profecto hac in re (etsi Manardus fuerit uir summa doctrina præditus) mihi magis Marcelli sententia probanda uidetur. Quippe quæ Plinij testimonio comprobatur lib. XII. cap. XXV. ubi sic inquit. Styracem Syria Iudææ proxima supra Phœnicem gignit circa Gabala, & Marathunta, & Casium Seleuciæ montē. Atq; etiâ ei adstipulatur Orbasij codex manu scriptus, in quo lib. XII. legitur γαβαλίτης, & non κατὰ βαλίτης. Porro Fuchsius medicus nostræ ætatis clarissimus, in libro, quem de compositione medicamentorum secundo condidit, styracem calamiten liquidum fuisse censet, non alia (quantum equidem uideo) ratione fretus, quam quod in calamis aduheretur. Verum in hoc Fuchsius (pæce eius dixerim) à ueritate descecit. quandoquidem Dioscoridi styrax lacryma est arboris malo cotoneæ similis: cuius ille præstat ceteris, qui flauus est, resinofus, grumos habet albicantes, & dum molliuit, melleum liquorem reddit. Ex quibus facile constare arbitror, styracem non fuisse liquidum, sed in grumos concretum. Neq; certè mihi rationi consonum uidetur, ex eo quod Galeni tempore styrax in calamis uehebatur, inferre ipsum fuisse liquidum. Nam (ut mea fert opinio) non alia de causa qui styracis lacrymam colligebant, eam statim in calamis includebant, quam ut suauis eius odor conseruaretur. Id quod etiam cum dictamno faciebant ij (ut memoriæ prodidit Theophrastus lib. IX. cap. XVI. de historia plantarum) qui ipsum in Creta legebant. siquidem ij dictamni manipulos in ferula, aut arundine intercludebant, ne uis eius expiraret. Præterea cum apud ueteres Græcos nulla (quod legerim) extet liquidi styracis mentio, haudquaquam possum huic Fuchsij sententiæ adherere: quiniâ mo cogor eam prorsus resellere, quod rectius sentire uidear cum Arabibus, & recentioribus, qui per liquidum styracem non aliud intelligunt, quam fracten myrrhæ. Ceterum Plinio loco citato laudatur styrax post supradicta ex Pisidia, Sidone, Cypro: è Creta uerò minime. Reddidit Plinius causam, quare est, quod styrax plerumq; puluerulentus existat, dicens, quod in eum circa canis ortum aduolant pennati uermiculi erodentes, ob idq; ipsum in scobe sordescere. Adulteratur etiam styrax (ut idem scribit) cedri lacryma, uel gummi, melle, aut amaris amygdalis. quocirca retinendæ sunt notæ, quibus Dioscoridis auctoritate præstantissimus cognosci potest. Styracis arbor uiret Venetijs pluribus in locis, præsertimq; in uiridario clarissimi medici Maffei à Maffeo. Huius meminit Galenus lib. VII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Styrax excalfacit, emollit, concoquit: quamobrem tussibus, catarrhis, pituitæ distillationibus, raucedinibusq; quas κορυζας, καὶ βορᾶ γχοῦς uocant, prodest. Tum menses seu potum, seu admotum prolicet. Combusti eius fuligo, thuris fuligini quodammodo est similis. Στυράξ ut Græce, ita etiam Latine Styrax nuncupatur: Arabicè uerò Miha, Meha, Mehaha, seu Astarach: Italicè, Stirace: officinis, Storax calamita: Hispanicè, Estoraque.

† quoniam in uermiculorum speciem contrahatur. Hæc uerba non leguntur in Græcis codicibus. Sed ea (ut arbitror) à Ruellio interprete adiecta sunt ob maiorem rei declarationem. Quæ hanc ob causam, lectore tamen admonito, nobis quoque relinquere placuit.

Styracis consideratio.

Manardi lectio non probata.

Fuchsij opinio reprobata.

Styracis uites ex Galeno.

Nomina.

40 **ΒΔΕΛΛΙΟΝ. BDELLIUM. CAP. LXIX.**

BDELLIUM alij bolchon appellant, alij madelcon: lacryma est † Saracenicæ arboris. Probatur gustu amarum, translucidum, taurini glutinis in morem, intus pingue, liquefcens facile, ligni ac fordis expers, † suffitu odoratum, vngui simile. Est etiâ num bdellij genus fordidum, nigrum, vberioribus glebulis in offas conuolutum, aspalathi odore, ex India aduectum. Defertur etiam à Petra oppido siccum, resinofum, liuescens, sed facultate secundum. Adulteratur gummi, sed ita uitiatum non perinde gustui amaritudinem repræsentat, nec usqueadeo suffitionibus odoratum. Calfacit, & emollit: duritias, & turgentia guttura, humiditasque hernias discutit cum ieiuna saliuâ dilutum: vuluæ spiracula laxat appolito, & suffitu: & partus, humiditatesque omnes extrahit: calculos potu comminuit, vrinam mouet: tussientibus, & à serpente percussis vtilissimè datur: valet ad rupta, vulsa, laterum dolores, & discursantes spiritus. Malagmatis inferitur, quæ contra duritias, & neruorum nodos profunt. Contusum resoluitur affuso uino, aut aqua calida.

PRAESTANTISSIMUM Bdellium Dioscoridi translucidum est, taurini glutinis in morem, amarum, tactu liquefcens facile, & quod incensum odorem emittat ungui odorato similem. Quod si modò nostro tempore in Italiam importatur, adeo rarum est, ut (quemadmodum de myrrha diximus) ad ostentationem tantum afferuetur, uel ad adulterini, & reprobati dignoscendi normam. Credidere quidam, hoc uulgare Bdellium, cuius passim in officinis est usus, constare partim ex nigro, quod India mittit, partim uerò ex eo Arabici genere, quod siccum, resinofum, liuensq; ex Petra defertur, utrisq; à mercatoribus simul mistis. Quod si uia res se haberet, non esset planè molestè ferendum, quod saltem mediocriter impertiretur, postquam nobis optimo interdictum est. Verum etsi hoc fieri possit, cum tamen

Bdellij consideratio.

Bdellij vulgari
genera.

Bdellij histor.
ex Plinio.

Bdellij vires
ex Galeno.

Bdellium alte
rū Serapioni
palmæ genus.

Cefilionis cō
sideratio.

Nomina.

tamen in eo parum, uel nihil amaroris sentiatur, cumq; ceteris ferè omnibus tum notis, tum qualitatibus sit expers, quas ei Dioscorides tribuit; est potius opinandum factitium id, & adulterinum esse, quam legitimum. Hinc factum est, ut quidam recentiores simplicium indagatores, cum nobis persuadere uellent, Bdellium in officinis reperiri, licet nõ aduectum ex Saraca felicis Arabiæ ciuitate, unde aduehi consueuerat, somniauerint, cõmunem myrrham legitimum esse

bdellium, ut eorum sententiam resillentes, in præcedenti commentario scripsimus. Huius, quo passim utimur, plura quidem habentur genera. Siquidem aliquod quandoque uidi nigrum, resinofum, odore fetido laseri quadantenus proximo: aliud translucidum, utpote taurinum gluinum, sed siccum, amaroris expers, nulloq; odore præditum: quoddam uerò adeo uulgari myrrhæ persimile, ut ab ea uix dignosci posset. Quæ omnia genera tametsi illegitima cõ-

seantur; officinis tamen tanquam legitima, & præstantissima in medicamentis passim temerè usurpantur. Bdellium scriptis tradidit Plinius lib. XII. cap. IX. his uerbis. Vicina est Bactriana, in qua bdellium nominatissimum. Arbor nigra est, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici natura. Gummi alij brochon appellant, alij mala-

chran, alij maldacon. Nigrum uerò, & in offas conuolutum hadrobolon. Esse autem debet translucidum, simile cere, odoratum, & cum fricatur pingue, gustu amarum citra acorem. In sacris uino perfusum odoratius. Nascitur et in Arabia, Indiâq; & Media, ac Babylone. Aliqui peraticum uocant ex Media aduectum: facilius hoc, & crustosius, amariusq;. At Indicum humidius, & gummosum. Adulteratur amygdala nucæ. hæc Plinius. Bdellij facultates prodidit Galenus lib. VI. simplicium medicamentorum, sic inquit. Bdellium quod Scythicum nominant, quod sane & atrius est, & resinofum magis, emollientis admodum, & effice acis uirtutis est. At alterum, nempe Arabicum, quod dilucidius est, magis desecat, quam emolliat. Igitur recens, & humidum est, & contusum faciliè mollescit, ad omnia, ad quæ Scythicum, idoneum. At quod antiquius est, & admodum gustu amarum, & acre, & siccum, ab eorum, quæ indurata molliunt, mediocritate excidit. Vtuntur autem quidam illis, & potissimum Arabico, & ad guttu-

ris ramices, & hernias aquosias, salua matutina, ieiunâq; subigentes, ut emplastri consistentiam accipiat. Porrò Arabicum & calculos renum in potu sumptum frangere apparet, tum urinas cære, & crudorum statuum discursus, præterea laterum dolores, & rupiuras persanare. hæc Galenus. Ceterum inuenio Serapionem duobus capitibus Bdellij meminisse: quorum alterum appellauit Iudaicum, quod nimirum est ipsum Dioscoridis bdellium: alterum uerò cuiusdam plantæ palmæ similis fructum esse tradidit. Hoc Neapoli frequentissimum uidimus, ijsq; in officinis accepimus, ubi sacchari arundines è Sicilia petitas uenundantur. Nam eion illic effem cum Bernardo Clesio Cardinale, & Principe Tridentino, qui apud Cæsarem Carolum V. inuicissimum Imperatorem agebat, multarum uidentiarum rerum, quæ ad medicam materiam spectant, fuit mihi facultas. Hoc igitur palmæ genus (ut ab incolis accipit) ex Sicilia cum folijs palmeis, ac radice defertur cubitali, uel paulò ampliori longitudine. Vocantur hæc plantæ Neapoli

uulgò CEFAGLIONI. quarum quoddam dumtaxat germiculum comedunt, tenerrimum, sapidum, & ori gratissimum. Includitur hoc mille quibusdam inuolucris, tanquam totius plantæ corculum. Hoc quidem tuberibus, & carduis, carduorumq; echinatis capitibus (carioffi, & archichiochi Itali uulgò uocant) præferunt. quandoquidem id secundis mensis pro bellarijs eion pipere, & sale solenniter assumunt, tum quod gustui is eibus admodum arrideat, tum etiam quod uenerem conciliet. Porrò illa uulgaris Cefaglioni appellatio (quantum conijcere possumus) à Mauritanis accepta est: siquidem Serapio sic inquit. Cefilio est cor iustius palmæ, & natura eius est, sicut natura palmerij. Galenus insuper lib. VII. simplicium medic. de palma differens, eius medullam encephalos appellari tradidit. Ex quo aduecor, ut sufficer, inde Arabes Græca uoce corrupta suum Cefilionis nomen accepisse. Quod Βδέλλιον Græci, Bdellium similiter Latini uocant: Mauritani, Molochil, Molochal, Mochol, aut Mochel: Itali, Bdellio: Hispani, Bedelio.

† Licet Saracenicæ arboris lectio admitti possit, quod Saraca, unde Saraceni dicti sunt, urbs sit in Arabia; non tamen improbanda uidetur lectio Arabicæ arboris. Quod non solum Plinius scribat bdellium in Arabia nasci, & Galenus alterum bdellij genus Arabicum faciat; sed etiam quod Oribasius lib. XI. legat δάκρυον ἐστὶ δένδρον ἀραβικόν. hoc est: lacryma est arboris Arabicæ.

† Hoc loco in uulgatis Græcis codicibus sic legitur: ἐν ὠδες ἐν τῇ δρυμάσι, εἰοικὸς ὄνυχι. hoc est, si uerbum uerbo reddamus: odoratum in suffitu, simile ungui. Eadem uerba ex Dioscoride referunt inter Græcos Aëtius & Oribasius. Ceterum in ijs uerbis illud dubiam sententiam facit, quod non facile colligi possit, quid per ὄνυχι intelligat Dioscorides. nam cum hæc uox homonyma sit, & plura significet, cui potissimum rei conueniat, auctor non explicauit. ut hinc uel aliquid deesse suspicandum sit, uel hac uoce diuinandum de nota illa bdellij optimi magis sit, quam aliquid certi statuendū. Auget difficultatem, quod interpretes omnes, uiri doctissimi, uerba illa in diuersum sensum trahant. Alij enim probatū bdellium uolunt bene odoratum esse semper, sed incensum fieri ungui simile, ut Manardus libro

suarum epist. octauo: alij dum incenditur, odore malunt ungui assimilari, ut Hermolaus. quorū tamen utrunq; constat de odorato ungue intellexisse. His ad stipulari uidetur Serapio inter Arabas, qui bdellij descriptionem Dioscoridi acceptam ferens, uerba illa interpretatur in hunc sensum: eion incenditur, bonū spirat odorem, odori unguis odorati similē. Sunt porrò qui bdellium suffitu odoratum faciunt, ungui simile, ut Ruellius. qui certè ea simplici uerborū illorum uersione non minus ambiguum reliquit illius notæ sensum, quam in Græco reperitur. Marcellus autem diuersam ab antedictis sententiā protulit, nam ita uertit illa uerba: cum incenditur, odoratum, et humano ungui colore simile. Hæc utique Marcelli interpretatio plura habet, quam in Græcis codicib. legantur, ea fortasse ratione ab eo addita, ut nulla reliqua esset ambiguitas: quanquam in hoc à Manardo redarguitur. Mihi quidem hæc Galenus placuit Serapionis interpretationi subscribere, ut patet in principio huius commentationis. Nunc uerò quid mihi sentiendum sit, ferè incertus sum. Videntur enim uerba illa Dioscoridis ita distincta esse, ut duas bdellij optimi notas faciant: quarum altera est, ut odoratum sit, eum suffitur: altera, ut sit ungui simile. Sed relinquatur dubitatio, an unguis odoratus, aut humanus sit intelligendus.

10 *dius. Eò tamen inclinât animus, ut putem humanum unguem intelligi, quòd Plinius lib. XII. cap. IX. de bdellio dif-
ferens, Bactriano ungues reddat candidos, cùm inquit. Bactriano nidor siccus, multiq; candidi ungues. Ex his nimi-
rum uerbis liquet, bdellium illud albis maculis ungui humano similibus refertum esse. Id quod etiam uidetur bdellio af-
signasse Damocrates in suis carminibus, quibus cypheos compositionem cecinit, & quæ à Galeno referuntur lib. II.
de antidotis, dum ita scribit. Σκόδιου ἰβ. καὶ κροκου μίαν, βδέλλιον ὄνυχας ἑ γ. ἀσπλάδου ἑ s. Hæc
duo carmina soluta oratione ad uerbum sic uertemus. Iunci odorati duodecim, & croci unam, Bdellij ungues drach-
mas tres, asphalti duas semis. Sanè quòd Damocrates bdellij ungues in cypheos compositionem addat, me magis mo-
uet, ut credam bdellium notam peculiarem habere, qua unguium effigiem representat: aut quòd illud bdellium sit præ-
stantius, cui sint macule humanis unguibus similes. Sed hæc fortasse fusius, quàm deceat, ut quid alij, & quid ego sen-
tiam in illis Dioscoridis uerbis, exponerem, ita tamen, ut malim eruditorum quoq; iudicium esse.*

Λιβάνος.

THYRS.

CAP. LXX.

20 *THYRS* in ea gignitur Arabia, quæ thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere mascu-
lum, itagonias appellatum, suapte natura rotundum: tale autem† indiuiduum est, candidum, cùm fran-
gitur, intus pingue, in suffitu statim ardens. Indicum uerò fuluescit, & colore liuet, sed rotundum
industria factitant: nam in quadrangulares formas dissectum fictilibus uersant, donec rotunditatem
contrahat: uerùm huiusmodi thus tempore flauescit, quod atomum, aut syagrum appellant. Secun-
dum locum habet† Arabicum, & in Smilo nascens, quod aliqui copiscum uocant, minus multò, &
fuluius. Est & genus aliud, cui amomite cognomen est, alioqui candidum: quod dum mollitur, ma-
30 stiches more digitis cedit. Adulteratur omne thus† in itinere pini refina, & gummi. quod facilè de-
prehendi potest: siquidem suffitum gummi flammam non eiacularatur, & refina in fumum euane-
scit, thus uerò statim ardet: idem mæficium odor prodit. Ad calcaciendum, & alstringendum pol-
let: oculorum caliginem discutit, caua ulcera complet, & ad cicatricem perducit: cruenta uulnera
glutinat, infrænataque cunctas sanguinis eruptiones, etiam si cerebri membranis effluat: ulcera, quæ ca
coëthe uocantur, & sedis, & reliquarum partium permulcet tritum cum eo & lacte linamentum: for-
micantes uerrucas inter initia, impetiginesque ex aceto, & pice illitum tollit: ambusta igni, pernio-
nesque cum suillo adipe, aut anserino, & ulcera in capite manantia cum nitro, si infricetur, sanat: pa-
ronychijs cum melle, auribus fractis cum pice, medetur: ad reliquos aurium dolores cum dulci vi-
no infunditur: inflammata à partu mammae cum cimolia, & rosaceo magna utilitate perunguntur:
30 additur ad arteriæ, viscerumque medicamenta: prodest sanguinis excreationi potum. Sed in secun-
da ualitudine hauustum insaniam mouet, & largius cum uino potum interficit. In fictili mundo thus
crematur, flagrans glebula succensum à lucerna, donec exuratur: post perfectam uisionem operire
oportet, usquedum restinguatur: sic enim in cineres non redigitur. Aliqui ollulam æneo uase cauo
circa medium perforato cingunt ad excipiendam fuliginem, ut in eius mentione mox ostendemus.
Alij crudo fictili luto oblito, & in fornacem indito, cremant. Fictili etiam nouo uiuacibus prunis
torretur, dum non amplius bullet, aut pinguitudinem, vaporémue emittat: facilè enim comminui-
tur, quod perustum non est.

Φλοιὸς Λιβάνου.

CORTEX THYRSIS.

CAP. LXXI.

40 *PRAEFERTUR* thuris cortex crassus, pinguis, odoratus, recens, læuis, minimè scaber, sine mè-
branis. Adulteratur admisto pini, aut nucis eius cortice. sed horum index ignis est: siquidem re-
liqui cortices suffiti nequaquam incenduntur, sed sine odore fumum eructant: thuris uerò cortex
ardet, & cum odoris fragrantia uaporem eiacularatur. Thuris modo vritur: & vis eadem, quæ thu-
ri, sed validior, adstringentiorque. Quare potu cruentis excreationibus, uuluis fluxione laboranti-
bus in pello confert: ad cicatrices oculorum, & caua, sordesque efficax est. tostus scabris lippitudi-
nibus auxiliatur.

Μάννα Λιβάνου.

MANNA THYRSIS.

CAP. LXXII.

50 *MANNA* thuris probatur candore, micarum frequentia, & puritate. Vim habet eandem, quam
& thus, sed inualidiusculam. Sunt qui cribrata pini refina, ac polline, aut cortice thuris contusi adul-
terant. Sed hæc igne deprehenduntur: neque enim æquè suffitu aërium uaporem, sed fuliginosum,
& impurum expuit, & permistum suaueolentiæ halitus virus habet.

Αἰθάλη μιβανοῦ.

FVLIGO THYRSIS.

CAP. LXXIII.

FVLIGINEM thuris sic facito. Forcipcula lucernis accensas singulatim thuris glebas in no-
uam fictilem ollam concauam imponito: & æreo uase in medio perforato, deterfâ diligenter sorde,
obtegitto: alteram admoueto, ex altera eius parte, aut utraque subiectis quaternùm digitorum altitu-
dine lapillis, quòd facilius perspici queat, si vrantur: & quâ locus capax fuerit, glebularum alias supponi-
to, & antequàm prorsus prior gleba restinguatur, aliam imponito, donec sufficientem fuliginem ui-
dearis coëgisse. Continuo tamen externæ æramenti partes spongia, aqua frigida madefacta, abster-
gantur: ita enim temperato æris feruore, fuligo omnis inhærebit, quæ alioqui per leuitatem decidua
thuris

thuris cineribus admiscetur. Derasa itaque fuligine, cinis cremati thuris seorsum substrahendus est. Idem opus, quoad satisfactum tibi uidebitur, obeundum. Oculorum inflammationes mitigat, fluxiones suspendit, ulcera purgat, caua explet, carcinomata fistit. Simili modo è myrrha, resina, styrace, reliquisque lacrymis fuligo excipitur, ad eadem conueniens.

CUM THVS, Thuris cortex, manna, & fuligo ab una tantum arbore proueniant, non alienum duxi de his omnibus unico commentario differere. Sed primum à thure exordiens, cum Dioscorides in eius scribenda historia, non late se diffundat, ut eos uoti compotes faciam, qui eam audire desiderant, hic referam, quæ ex Theophrasto lib. IX. cap. IIII. quæq; ex Plinio libro XII. cap. XIII. diligenter excerpti. Gignitur itaq; thus (ut illi prodiderunt) præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidem uniuersæ, sed priuatim euidam loco in medio fræ regionis post Atranitas pago Sabæorum, qui caput regni est. Tractus is spectat ad orientem undiq; rupibus inuius, & à dextra maris scopulis inaccessus. Syluarum, quæ thus proferunt, longitudo est centum millia passuum, latitudo autem dimidium eius: quas & Minæi attingunt alium pagum colentes, per quos thus euehitur uno tramite angusto, à quibus etiam thus Minæi olim dictum est. Siquidem hi primi fuere thuris repertores, eiusq; commercium primi fecere, maximeq; exercent. Cæteris interdictum est, his exceptis, uidere thuris arbores: ac ne Minæorum quidem omnes (ut perhibent) ipsas arbores uidere possunt. Ius enim in thus, ipsumq; legendi potestas, tricentium tantummodo esse familiarium dicunt, quæ per successiones id sibi uendicant; quæ etiãnum ob id à propinquis populis sacræ uocantur, quod cum uulnerant arborem, quo liquor defluat, aut cum metunt, nec foeminarum, nec funerum congressu polluuntur: atq; ita religione merces augetur. Quidam promiscuum ius Minæis omnibus esse tradunt, & unoquoq; anno inter ipsos diuidi. Cæterum quam præsci Romani in Arabia bella gessere; thuris tamen arboris facies à nullo (quod equidem legerim) Latinorum tradita est: neque Græcis etiãnum auctoribus (etsi plures de ea conscripserint) de eius effigie satis inter se conuenit, licet dixerit Theophrastus, quod arbos thuris, quæ super Sardes apud delubrum quoddam surrexit, fronde lauri constet. Thus diutaxat meti solebat inciso arboris cortice, canis ortu, flagrantissimis æstibus, quod tunc esset humoribus maximè prægnans, quod postea legebatur sequenti autumno. Verum dulcedo quæstus aliam uiam attulit, qua etiam primo uere ipsum legeretur, incisis per hyemem arboribus. Excipitur quod ex arbore prosilit, atque distillat palmea tegete, ubi loci natura poscit, aliubi arca circumpauita. Purius, & perlucidius illo modo, sed hoc ponderosius, minus pellacet, minusq; uiribus pollet. Vindemia uerna thus rufam emittit, nec comparandum priori: uires enim imbecilliores sibi sortitur. Creditur nouellæ arboris candidius esse, quam ueteris. Quod hæsit in arbore, ferro depectitur, ideoq; corticosum. Tradidit Dioscorides præter Arabicum inueniri & Indicum, id tamen flauescere: quod indicat, thus & in alijs regionibus nasci præter illud, quod ex Arabia deuehitur. Quod cum Theophrastus, & Plinius satis compertum haberent, quanuis prius scripsissent, thus præter Arabiam nullis gigni; dixerunt tamen postea, quod ex relatu acceperant, id etiam nasci in quibusdam insulis. Thus (ut scribit Galenus lib. VII. simpl. medicamentorum) excalfacit ordine secundo, desiccatur uerò primo, paululumq; adstringit. Sed candido minimè adstrictio manifesta. Cortex eius euidenter adstringit: præinde sanè strenuè quoq; desiccatur, adeo ut ex secundo sit ordine completo desiccantium. Est autem crassiorum partium, quam ipsam Thus, & minime particeps acrimonie. Ob has igitur tum facultates, tum qualitates multus est eius usus apud medicos in hæmoptoicis, stomachicis, cæliacis, & dysentericis, non tantum ijs, quæ extrinsecus applicantur, ipsum admiscentes; sed & ijs, quæ intrò in corpus sumuntur. Ramus eius (lego fuligo eius, & infra rationem reddam) tum siccoris, tum calidioris est facultatis, quam ipsum thus, relictus autem ad tertium usq; excessum perueniat. Habet uerò etiam absterforium quiddam: itaq; eo nomine expurgare, & implere, quæ in oculis consistunt ulcera, uidetur, uelut & myrrha, & styracis. hæc Galenus. Verum, ne quispiam fortasse me perperam Galeni lectionem immutasse existimet, illud sciendum est, quod in Galeni loco citato non solum Gerardi Gaudani uersio reprehendenda (quod tamen interpreti uitio minimè dandum est) sed etiam in Græcis tum ipsius Galeni, tum Pauli Aeginete codicibus communis lectio deprauata uidetur. quippe ubi in thuris capite legitur apud Galenum, ὁ δὲ θαλλὸς αὐτῶ ἐρηπότερος ἐστὶ, καὶ θερμότερος ἢ κατὰ αὐτὸν τὸν λιανωτὸν δυνάμεως, hoc est, ut uertit Gerardus, Ramus eius tum siccoris, tum calidioris est facultatis, quam ipsum thus, relictus autem putauerim, ἢ δὲ αἰθάλια αὐτῶ, hoc est, Fuligo eius &c. Quæ quidem lectio primò Dioscoridis testimonio comprobatur: qui præterquam quod ramorum non meminit, ipsi thuris fuligini, non ramis, tum expurgandi, tum implendi, quæ in oculis consistunt ulcera, facultatem inesse testatur. Deinde id manifestè innuisse uidetur Galenus in prædicti capituli calce illa comparatione, cum inquit, ueluti ex myrrha, & styrace. Nam libro VIII. simpl. medic. de styrace agens: styracis combusti fuligo, inquit, thuris fuligini quodammodo est similis. Et libro VII. de fuligine scribens: Primian enim, ait, thuris fuligine utuntur, in ocularias medicinas mista, eas uidelicet, quæ ad oculos etiãnum phlegmone tentatos accommodantur, atq; etiam fluxione tentantur, & ulcera habent: nam & illa expurgat, & carne replet. Ad hæc usurpant quoq; eam ad facultates, quas uocant calliblepharas. Præterea terebinthine, myrrhæq; fuligo molestia caret, non aliter, quam thuris: sed styracis his quodammodo ualentior est. His igitur rationibus asserere non dubitauerim, hoc in loco uulgatos Græcos codices fortasse librariorum incuria uocum similitudine deceptorum deprauatos esse: quodq; loco huius uocis αἰθάλια, quæ Latine fuliginem reddit, successerit θαλλὸς, quæ ramum germenue significat. Quod etiam apertissime confirmat Serapio: qui cum hunc Galeni locum suo tempore legitimum, & incorruptum haberet, quæ hoc Galeni loco nostra ætate de thuris ramo leguntur, ea ipse Galeno accepta referens, de thuris fumo, seu fuligine legit. Quod item apud Aëtium uidere licet: tametsi Paulus hæc menda non uacet, uel sui ipsius fortasse, uel potius librariorum culpa. Nam alias non possem non admirari, quod in Galeno lectionem hanc deprauatam esse non animaduertisset, quemadmodum hæc in re nostra ætatis interpretes mihi quidem admiratione digni

Thuris histo.
ex Theophr.
& Plin.

Thuris facultates
ex Gal.

Galenus locus
restitutus.

gni uidentur. Ceterum thus (ut Galenus scribit lib. IIII. de comp. medicament. per genera) concoquit, & pus mouet in temperatis corporibus, nam in humidis sarcoticum est. Præterea cum dixerit Dioscorides, thus in secunda ualitudine haustum, insaniam facere, & largius cum uino sumptum interficere, hinc Auicennam errasse crediderim, qui & deprauatis sensibus, & abolita memoria thus opem præstare tradit. Porro credere nonnulli thus Manna nam apud Græcos esse, quam nostra ætate è cælo collapsam super arborum frondes colligimus, quamq; tanquam omni ex parte innocuum medicamentum, & utero gerentibus mulieribus, & pueris, & delicatis deiciendæ alui gratia propinamus. Verum res quidem aliter se habet: namq; Plinius, & alij complures produnt, Mannam thus esse micæ eius concussu elisas, quod dum conuebitur, euenit. Quod etiam testatus est Galenus lib. IIII. de compositione medic. secundum locos. Sed quoniam thus Manna mihi redegit in mentem Mannam hanc purgatoriam cælitus demissam, ut plenius legentibus satisfiat, cum huius nusquam meminisset Dioscorides, de ea tradam, quæ ex Arabum monumentis deprompsi, quæq; ipse etiam in Calabria uidi, ubi laudatissima colligitur. Est igitur MANNA quidam ros, siue liquor suauis, qui ex aère ueniens sublucanis temporibus, arborum ramis, & frondibus, herbis, lapidibus, & solo interdum inuenitur herere: qui breui temporis curriculo coalescens, grumosus in gummi morem efficitur. Huius duotantum genera ipse in Italia uidi, quorum alterum ab orientali plaga, alterum uerò à Calabria defertur. Eius, quod ex oriente petitur, duplex habetur species; præstantissima altera, quam Mastichinam appellant, nomine à granorum mastiches similitudine sumpto: infirma uerò, & uilis altera, quæ Bôbycina nuncupatur, quippe quæ nil aliud est, quàm aut euanda, & senio exhausta Mastichina, aut saccharo, alijsq; imposturis adulterata. Calabriensis plurimi penditur, quæ stirpium frondibus insidens colligitur, proinde foliorum Manna cognominata, minutis granulis constans, translucida, grauis, mastiches granulis similis, candida, gustu dulcis atq; suauis. Secundas partes sibi adsciscit, quæ ramis insidet: tertias uerò, quæ lapidibus, & solo inhaeret: nimirum hæc granulis constant crassioribus, & colore longè minus sincero. Ex ea, quæ nocte peracta è cælo ceciderat, Cossentia, quæ est Calabriae ciuitas, mihi facta fuit copia super fraxineis frondibus, quæ uilapij perfecte cocti guttas prorsus referebat. Accepi inibi ab incolis, quod hæc mane legitur, priusquam sol exortus admodum exarsciat: namq; postea sole liquefacta, absortaq; facile euanescit. Quæ propter pleriq; ubi in magna deciderit copia, summo mane arborum ramos præscindunt, & in opacis collocant, ubi concretam maiori commodo legunt. Hinc uerò fit, ut nescierim ego, qua ratione ductus Fuchsius uir eruditissimus scripserit libro de componendis medicamentis, quem nuper auctum edidit, Mannam (ut suis uerbis utar) Calabrinam grano consistere grandiori, stoccorum lane & bombycis referente effigiem, candidiori, & ob id alio nomine Bombycinam uocari: quin & hanc uiliori pretio uendi. Atqui cum is à nobis planè dissentiat in Manna, quæ ex Calabria aduehitur, historia, ratus gnarusq; hanc, quam paulò antè reddidi, ueram esse, non plura adieciam: sed relinquam in hoc fore iudicium eorum (sint uel medici, uel pharmacopœi, uel mercatores) qui Manna illius naturam reuera norunt, atq; eam satis exploratam habent. Duo Manna genera etiãnum à Mauritanis diuersis capitibus prodita reperio: quorum alterum Mannam, alterum uerò Tereniabin appellant. Tamen non aliam inter ea specierum differentiam esse constat, quàm quòd alia liquefens, melli similis, alia in grumos concreta uideatur: quæ perfectio illa est, quæ ad nos aduehitur. Quam uerò ij Tereniabin uocant, Serapionis testimonio & ipsam esse Mannam manifestè ostenditur. Namque Abicis auctoritate, Tereniabin, inquit, febrium ardentium inflammationes mulcet, sitim extinguit, aluum mediocriter emollit, pectori, & tussi opem præstat, nec aliud est, quàm Manna. Testatur Brasauolus Ferrariensis, Nicolaum quendam Ferrariæ (ut arbitror) pharmacopolam emisse à quodam Mauritano uas plenum cuiusdam Manna melli similis, quæ in medicamentis non satis laudari potuit. Hanc equidem ex eo genere fuisse existinauerim, quod Mauritanii Tereniabin nominant: etsi Brasauolus ipse contrarium senserit, cum uelit, Tereniabin Mauritanorum eam esse Mannam, qua communiter utimur: eorundem uerò Mannam esse huiusce liquidæ speciem. Quæ tamen sententia Arabum scriptis prorsus refragatur. quandoquidem ipse inuenerim apud Serapionem, quòd Tereniabin quidam ros est è cælo cadens melli grumoso similis, & quòd aliter mel roscidum appellatur. Auicenna uerò de Manna agens, inquit, eam gummi modo concrefcere: à quo Mesuem nihil dissentire comperio. Creditit Auerroes, & post eum alij quàm plurimi, Mannam ueteribus, præsertim Galeno, incognitam fuisse. Quibus illud reclaromat, quòd ipse Galenus scriptis tradidit libro III. de alimentorum facultatibus, capite de melle, sic dicens. Memini aliquando cum æstate super arborum, ac fruticum, herbarumq; folia mel quàm plurimum fuisset repertum, agricolas uelut ludentes cecinisse, Iupiter melle pluit. Præcesserat autem nox, ut per æstatem, satis frigida (nam tum tempus anni æstiuum erat) pridieq; calida, & sicca fuerat aëris temperies. Atqui peritis naturæ interpretibus, halitus è terra, & aquis prodeuntes, solis calore exactè attenuati ac cocti, à frigore secuta noctis in unum coacti, ac densati fuisse uidebantur: sed apud nos rarò id accidit: in monte autem Libano quotannis persepe. Itaque que coria super terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis destluit, excipiunt, & ollas, ac fœtilia melle implent, uocantq; id roscidum mel, & aërium. Hæc Galenus de Manna memoriæ prodidit. Ex quibus eorum error deprehenditur, qui putant hanc ei fuisse incognitam. Existimandum igitur est, quòd hinc Arabes suum deduxerint Tereniabin; præsertimq; cum scribat Serapio, hoc ab eis mel aërium appellari. Huius etiam meminit Plinius libro undecimo capite duodecimo his uerbis. Venit mel hoc ex aère, & maxime siderum exortu, præcipueque ipso serio explendente fit, nec omnino prius uergiliarum exortu sublucanis temporibus. Itaque cum prima aurora, folia arborum melle roscida inueniuntur. At si qui matutino sub dio fuere, uictas liquore uestes, capillionque concretum sentiunt. Siue ille est cæli sudor, siue quædam siderum salina, siue purgantis se aëris succus, utinam esset & purus, ac liquidus, & suæ naturæ, qualis destluit primò. hæcenus Plinius. Sed tam antiqua Manna res est, ut ante Galenum, & Plinium, eius etiam meminerit Theophrastus Hesiodi auctoritate, libro III. capite nono de plantarum historia, his uerbis. Sin autem auctore Hesiodo, mella, apesq; quercus ferat, magis quoque

Auicē. lapsus.

Māna thuris.

Mannæ cælitis historia, & genera.

Fuchsj opinio.

Mannæ Arabum.

Brasauoli lapsus.

Mannæ historia ex Galen. Pli. & Theop.

Manna in comitatu Gortienfi, & Foro Iulij.

Monachorū opinio explorata.

Manna feo arborum cortice manans.

Petri Criniti error.

Serap. lapsus.

Manna temperamentū, & uires.

Fuchsi opinio reprobata.

quoque illud confirmatur. Ergo nascitur uel hic melleus humor è caelo cadens, in hac maxime insidens. Mannam utriusque consistentie è caelo demissam uidimus in Comitatu Gortienfi, uniuersoque Foroiulienfi agro, ac circumuicinis locis, Anno à CHRISTO nato M. D. XLVI. maio, & iunio mensibus: fuitque mihi ambarum colligendarum amplissima facultas. Siquidem ea, quæ fici, fraxini, & orneoglosi frondibus inhaerent, gummi modo concreuerat, colore candida. At quæ super amygdalæ, persicæ, ac quercus folia deciderat, mellis modo liquefcens ab arbore defluebat, flauo colore. Quo factum est, ut facile crediderim, quod non sui ipsius facultate gummi modo Manna concreuerat; sed foliorum, in quibus delapsa recumbit. Quare ab Arabibus diligentissime perspecta, utriusque Manna historiam diuersis per se capitibus suis monumentis prodidit. Sed profecto non admitienda, quin potius exploranda uidetur sententia Monachorum, qui in Mesuem commentarios scripsere, cum pro certo asserant, siccio ardente Manna non solum roris modo super arborum, & herbarum folia reperiri aëris, & cæli clementia; sed etiam ab arboribus, fraxino scilicet, & orneoglossis absque aliquo cæli rore, gummi modo inciso earum cortice in lacrymas concreuerat. Quod tamen ut à rei natura, ita etiam à ratione, & à ueritate abhorre putauerim. Siquidem ea Manna, quæ inciso harum arborum cortice in Apulia, & Calabriensi agro hac ætate canicularibus diebus collacrymare cœpit, nullus quidem plantæ liquor est, sed ipsa eadem Manna, quæ diebus superioribus eadem in arbores ab aëre deciderat. Nam cum illis regionibus usu ueniat, quod præ cæteris prædictæ arbores eo mellifluo rore affatim, abundeque madescant, sitque cortex solis ardore nimio sitiens, ac rimosus, magnam liquoris quantitatem intra se absorbet. Quo fit, ut postmodum exurente canicula inciso eodem cortice idem liquor exiliat, & in grumos concrefcit: qui tamen cum leues, fungosi que sint ob arboris succi missionem, infeliciter operantur, nec alterius Manna uiribus correspondent. Quod autem id tantum fraxino, orneoglossis que, eueniat, cum melleus ille ros in uniuersum omnes occupet plantas, in causa est harum arborum nobis occulta potestas, ut magnetis ad ferrum, & succini ad paleas. quippe omnibus clarum est, apud Calabros, & Apulos solam fraxinum, eique congenerem orneoglossum Mannam in se contrahere, retinere, densare, ac cohibere: ex alijs uero arboribus eandem statim defluere, & in subiectas herbas, petras, solumque diffundi. Quare ab his duntaxat arboribus inciso cortice non sanè primò, & secundum naturam, sed ex accidenti defluit Manna. Verum optimi illi patres contenti (ni fallor) cortice, internas illarum arborum partes penetrare neglexerunt. At incolæ, qui ex maiori huius liquoris prouentu, plus auri referunt, rei naturam diligentius inuestigarunt. Cæterum ex his, qui thuris Mannam caelestem hanc esse crediderunt, unum Crinitum Florentinum fuisse comperio. In cuius censuram Manardus Ferrariensis libro primo suarum epistolarum peculiarem epistolam conscripsit. Verum tamen uenia illi danda est, cum & Serapio, qui Mauritanis omnibus in simplicium medicamentorum historia præstitit, thuris Mannam cum caelesti inepte confundat. Memini Mannæ inter alios Græcos etiam Actuarius libro de medicamentorum compositione, ibique de eius uiribus ac facultatibus differuit. Manna tam Auicennæ, quam Mesuis testamento, æquali ferè temperamento consistit, licet ad calidum paululum inclinet: at Auerroi calida, humida que, habetur. Alium deuorata, aut hausta ciet, per se tamen imbecilliter. Ideoque tum scæminis utero gerentibus, tum pueris ipsi tuto semper exhiberi potest. Alijs medicamentis addita uires eorum auget. Bilem facile educit: sitim extinguit, aperit, emollit, leuigatque gula, peccatoris que, partes. Quæ ex Alexandria Aegypti adfertur Mastichina uocata, uno duntaxat anno in suis uiribus persistit: sed quæ in Italia prouenit, præsertimque Calabriensi agro, pluribus annis incorrupta perdurat. Enimvero Fuchsius medicus nostra ætate & doctrina, & rerum cognitione clarus, in libro de compositione medicamentorum, quem secundo auctum excudit, Mannam à medicorum usu explodere conatur his uerbis. Manna leuem certè, aut ferè nullam soluendi, aluumque subducendi uim habet. Quod ijs comperitum est, qui iuxta Libanium fuerunt. Nam referunt, indigenas eius montis, cum abunde ea satientur, nihil tamen lædi, aut aluum sibi quoquo pacto subduci sentire, sed ea tanquam obsonio nutriri. Quapropter cum melli quodammodo similem facultatem habere constet, facile ea carere liceret, modo peregrinorum admiratione non ita duceremur: neque stulti, contemptis nostratibus, è longinquis regionibus allatis uti potius, quam ijs, quæ nostris in hortis proueniunt, mallemus. sed stultitiæ nostræ, temere sumptus immodicos facientes, condignas danus pœnas. hæc Fuchsius. Quibus mirum uerbis liquet cum uelle usum Manna prorsus adimi, atque ipsum ad medicamenta deferri, quæ nostris in regionibus proueniunt, utinam æquè commode & tuto fieri posset ista commutatio, ut saltem, quod ipse uehementer cupit, immodicis sumptibus parceremus. Sed quoniam rationes, quas affert, non sunt eæ, quibus id persuaderi possumus, idcirco cogor in hoc eius sententiæ refragari. Nam quod Manna aluum subducit, & eam quidem innocue, non solum conuenit inter auctores, qui hæctenus de illa scripserunt, sed id etiam quotidiana experientia docet. siquidem duarum & semis unciarum pondere data aluum perbellè deicit, & priuatim bilem educit. Quod autem Libani montis indigenæ Manna non ut medicamento quod purget, sed ut obsonio, quod nutriat, utantur, quis tam facile ut Fuchsius, referentibus credet? cum nos quotidie contrarium experiamur: aut si credat, non aliquam facti illius rationem adinueniet, quæ, ut decet, experimentum tueatur. certè nullus, si rectè iudico. Ut autem medicamenta peregrina abolefcant, quæ mitissimam soluendi uim habent, inter quæ iandudum Manna principem ferè locum obinet, utemur nostratibus, & fortasse lathyri, pityusa, tithymalis, bryonia, & alijs huiusmodi, quæ passim nascuntur in hortis & campestribus, atque uim lethiferam ac perniciosam sortita sunt & absit, meo quidem iudicio. Malim ergo in hoc sequi exemplum Dioscoridis, Galeni, & aliorum tum Græcorum, tum Arabum probatissimorum auctorum, quam alterius quicumque sit. illi enim non contenti simplicibus medicamentis, quæ suis in locis nascebantur, peregrinis etiam uti uoluerunt. quos tamen tantum abest, ut stultos dicamus, ut etiam sapientes iudicemus. Quare non potui satis mirari Fuchsi tam ita malè de Manna sensisse, quam omnibus, eo excepto, perspicuum est sine molestia uentrem purgare. Equidem optarem, ut ij, qui alicui medicamento usum abrogare student, uel id æquius & modestius agerent, aut è nostratibus ea proferrerent, quæ eandem uim præstare possent. neque enim ego is sim, qui peregrina nostratibus præferre

10

20

30

40

50

ferre

ferre uelim, modo hæc cum illis uiribus certare ualeant. *Αιβανος* καὶ *Λιβανωτός* id Græcis dicitur, quod Latini *Thus*: Arabibus, *Ronder*, *Conder*, aut *Kateth*: Italis, *Incenso*: Germanis, *Vuciraucb*: Hispanis, *Encienso*, *Gallicis*, *Encens*.

† *ἄτομος*. Hæc dicto hic, & paulò post legitur in uulgaribus Græcis codicibus: qua in primo loco *thus* natura rotundum insignitur, in secundo uerò arte tale factum cognominatur. Sed quia absurdum uidebatur Marcello, Dioscoridem usum fuisse homonymia, ideo mutauit lectionem, alterum scilicet *ἄτομον* in *ἔντομον*, ad rem nomen accommodans. Quam tamen lectionis mutationem minime probat Manardus: qui præterea dubitat quo modo *atomos* Latinis sit reddendus. Hæc difficultates mihi quidem uidentur ab *Oribasio* sublata lib. XII. ubi primò non *ἄτομος*, sed *ἄτμος* legitur, quæ uox sine controuersia illæsum, atq; non scissum *thus* facit: secundo uerò nihil legitur. quod argumento est, *atomum* secundum accreuisse Dioscoridi. Legitur autem *σύναγρος*, quæ uox ut est illius factitij *thuris* cognomentum, *Oribasio* teste, legitimum, ita non mutanda uidetur.

† Hic uulgaris lectio habet, *ὁ ἀραβίας, καὶ ὁ ἐν σμίλῳ, ὃν ἐνίοι κοπίσκον καλοῦσι*, id est: *Arabias*, & in *Smiolo* nascens, quod aliqui *copiscum* uocant. *Marcellus* non *ἀραβίας*, sed *ὁρόβιας* legit. Cui lectioni adstipulatur *Oribasius* libro XII. ubi *ὁ ὁρόβιος* tantum, reliqua uerò ut addititia non leguntur.

† Exemplaria Græca uulgata hoc in loco legunt *μεθοδενόμενος*: quæ uox, in itinere, à *Ruellio*, & artificiosè cõformatum, uertitur à *Marcello*. Sed equidem eam aduentitiam putauerim, quòd non legatur ab *Oribasio*.

P I N V S.

P I C E A.



Πεύκη, καὶ Πίτυς.

P I N V S, E T P I C E A.

C A P. L X X I I I I.

50 P I N V S, E T P I C E A generi eidem ascribuntur, sed quandam flagitant specierum distinctionem. arbores uulgò cognitæ. Quarum cortex astringit: prodest tritus, & illitus intertrigini, ulceribus summum corpus occupantibus, ambustisque cum spuma argenti, & manna: ulcera delicatolorum acrimoniam recusantium cerato myrtino exceptus ad cicatricem perducit: tritus cum futorio atramento serpentina cohibet: fustitu partus, & secundas eijcit: potus aluum sistit, urinam mouet. Folia eorum trita, & illita inflammationes leniunt, uulnera ab inflammatione uindicant: trita autem, & decocta in aceto feruenti collutione dentium dolores mulcent: hepaticis utilia sunt drachmæ pondere in aqua, aut mulsâ pota. Pineæ nucis cortex, & folia potu idem præstant. Teda earum particulatim secta, si in aceto coquatur, & decocto dens colluatur, dolores leuat. Ex his etiam fit spatha acoporum, pessorumque compositionibus idonea. Quinetiam earum crematarum fuligo ad librarij atramenti confectionem excipitur: ea circumlitionibus efficacissimè imponitur, quibus palpebras ornant, coloremque mentiuntur, *calliblephara* Græci uocant: arrosis oculorum angulis, callofis, glabrisque

g 2 genis,

genis, & collacrymationibus opitulatur. Pityides appellantur pinorum, piceæque fructus, qui in conis inueniuntur. Vim astrictoriam habent, & aliquantulum excalfacientem: tussi, & pectoris uitijs auxiliantur, per se, aut ex melle sumpti. Nuces pineæ cum repurgatæ manduntur, aut cum passo, aut cucumeris semine bibuntur, vrinam cient: acrimonias in renibus, & vesica hebetant: stomachi rosiones leniunt. datæ cum portulacæ succo, uirium infirmitatem roborant, corruptorum quoque humorum labem obtundunt. Pineæ nuces integræ recenter arboribus decerptæ in passo franguntur, & decoctæ, uetustæ tussi, ac tabitudini conferunt, si quotidie ex eo liquore terni cya- thi bibantur.

Pini historia, eiusque gene- ra.

NOSTRÆ nimirum negligentie adscribendum foret, cum nos assidue habeant pinorum, abietum, picearum, & laricum syluæ, nisi harum omnium amplissimam, ueramq; historiam traderemus: eoq; magis ad hoc teneri uideor, cum animaduertim Plinium, recentiorumq; nonnullos eum secutos, in huiusmodi plantarum historia, qui resinas fundunt, longè ab eo dissentire, quod in Tridentinis montibus nostris oculis perspectum, apud alios etiam testatum relinquere possumus. Rem itaque à Pini exordiens, inuenio Theophrastum libro III. cap. x. de plantarum histo- ria, duas Pini species adnotasse, domesticam alteram, alteram uerò syluestrem: huiusq; in maritimam, & montanam distinctionem fecisse, hisce uerbis. Pinorum aliam urbanam, aliam syluestrem assignant. Syluestris binum statuunt genus, quorum alterum Idæam, alterum maritimam uocant. Harum rector, celsior, materieq; crassior Idæa: folio imbecilliori, tenuiori; maritima: & cortice læuiori, utili; ad coria. quod alteri minus. Nux maritimæ rotunda, breui; dehiscens: Idææ oblongior, uiridis, minusq; hiscens, tanquam syluestrior. haftenus Theophrastus. Ve- riam non desunt, qui contendant Theophrastum hæc de picea scripsisse, non autem de pinu: ea nimirum ratione freti, quod πένυκκ, de qua hic differit Theophrastus, Græcis piceam, non pinum significet. Quamobrem Petrus Bellonius Cenomanus communè Græcorum sententiã secutus libro, quem arboribus coniferis dicauit, id totum piceæ arbori red- didit contra Theodori interpretationē, quod Theophr. τῶν πένυκκ Græcè scriptum reliquit. Sed equidem hac in re Bellonium (pace uiri boni dixerim) hallucinatum arbitror, non quod propterea eum Græci sermonis imperitum iudi- cem, sed quod mihi uideatur non diu uersatus in Theophrasti & Galeni lectione, aut de plantis ijs scripsisse, quarum non certam habuit cognitionem. nam plura sunt, que eius opinioni refragantur. In primis mihi quidem non dubium est, quin ueteres Græci πένυκκν pro pinu, & πῖτρυν pro picea usurpauerint. Neq; certè uerisimile est, Theodo- rum Theophrasti interpretem natione Græcum, & linguæ tam Græcæ, tum Latine peritissimum, ignorasse quid per illa tam usitata & trita uocabula intelligerent Græci scriptores. Deinde Theophrastus ipse τῆς λέυκκς nucem σφόδραλοῦ uocat. ex quo palam fit, eū nomine πένυκκς de pinu, non autem de picea scripsisse. Quandoquidē σφόδραλοῦ

Petri Bellonij opinio explo- ra.

PINVS SYLVESTRIS.


PINVS MARITIMA.



non

PINVS MARITIMA ALTERA.

PINVS SYLV. MVGO.



PINVS SYLV. CEMBRO.



non aliud designat, quam nucem pineam, ut aperte declarat Galenus lib. 11. de alimentorum facultatibus his uerbis. Nux pinea boni ac erasi est succi, multumq; nutrit, non tamen facile coquitur. Appellant autem nunc Graeci ipsam non κόνιον, sed σπόβιον. Idem libro de cibis boni & mali succi, ita scribit. His ipsis plus erasi, non autem mali, succi habet nucleus pineus, qui κόνιος uocatur. ipsi uero etiam σπόβιον ueteres appellant. Item lib. VII. de simplicium medicam. facultatibus, sic inquit. Coni fructus, quem quidem & coccalon nominant, & strobilon &c. Ad haec commentario quarto de uictus ratione in morbis acutis apud eundem haec scripta leguntur. Nempe κόνιαλος ab Hippocrate dicitur, non ita, sed κόνιος magis ab antiquis Graecis appellatur, ueluti à recentioribus medicis propemodum omnibus σπόβιον. Galeno deniq; ad stipulatur Symeon Seibi, utpote qui nucleos pineos κόνια τὸν σπόβιον etiam nominet. Ex quibus utiq; constare puto contra Bellonij opinionem, Theophrastum sub πικύων uocabulo pinum descripsisse, non piccam. Nam si Theophrasto peuce strobilum profert, quem Galenus inter cibos connumerat, non uideo, quo modo is piccae fructus esse possit, cuius nucleus non sunt edendo, Bellonij etiam testimonio. Quod insuper hoc loco per πικύων pinum intelligat Theophrastus, illud maximo esse potest argumento, quod nusquam picca uisa sit urbana, nisi forte è syluestrium semine ad spectaculum in hortis sata. Cuius tamen contrarium deprehenditur in pinu, quae domestica atq; urbana frequentissima conspicitur. Hinc porro factum est, ut Bellonius sua ductus opinione, ex hoc in alium quoque errorem incidit. Quippe illud falsum est, quod ex teda piccae fiat pix, ut Bellonius asserit, perperam, meo iudicio, Theophr. hoc loco interpretatus. Siquidem rara admodum est picca, quae tedam habeat:

g 3 atq;

Pinorum syl-
uestrium spe-
cies.

atq; pix omnis, cuius est usus, ex pinea tantum teda conficitur in Italia, quemadmodum & in Bohemia, ubi ingentis-
sima ac frequentissima sunt pinorum sylva. Ceterum his, quae de syluestrium pinorum generibus scribit Theo-
phrastus, in nostro climate refragatur, quae sensibus clarissime patet experientia. siquidem agrestes, quae plurime in
maritimis nostris Senensibus proueniunt, fructum ferunt spithama oblongum, pyramidalem, firmum, ac solidum, nec
per se facile debiscentem. Quae uero numerosa uirescunt in Ananijs, reliquisq; Tridentinis montibus, fructu constat
paruo, breui, qui quam primum aruerit, affatim debiscit, & ex arbore decedit. Sed id euenire existimamus, climatum,
& regionum uarietate, uel etiam quod maritimae plura sint genera. quandoquidem in maritimis Pifarum oris sylues-
tres proueniunt pini, qui breues nuces edunt, cupressi modo, non tamen rotundas, sed acuminatas, ut pictura, quam
hic exhibemus, ostendit. Quinetiam in eodem Tridentino agro ipsam Ananijs, & uallis Flenarium montibus aliae duae
syluestrium uisuntur species a praedictis longe figura disidentes: quarum unam uulgo Mughi incolae uocant. quae sine
ne stipite medio, ramos circumquaq; a radice fundentes, humi repunt spatio cubitorum decem, quindecimq;: quales
etiam apud Ananos Rouena monte, & in alijs plerisq; harum uallium locis aperte conspici possunt. Proferunt haec
fructus paulo maiores caeteris syluestribus, sed qui magis resinam fundant. Harum ramis utuntur incolae ad uasa ui-
naria cingenda: sunt enim tenaces admodum, & flexiles. Alterius uero speciei sunt, quas Cembali, & Cirmoli uul-
go uocant, quarum numerosissimas plantas ipse saepe ac saepius uidi, tum in Gauija Phocbeae uallis, tum in Flenensibus,
Vulturenae, & Rhetinorum montibus. Haec quidem speciosa proueniunt proceritate, ita ut ad tabulas parandas mate-
riam non modo pulcherrimam praebent, sed etiam suauiter odoratam: attamen non tanta assurgunt altitudine, quan-
ta caeterae syluestres. Ramos e caudice promunt, ceu & picea, qui pini frondibus uirent. Caudicis cortex non ut pi-
no subrubet, sed abietis modo subalbet. Fructus tam longitudine, quam crassitudine piccoe quae similis est, breuior ta-
men, resinofus, colore in nigrum purpurascens: inter cuius nucamenta nuces recluduntur domesticis similes, mino-
res tamen, triangulares, breues, fractu faciles, ut quae dentibus facile cedant: sapore quadantenus domesticas refe-
runt, nisi quod gustui quandam penes insensibilem relinquunt asperitatem: quod omnium syluestrium proprium est. Ex
quo facile adducor, ut credam hoc nucum pinearum genus illud esse, quod Plinius libro xv. cap. x. Tarentinum
uocat, digitis fragili putamine, auumq; expositum furto in arbore. Etenim illae ita fragiles sunt, ut non difficul-
ter ab auibus rostro frangantur. Ab iisdem pinis resina tum alba, tum odorata, ueluti ab alijs sui generis
manat. Tabulae ex his paratae ad extruenda aedificia Germanis plurimi fiunt, non modo quod pulchra uena-
rum serie placeant, sed quod etiam odoris fragrantia praestent: id enim ad eorum hypocausta paranda, qui-
bus maxime ob frigidissimam regionis temperiem & indigent, & utuntur, plurimum affert ornamenti.

Bellonij alia
opinio explo-
sa.

Bellonius, cuius paulo ante meminimus, libro de arboribus resiniferis hoc pini genus (quantum ex eius uerbis col-
ligere potui) pinaster esse censet. Sed non recte, mea quidem sententia. namque pinaster, Plinio lib. xvi. cap. x. 30
auctore, nihil aliud est, quam pinus syluestris, mira altitudine: gigniturq; non modo in montibus, sed etiam in planis,
Bellonio uero contra, pinaster pino humilior est: & plana, & montium supercilia prorsus respuit, nec alibi proue-
nit, praeterquam in excelsissimis montium iugis. Huic profecto ut quis adstipularetur, fortasse ex eo adduci posset,
quod peregrinationi, quam ille in Asiam, Graeciam, Syriam, Aegyptum, aliasq; regiones se fecisse fatetur, plura
tribuere uellet, quam probatissimorum auctorum scriptis, quibus saepe Bellonius perpetuam refragatur, ita ut suam
putet auctoritatem illis praestendam esse. Sed ego miror, quod mihi relatum sit uirum hunc esse uulgaris peritiiae,
neq; tot loca peragrasse, quot eius scripta perhibent. Quod autem ad rem nostram attinet, Bellonius ubi pinasteri
historiam exorditur, hanc pinasteri uocem ex uersione Latina frequenter legisse ait apud Theophrastum, sed non pro-
pterea Theophrastum eam agnouisse plantam, quod non nascatur in Graecia, aut Asiae montibus: atque ideo nullum
esse ex Graecis auctoribus, qui de pinastro, aut pinu syluestri meminissent. Sed quanta sit huius boni uiri arrogantia, 40
& in Graecorum auctorum lectione negligentia, antea explicauimus, ubi ex Theophrasto scripsimus duo esse pini ge-
nera, unum urbanum, alterum syluestre. Verum amen si is mordicus suam tenuerit opinionem, quod scilicet Theo-
phrasto πικρα piceam significet, non pinum, & quod ex consequenti idem hic de picea syluestri sit locutus, demus
illi ita esse, quid respondebit ad illa Theophrasti loca, in quibus πικρα legitur: mehercule nihil, quantum
reor. Subijciamus ergo quae Theophrastus lib. iii. cap. iiii. de plantarum historia in censu arborum quae in monti-
bus nascuntur, contra Bellonij sententiam posteritatis memoriae prodidit, ijs uerbis. Ἰδία δὲ τὰ τοιαῦτα τῶν ὄρεων
ἴων, ἃ ἐν τοῖς πεδίοις οὐ φέρονται. πικρὰ δὲ Μακεδονίαν, ἑλλάδα, πικρὰ, πικρὰ ἄγρια. hoc est. Montibus autem
propria sunt illa, quae in planis non proueniunt. Macedoniae, abies, picea, pinaster. Addamus praeterea quae eodem
capite, ubi plantarum meminit, quae perpetuo uirent, idem sic habet. ἀειφύλλα μὲν ὄντων ἄγριων, ἃ καὶ πρὸς
τερον ἐλέχθη, πικρὰ, πικρὰ ἄγρια. id est. Ergo inter syluestria perpetuo uirent, quae primo uolumine retuli-
mus, abies, picea, pinaster. Ex his itaq; manifestum fieri arbitror, Bellonium multa in Theophrasto oscitanter legis-
se, plura etiam temere & falso scriptis tradidisse: ut hinc ipsum inanis gloriae, uel alicuius dignitatis cupidum po-
tius, quam ueritatis studiosum fuisse facile iudicem. Ceterum non potui non admirari dixisse Plinium, scanda-
lulam e pino ad contegendas domos, ex omnibus, quae resinam fundunt, arboribus aptissimas esse, cum lari-
cedem non ignoraret materiei praestantia, duritie, & firmitate, nulli equiparandam esse. Praeterea scribit
Theophrastus (nos id quotidie uidemus) quod pini interitus est, ut teda fiat. Cuius uerba sunt haec loco su-
pra citato. Morbum pinis accidere talem Idei incolae narrant, eion non solum cor, sed etiam pars externa
caudicis in tedam transuerit, tunc strangulari quodammodo. quod sponte accidit ubertate arboris largissima, quo-
ad quis coniectare possit: teda enim totum efficitur. Ergo haec pini propria affectio est. Quare autem pinus te-
da fiat, scribit idem Theophrastus libro vi. cap. xv. de causis plantarum, sic inquit. Pinus enim radicem agit teda
totam refertam, ut ante dictum est. Ratio eadem, quae in animalibus est, quod pars alimentii, quae ferbuerit, excocciatq;
sit,

Plinij lapsus.

Teda confi-
deratio.

fit, quoniam purgatissima est, asidet: & collecta, densataq; pinguedinem reddit. Reliquum uero sursum transmissum, partes, quae supra terram eminent, nutrit: non per illam pinguedinem subiens, sed per alios quosdam meatus. Nam quae in teda omni ex parte mutatae sint, obesitate moriuntur, ut dictum est: cum enim nullum transitum habeant, spiritus strangulantur, sicut animalibus accidit, quae ultra modum pinguerint. haec ille. Ceterum quod teda opus sit ad picem conficiendam, non defuit sane ratio, qua etiam arte fieri possit, ita ut pinus non sua utiq; sponte, sed artificio teda fiat. Id enim idem docuit Theophrastus libro 1 x. cap. 11. de historia plantarum, his uerbis. Ad eam ubi arboris caudicem cortice dispoliarint, quod parte solari, binis, aut ternis a terra cubitis facere consueuere, confluxum istuc fieri non sine teda uno cum plurimum anno affirmant. Idq; cum securi detraxerint, secundo iterum anno teda locum expleri: & tertio pari modo. Posthac ob eam paulatim incisuram arborem extenuatam, putrefactamq; humi facile a flatu prosterni, tum eius cor extrahi (hoc enim teda maxime praefert) necnon & radicem effodi. haec etiam ille.

10 Quibus palam est contabescente pino, tam sponte, quam arte fieri oririq; teda. Quamobrem putauerim hac in re non parum caecutisse Plinium: quippe qui lib. xvi. cap. x. ubi resiniferas enumerat arbores, teda propriam, & per se esse arborem censet, cum inquit. Sextum genus est teda proprie dicta, abundantior succo, quam reliqua: parciore, liquidiorq; quam picea: flammis, ac lumini sacrorum etiam grata. Et lib. eodem cap. xviii. Nunc, ait, celeberrimis arborum dictis quaedam in uniuersum de cunctis indicanda sunt. Montes amant cedrus, larix, teda, & caeterae, e quibus resina gignitur. haec Plinius. Verum si quis Plinij defensor diceret, per teda ipsam hoc in loco non aliud intelligere, quam pinum, atq; eum tueri uellet, hanc tutelam illud (ut puto) uanam esse ostendit, quod cum eo capite Plinius resiniferas arbores omnes per genera describat, et primum omnium genus pinum faciat, nullo pacto pinum pro teda accepisse uidetur, cum sexto resinarum generi teda postea adscripserit. Hinc fortasse & Marcelli error defluxit, qui in hoc

20 Dioscoridis capite, pinum teda interpretatur. In hoc etiam uersatur errore Adamus Lonicerus Ruellium secutus in suo de plantarum historia uolumine, ubi fictam potius, quam ueram arborem pro teda pinuisse uidetur. Sed animaduertendum est, non e pinu tantum fieri teda, sed ex alijs etiam plantis resina fundentibus, nempe larice, & picea: a quibus nos in Ananicis sibus sylvis pinguisimam excisimus. Quapropter dicebat Theophrastus lib. 1111. cap. vi. de historia plantarum, quod in Ponto ex syluestribus desint pinaster, abies, atq; picea, & omnino quae teda in se se gerunt. Quibus clare patet, alias praeter pinum arbores esse, quae in teda contabescunt. Sed quod id morbi magis pino eueniat, quam caeteris, propria pini affectio esse creditur. Quo fit, ut & in hoc Plinium errasse crediderim, qui non pini, sed laricis morbum esse ait, ut teda fiat: ac eidem omnes attribuit tum uires, tum notas, tum qualitates, quas Theophrastus pino reddidit. Quare cum Ruellius eum sibi familiarissimum ab huiusmodi lapsu uindicare uellet, non mirum, inquit, quod in hoc Plinius aequiuocatione sit usus, quando & perpetua fronde perinde ac pinus, sit

30 larix, & situs idem in montibus, eademq; facies, minime animaduertens, quam magno ipse quoq; fuerit errore implicatus: quemadmodum & recentiorum alij. Quandoquidem pro certo attestari possum, laricem me uidisse nunquam (etsi centenas laricum sylvas uiderim) cui per hyemem folia non deciderent, & quae tantam contraheret cum pino cognationem, quantam Ruellius tradidit. Itaq; ut uera eius quoq; promulgetur historia, hic ea de larice differemus, quae & uidimus, & experientia comprobauimus. LARIX igitur arbor est eximia proceritatis, cortice perquam crasso (non autem leuiori, quam picea, ut Adamus Lonicerus scribit) in rimas undique dehiscente, intusq; rubente: ramos gradatim circa stipitem totum emittens, adnatis compluribus salicis more lentis, colore luteo, odore non iniucundo: folijs circum ramulos prodeuntibus, densis, oblongis, mollibus, comosis, pineis angustioribus, minime aculeatis, quae aduentante hyeme pallida effecta ad caudicis radices decidunt, ibiq; marcescunt: ita ut sola larix inter caeteras resina fundentes arbores, spreta omni algoris immanitate, nuda per hyemem uitam transfigat. Nouella cupressum prorsum emulatur, non autem piceam, ut Ruellio placet. Eius conijunctio quam credidit Plinius laricem sterilem esse cupressinis admodum similes sunt, neq; ingratum efflant odorem. Veruntamen flores longe odoratiore sunt, qui uere emergentes e ramusculorum cacuminibus arborem uniuersam mirum in modum condecorant. quippe cum in purpura ardentem rubescant, comantibusq; foliolis, miro quodam naturae artificio annectantur, non parum uiatorum oculos remorantur. Ligni materies durissima, praefertimq; rubescens, & in caudicis medulla sita: eaq; propter in aedificijs omnibus extruendis, caeteras longe praecellit. Vanum profecto est credere (ut Plinius, Vitruuius, & recentiorum pleriq; perhibent) quod nec flagret Larix, nec in carbonem uertatur, sed ueluti calcarium saxum in fornace exuratur. Quandoquidem haud recte cum fornacibus ageretur, in quibus fit ferrum in Tridentinis montibus, & in ea praefertim ualle

Plinij error, & quorundam.

Plinij & Ruellij error.

Laricis historia.

Plinij, & Vitruuij error.

L A R I X.



tus: quemadmodum & recentiorum alij. Quandoquidem pro certo attestari possum, laricem me uidisse nunquam (etsi centenas laricum sylvas uiderim) cui per hyemem folia non deciderent, & quae tantam contraheret cum pino cognationem, quantam Ruellius tradidit. Itaq; ut uera eius quoq; promulgetur historia, hic ea de larice differemus, quae & uidimus, & experientia comprobauimus. LARIX igitur arbor est eximia proceritatis, cortice perquam crasso (non autem leuiori, quam picea, ut Adamus Lonicerus scribit) in rimas undique dehiscente, intusq; rubente: ramos gradatim circa stipitem totum emittens, adnatis compluribus salicis more lentis, colore luteo, odore non iniucundo: folijs circum ramulos prodeuntibus, densis, oblongis, mollibus, comosis, pineis angustioribus, minime aculeatis, quae aduentante hyeme pallida effecta ad caudicis radices decidunt, ibiq; marcescunt: ita ut sola larix inter caeteras resina fundentes arbores, spreta omni algoris immanitate, nuda per hyemem uitam transfigat. Nouella cupressum prorsum emulatur, non autem piceam, ut Ruellio placet. Eius conijunctio quam credidit Plinius laricem sterilem esse cupressinis admodum similes sunt, neq; ingratum efflant odorem. Veruntamen flores longe odoratiore sunt, qui uere emergentes e ramusculorum cacuminibus arborem uniuersam mirum in modum condecorant. quippe cum in purpura ardentem rubescant, comantibusq; foliolis, miro quodam naturae artificio annectantur, non parum uiatorum oculos remorantur. Ligni materies durissima, praefertimq; rubescens, & in caudicis medulla sita: eaq; propter in aedificijs omnibus extruendis, caeteras longe praecellit. Vanum profecto est credere (ut Plinius, Vitruuius, & recentiorum pleriq; perhibent) quod nec flagret Larix, nec in carbonem uertatur, sed ueluti calcarium saxum in fornace exuratur. Quandoquidem haud recte cum fornacibus ageretur, in quibus fit ferrum in Tridentinis montibus, & in ea praefertim ualle

Ananijs

Agaricum larici innascens.

Resina larigna.

Pannum in larice nascens.

Piceæ, & Abietis histor.

Abietis lacryma.

Ananijs contermina, quam Solis nuncupant, ac alijs multis Canonice, & Eliotropiæ uallis fornacibus, in Brixienfi agro, si larigno carbone carerent, cuius inibi maxima conflatur copia. Namq; (ut referunt in hac arte periti) nullo alio carbone in fornacem indito, rude ferri metallum tam celeriter colliquefcit, quam lariceo. quin & lignum eius siccum, cum abunde fit resinofum, impetu flagrat perquam uehementi. Quamobrem in Tridentinis montibus laricinis tantum lignis furnos incendunt, tam eos, quibus panis coquitur, quam quibus hypocaufta calefiunt. Ceterum selectiffimum Agaricum in larice prouenit. namq; ipse quidem sepius in Ananiensibus montibus præstantiffimum agaricum parua quadam securi à laricibus compluribus deieci, emiq; sepius ab his, qui resinas colligunt. Nascitur etiam agaricum (ut prodit Plinius) in Gallia, non in larice duntaxat, sed in alijs arboribus, præsertim glandiferis. Dioscorides, sicuti & Galenus, non satis compertum habet, an Agaricum fungus sit, aut radix, licet asserat in cedro gigni. Brasauolus agaricum Comachij in ilicibus inuenisse fatetur, necnon per Galliam equitans, id uidisse ait quercuum caudicibus inherere. Enimvero ipse in tota Hetruria, in alijsq; quam plurimis Italiæ locis, deniq; in multis Germaniæ, Carniolæ, Dalmatiæq; prouincijs, ubi syluæ quercubus, cerris, ilicibus, suberibusq; refertæ conspicuntur, non solum nunquam uidi, sed ne quidem audiui in his agaricum prouenire: tametsi illis inherere uiderim fungos alios plurimos lignea materie concretos, duos, ac nigros: quibus ubiq; passim fomites fiunt ad suscipiendum ignem, cum è siliçe caulybe excutitur: quinetiam ijs ignitis ad machinulas exonerandas uenatores frequentiffimè utuntur. Ad hæc quauis in Tridentinis montibus, præsertimq; Ananiensibus præter abietes, pinos, larices, & piceas, innumerabiles adsint quercus; in nulla tamen agaricum, præterquam in larice, nascitur. Porro ex larice etiamnum præstantiffima illa resina manat, quæ falsò officinis terebinthina uocatur, cum terebinthina ex terebintho proueniat. Verum cum mercatores præterito iam æuo terebinthinam ad nos minime afferrent, ob idq; larigna eius loco uterentur tum medici, tum myropolæ, facile factum est, ut larigna ex usu sibi terebinthinæ nomen uendicauerit. Et quòd larigna terebinthinæ nomen & locum antea passim occupauerit, ut etiam hodie in officinis eiusdem, si desit, uicem suppleat, omnibus notiffimum arbitror. Attamen Fuchsius uir alioqui doctiffimus, in libro, quem secundo edidit de compositione medicamentorum, scribit pharmacopœos legitime terebinthinæ uice abietinam supponere. Quæ in re aperte fallitur, quòd omnes (ut dixi) pro terebinthina larignam usurpent. Atqui Galeni tempore liquida picea terebinthinæ loco uendebatur, ut ipse libro tertio de comp. medic. per genera memoriæ prodidit, sic inquit. Ex harum genere est & larigna uocata, prædictis planè humidior: substantia uerò similis liquida picea, quam loco terebinthinæ institores uendunt ignorantibus eas discernere. est autem talis resina odore gustu, & facultate, quam terebinthina acrior. Cum hæc igitur, & terebinthina, larigna uocata per similem potentiam obtinet, sed tenuiori substantia, maioreq; discutiendi uirtute prædita est. Hanc Tridentini, ac etiam qui ijs contermini sunt, uernaculo sermone Larigà appellant, deflexa à larice, à qua emanat, appellatione. Hæc tamen fonte sua non desinit: sed qui ipsam colligunt, magno, & longo terebro laricis caudicem ad medullam usque per æstatem perforant, & inde manantem resinam uasculis quibusdam è piceo cortice paratis excipiunt. Splendidiorẽ mittunt iuueniculæ arbores, sicuti de thure diximus: turbidiorẽ uerò annosæ. Reperitur præterea in annosis laricum caudicibus prope medullam ipsam pannum quoddam albicans quandoq; cubiti amplitudine, corio, ex quo chirothecæ conficiuntur, adeò persimile, ut uix alterum ab altero discerni possit. Utuntur hoc incolæ ad uulnera glutinanda, & ad sanguinis fluores compescendos. Ceterum admodum inter se similes ex his, quæ resinam fundunt, arbores sunt PICEA, & ABIES, ita ut sepe etiam lignarios fabros fallant. Siquidem eadem utriq; proceritas: ambæ iisdem sunt folijs oblongis, duris, ac densis: utriusq; ramusculi produntur crucis in morem, à duorum duntaxat ramorum lateribus exeuntes: quod & folijs euenit. Verum tamen hoc tantum discriminis inter se habent, quòd piceæ folia colore sint abiegnis longè nigriora, quin & paululum latiora, molliora, leuiora, minusq; pungentia. Præterea piceæ cortex nigrescit, tenax est, lentus, & lori modo flexilis: abieti uerò albiat, et si flectatur, facile perfringitur. Piceæ rami plerunq; ad terram stentuntur: quod in abiegnis non uisitur. Lignis deniq; materies piceæ multo speciosior, ac etiam utilior: habet enim uenas rectiores, minusq; nodosas. In picearum genere sola foemina fructus adfert, sed in Ananiensibus, cæterisq; Tridentinis montibus abies omnis infructifera est, etsi Plinius abietem fructiferam fecerit. Picea fert resinam inter corticem, & lignum gummi modo concretam, licet nonnunquam ex ea defluat liquida, larignæ similis. Abies uerò inter corticem & corticem præstantiffimum liquorem illum concludit, quem uulgò LAGRIMO, quasi abietis lacrymam, appellant: de quo ueteres nihil (quod equidem sciam) posteritatis memoriæ prodidere. Nisi quæpiam dixerit, per abietis lacrymam intellexisse Galenum lib. III. de compositione medicamentorum per genera

ABIES.



genera paulò antè citato, pice à illam liquidam resinam, quam pro terebinthina institores uendebant. Cuius rei illud indicium esse uidetur, quòd scribat ipse, hanc et gustu, & odore terebinthine esse persimile, quod in abiegna lacryma maxime notatur: et quod insuper sit quadantenus terebinthina acrior. namq; huiusmodi qualitates in liquida piceæ resina minime reperiuntur. Quo fit, ut suspicandū putauerim, in his Galeni uerbis librariorum fortasse culpa mēdum aliquod subesse; licet constet antiquos scriptores in arborū resinas ferentium historia in quàm plurimis inter se differre, & alteram sepe pro altera (ut supra diximus) substituere. Auxit mihi suspicionem hanc Galenus: quippe qui scripserit deinde eodem libro in Euphorbij medicamento, inter resinas cæteris odoratiores haberi terebinthinam, & abiegnam, hancq; illa calidiorē esse. Falluntur autem, qui putant abiegnam lacrymam, clarissimam esse larignam: quando-

Error quorūdam.

10 elicitur: hæc uerò manat è laricis caudice ad medullam usq; perforato, ut ego experientia doctus facile attestari possum. Nam, ut rem omnem hac in historia exactius exploratam haberem, & à larice larignam, & ab abiete abiegnam per mēmet elicere libuit. Sunt qui huic illam admisceant, ut hac impostura magis lucrentur, eo quòd omnes abiegnam pluri faciunt, quàm larignam. Nec desunt qui pereolatam larignam, & ad ultimam claritatem redactam pro abiegna uenditent, cum rarissimi reperiuntur myropole, qui rectius alteram ab altera dignoscant. Sed fraus cognosci potest, quòd abietis lacryma substantia minus consistat, odore præstantissimo fragret, & gustui larigna sit amarior, ad animumq; asseruata quadantenus flauescat. Ea uulneribus recentibus maximum affert præsidium, quòd non solum glutinet, sed & mundet, & sarcotica habeatur. Pota renem calculos eiecit, arthriticos dolores mulcet, coxendicumq; cruciatus lenit. Capitis uulnera mirificè sanat, adeò ut hac sola nonnulli utantur. Additur & in antidotis balsami uice. Affirmat Ruellius abieti croceum florem innasci: uerum in Tridentinis montibus, ubi undiq; ea montes sylue-

20 scunt, Abies omnis est & floribus, & fructibus infœcunda. Sed ut ad picēam nostrā redeat oratio, non satis comperit habeo, quam arborem pro Picea intelligat Petrus Bellonius: quanquam ex imagine, quam exhibuit, atq; etiā ex notis, quas suæ picæ assignauit, aliquod pinastri genus intelligere uidetur. Cæterum arbor, quam idem sua tātūm auctoritate, ne dicam temeritate, ductus perperam Sapium uocat, ac abieti similem facit, non est (quantum ego conijcere potui) nisi legitima picea. Quippe hæc abieti adeò similis est, ut sæpe syluanos homines, & lignarios fabros salutat, ut supra dictum est. Idcirco Plinius lib. XVI. cap. XLIII. eadem folia reddidit piceæ & abieti, sic inquit. Infecta pectinum modo (intellige, folia sunt) piceæ, abieti. Its etiam idem Taxum similem fecit eodem lib. cap. X. quæ admodum & Dioscorides lib. IIII. Taxum autem (ut obseruauimus) maxime folijs æmulatur picea, quam magno & pudendo errore Bellonius Sapium appellat. nam Sapium, teste Plinio, pars tantum est in abiete, ut eius uerba declarant lib. XVI. cap. XXXIX. ubi ita scribit. Abietis quæ pars à terra fuit, enodis est. Hæc, qua diximus, ratione flu-

30 uiata decorticatur, atq; ita Sapium uocatur, superior pars nodosa duriorq; substerna. Quibus utiq; Plinij uerbis palam est Sapium non esse per se arborem, sed tantum abietis partem, sicuti etiā Vitruuius testatur. Verum Bellonius, quòd audiuerit tam picēam, quàm abietem indifferenter du Sapium suis Gallis nominari, hanc fortè uulgarem & confusam nomenclationem secutus, ut eam ueram putauit, ita etiam Picēam Sapium appellauit. Sed is mihi quidem non uidetur in Plinio rectè cōsiderasse resiniferarum plātārum historiam, neq; in Theophrasto cognouisse quòd πέννη & τήτυς significarent, neq; etiam animaduertisse, quòd hæc duæ uoces sæpe à Græcis una pro altera usurpantur. Sed hic fusius, quàm deceat, aliquot Bellonij errata persecuti sumus. alius enim locus erit, nisi quid mihi humanitus accidat, ubi alia plura in hoc genere consultò tractabimus. Arbor, quæ plerisq; Græcis τήτυς, Latinis Pinus appellatur: Arabibus, Sonobar: Italis, Pino: Germanis, Hartzbaum, & Kynholtz: Hispanis, Pino: Gallis, Pin. Quæ autem Græcè πέννη, Latine Picea nominatur: Arabicè, Arz: Italicè, Pezzo: Germanicè, Rot dannenbaum: Hispanicè, Pino negro: Gallicè, Vng abre du genre du pin. Quæ deinde Græco nomine λάριξ, Latino item Larix, Italico Larice, & Germanico Lerchenbaum uocatur. Quæ deniq; Græcis ἐλάτη, Latinis Abies dicitur: Italis, Abete: Germanis, Thannen, siue Thannenbaum.

Abiegnæ lacrymæ uires.

Bellonij opinio falsa.

LENTISCVS.



quòd audiuerit tam picēam, quàm abietem indifferenter du Sapium suis Gallis nominari, hanc fortè uulgarem & confusam nomenclationem secutus, ut eam ueram putauit, ita etiam Picēam Sapium appellauit. Sed is mihi quidem non uidetur in Plinio rectè cōsiderasse resiniferarum plātārum historiam, neq; in Theophrasto cognouisse quòd πέννη & τήτυς significarent, neq; etiam animaduertisse, quòd hæc duæ uoces sæpe à Græcis una pro altera usurpantur. Sed hic fusius, quàm deceat, aliquot Bellonij errata persecuti sumus. alius enim locus erit, nisi quid mihi humanitus accidat, ubi alia plura in hoc genere consultò tractabimus. Arbor, quæ plerisq; Græcis τήτυς, Latinis Pinus appellatur: Arabibus, Sonobar: Italis, Pino: Germanis, Hartzbaum, & Kynholtz: Hispanis, Pino: Gallis, Pin. Quæ autem Græcè πέννη, Latine Picea nominatur: Arabicè, Arz: Italicè, Pezzo: Germanicè, Rot dannenbaum: Hispanicè, Pino negro: Gallicè, Vng abre du genre du pin. Quæ deinde Græco nomine λάριξ, Latino item Larix, Italico Larice, & Germanico Lerchenbaum uocatur. Quæ deniq; Græcis ἐλάτη, Latinis Abies dicitur: Italis, Abete: Germanis, Thannen, siue Thannenbaum.

Nomina.

Σχίφος. LENTISCVS. CAP. LXXV.

LENTISCVS nota arbore est. Cui toti uis inest astringendi: semini enim, folio, ramo, cortici, radicibusq; cognatæ insunt uires. Liquamentum autem ita fieri solet. Folia, cortex, & radix in aqua coquantur, & ubi abunde cocta, refrigerataque sunt, folia abijciuntur: aqua denuo coquitur, donec mellis habeat crassitudinem. Lentiscus sua astringendi dote, ualet aduersus sanguinis reiectiones, alui profluvia, & dysenterias in potu: item contra eruptionem sanguinis è vulua, & eiusdem, aut sedis

dis procidentia. In totum acaciæ, & hypocistidis uicem repræsentat. Idem facit succus è tritis folijs. Decoctum fotu caua explet, & fracta ossa ferruminat, vuluæ fluxiones sistit, nomas arcet, vrinam pel- lit, motus dentium collutione stabilit. Virentes furculi calamulorum uice dentibus repurgandis af- fricantur. Fit è femine oleum astrictoriam uim habens: quod prodest, cum quid astringi opus est. Lentiscus resinam gignit, quæ lentiscina cognominatur, & ab aliquibus mastiche. Pota utilis est san- guinem reijcientibus, & tussi veteri: stomacho auxiliatur, sed ructum mouet. additur in dentifri- cia, & illitiones faciei, ad nitorem cuti conciliandum: palpebras oculis incommodas replicat: man- ducata halitum oris commendat, gingiuas contrahit. Optima, & copiosissima in insula Chio proue- nit. Præfertur, nitedulæ modo, resplendescens, & candore Tyrrenicæ ceræ similis, adulta, retorri- da, friabilis, odorata, stridorem edens. Viridis autem inferior est. Adulteratur thuris, resinæque pi- næ nucis mistura.

Lentisci con- sideratio.

LENTISCVS in Italia frequentissima nascitur, præsertimq; in Hetruria maritimis nostris Senensibus. Gi- gnitur in collapsis Romanorum ædificijs, ac ruderibus. Quinetiam in tractu Tyrreni ubiq; copiosa oritur, in Cam- pania maxime. Cæterum Lentisci nonnullæ sunt plantæ, quæ in arborem mediæ proceritatis assurgunt: nonnullæ uerò humiles, quæ nullo grandiore caudice à radicibus sublato, stolonibusq; innumeris corymborum acuminibus ad terram desclititur. ueruntamen Lentiscus tum raris, tum folijs densior constat, magisq; uirgultorum cæcumini- bus in ambitu tamen rubent, sicuti & quibusdam uenulis. Perpetua fronde uret. Cortice est subrufo, lento, tenaci, fle- xibiliq;. Profert terebinthi modo, præter racemosos fructus, folliculos corniculi modo intortos, in quibus includitur liquor limpidus: qui tandem ueterascens ueritur in bestiolas ijs persimiles, quæ ex ulmi, & terebinthi folliculis euolant. Tota planta grauius olet: quapropter nonnulli, quod olfactu caput aggrauet, ipsam deuitant. Sed Len- tiscum, quæ roboris magnitudine proueniat, folio sorbi, acinis syluestris punicæ rubentibus, ut Ruellius scribit, hætenus non uidi, nec id unquam me legisse memini apud probatos auctores. Idcirco Ruellium hac in re hallucinatum crediderim. quemadmodum & Hermolaum, qui ea esse lentisci folia existimat, quibus corarij Venetijs pelles confi- ciunt, uulgò proprie appellata foglia. Siquidem planta, à qua hæc folia decerpuntur, maxime à lentisco differt; est- cum terebintho aliquam habeat similitudinem. Fert etiam Lentiscus Italica mastichen, ut ipse attestari possum: quanquam non ea copia, qua in Chio, & Creta Aegæi insulis. Itaq; immeritò à nonnullis notatur Auicenna, quod mastichen Italianam memorie prodiderit. Quippe quod ij, qui maiori in errore uersantur, existinauerint non ali- bi fortasse, quam in Chio nasci. Indicam mastichen è spinosa quadam planta manare, non solum Theophrastus, sed et- tiam alij tradidere, quemadmodum & Plinius. qui lib. XII. cap. XVII. non modò Chiæ mastiches meminit, sed a-

Ruel. & Her- molai lapsus.

Mastiches cõ- sideratio.

liarum quoq; quæ in Arabia, Asia, Græcia, Pontoq; proueniunt. Lentisci meminit Galenus lib. VIII. de simp. medicam. facultatibus, sic inueniens. Lentiscus facultate ex aquæ essentia leuiter calida, & terrena frigida nõ pau- ca compositus est, ob quam & moderatè adstringit. Desiccatur igitur secundo ordine completo, aut tertio incipiente: in caliditatis, & frigiditatis differentia quodammodo est medius, & symmetrus. Similem omnibus sui partibus ad- strictionem obtinet in radicibus, ramis, extremis turionibus, germinibus, ac folijs, præterea fructu, & cortice: ac si succum ex folijs eius uiridibus exprimas, similis hic ordinis est, moderatè adstringens. Itaq; bibitur & per se, & cum alijs medicamentis, quæ dysenterias, & alij affectus sanant. quin & ad sanguinis expuitiones, sanguinisq; ex utero eruptiones, tum sedis, uuluaq; procidentias idoneus est, utpote ad hypocistida nonnihil propè accedens.

Lentisci uires ex Galeno.

Mastiches ui- res ex Gal.

Meminit idem & mastiches libro VII. simpl. medic. his uerbis. Mastiche candida quidem, & Chia consueto mo- re cognominata, quodammodo ex contrarijs composita facultatibus est, adstringente uidelicet, & emolliente. Pro- inde stomachi, uentris, intestinorum, iecorisq; inflammationibus competit, utputa secundo ordine exalfaciens, & desiccans. Nigra uerò, quæ Aegyptia cognominatur, tum magis desiccatur, tum minus astrictoriae facultatis est par- ticeps: quamobrem aptior est ad ea, quæ ualidiorem digestionem per halitum exposcunt. hac igitur ratione & fu- runculis bonum est remedium. Porro oleum, unguentumq; mastichinum ex Chia conficitur, non admodum sanè ex Aegyptia. cæterum similis est & ipsum mastichæ facultatis. Hæc de lentisco, & mastiche Galenus posteritatis memo- riæ prodidit. Sed cum mastiche mihi Caphuram in memoriam redegerit, quod certò sciam, eam mastiche, ardenti aqua, zedoariaq; ab impostoribus adulterari, cumq; Dioscorides, Galenus, & cæteri illius seculi scriptores ipsam non solum non adnotauerint, sed ne nouerint quidem, silentio minime dissimulandum fore putauimus, quò magis le- gentibus satisfiat, quantum tum à Serapione, tum etiam ab his, qui meridiensem plagam, & Indiæ ora hoc æuo nau- igationibus perlustrarunt, memoriæ proditum est.

Caphura hi- storia, & ge- nera.

CAPHURA igitur est gummi arboris cuiusdam in India nascentis tanta magnitudine, ac proceritate, ut sub eius umbra hominum centuriæ recondi possint. Nascitur hæc ar- bor in montibus mari propinquis, materie leui, ferulacea, qua prodit Caphura. Huius largioris prouentus augurium est, cum frequentibus cælum fulgetris corruscat, aut crebro tonitru constrepit, uel cum terra motu concutitur. Hu- ius multa traduntur genera. Vna in interuenijs ligni, lamellarum modo impacta figitur. Alia foras emergit cortice abrupto, ueluti resinæ, illisq; gummi modo inheret, maculis inter initia rubentibus, postmodum uel calore solis exto- sta, uel ignium ui candescit. hanc sumpto à rege quodam Riach illius loci nomine, indigenæ Riachinam appellant: quandoquidem is primus dealbandæ Caphuræ rationem adinuenit. Hæc cæteris & bonitate, & tenuitate præstat, longiori- que perdurat tempore. Alia crassior, nec pellucens, atro colore: proinde bonitate cedens. Tertia uilior re- peritur, fusco colore. Succedit huic impuriore alia, quæ arboris scobe, ramentis, & assulis implicita, gummi more agglutinata lentescit, tuberculo amaræ nucis, aut fabæ, aut ciceris. Hanc pontificum, & sacerdotum suffimentis, sicut

sicut thus, & myrrham, costumq; in templis dicant. Sed hæc omnes in duo tantum fastigia rediguntur, in rudem, & elaboratam. siquidem rudis est Caphura omnis ignem non experta: elaborata uero, quæ solis, uel ignis ardore excoctæ, atq; purgata album contraxit colorem, utpote & cera. Fuchsius lib. primo de componendis medicamentis, putat Caphuram esse bituminis Indici genus, quod scripserit Serapio auctoritate Almazodi, largioris Caphuræ prouentus augurium esse, cum cælium crebris fulgetris corruscet, aut plurimis strepit tonitruis, uel cum regio, in qua prouenit, terræ motu concutitur: argumento, quod similiter ex terræ concussu magna tum sulphuris, tum bituminis copia profundi soleat. Sed dissentit ab eo opinio nostra: quandoquidem nec Serapionis, nec aliorum quorumcunq; hanc fuisse sententiam existimem: cum tam ipse, quam cæteri, qui de Caphura scripsere, arboris cuiusdam uastissimæ proceritatis gummi, uel resinam Caphuram esse scribant. Nimirum oscitantur de hac scripsisse uidetur Platearius Salernitanus: quippe qui Caphuram gummi arboris esse inscribitur, Dioscoridis, & complurium testimonio, ex succo cuiusdam herbe fieri tradens. Quod profecto falsum est, cum nulli Caphuræ meminerit Dioscorides. Eam autem esse gummi non solum Auicennæ, & Serapionis testimonio probatur, sed & Lusitanorum, qui nostro æuo per meridiem ad Calicut orientalis Indiæ emporium nauigant. Credidere Serapio, & Auicenna, Caphuram tertio abscessu & siccare, & refrigerare: quæ tamen cum uehementer etiam in aquam proiecta conflagret, sit perquam odorata, & adeo tenuium partium, ut sepe per se in auram euanescat, illis reclamare uidetur. Quo fit, ut quis suspicari possit, aut legitimam Caphuram ad nos non aduehi, aut hoc loco Arabum monumenta (ut in alijs quam plurimis) esse satiata. Capitis dolores (si tamen in hac parte credendum est Mauritanis) ex calore prouenientes Caphura illita mulcet, incandescentes inflammationes restinguit, præsertimq; iocineris. Renes, & seminaria uasa refrigerat, sanguinemq; cogit. Circumlitonibus imponitur ad cutis nitorem conciliandum, & ad arcendas tam uulnerum, quam ulcerum inflammationes. Erysipelas extinguit, & aduersus gonorrhæam, & albas uulue fluxiones efficax est cum succino, & aqua nymphæe hausta. Idem præstat pubi, seu imo uentri, testibus, renibusq; illita: quæ tamen antea psyllij seminis spissamento, aut omphacio, aut solani succo probè sit macerata. Sanguinem e naribus profluentem sistit, aut cum urtica semine immissa, aut ex maioris sedi, & plantaginis succo fronti circumlita. Collyrijs ad calidas oculorum lippitudines utiliter imponitur. Renibus, ac testibus illita uenerem extinguit. Corpora à putredine præseruat: proinde commodè antidotis admiscetur, quæ contra uenena, uenenosorum animalium ictum, & pestilentes affectus faciunt. In uniuersum uribus innumeris pollet, quas breuitati consulentes prætermittimus. Legitimæ probatio talis est. In calido pane è furno recentissimè sublato, bipartitoq; manibus scisso, Caphura ponatur. quod si humore madaat, synceræ est argumentum: sin contra perarescat, spurie ac factitiæ signum. Ceterum nisi diligenter asseruetur, ex operculatis etiam capsulis nonnunquam euanescit: itaq; sepe deluduntur seplasiarij. Asseruetur tamen secure uase marmoreo, aut alabastrino, lini & psyllij semine sepulta. Nec desunt, qui eam pipere feliciter asseruari putent. quod nec planè comprobandum uidetur. Venetias Caphuram omnem rudem important, ibiq; igne, & arte uitreis organis elaboratur, sic ut eandescat, atq; pelluceat. *Σχίφος* Græcis, Lentiscus Latinis appellatur: Daru, Arabibus: Lentisco, Itali: Mata, aut Arueira, Hispanis: Lentisque, Gallis. Huius resina *μασίχη* Græcè uocatur: Latine, Mastiche, aut Resina lentiscina: Arabicè, Mastehc, Mastechc, siue Mastoehe: Italicè, Mastice: Germanicè ac Gallicè, Mastie: Hispanicè, Almastiga. Quod Arabibus Kaphor, seu Chafur, recentioribus Græcis *κάρφωρα*, ut etiam Latinis Caphura nominatur: Italis, Camphora: Germanis, Campher: Gallis, Camphre.

Fuch.opinio improbata.

Platearij error.

Caphuræ temperamentum, & uires.

Caphuræ probatio, & conseruatio.

Nomina.

TEREBINTHVS.



Τερεβινθος. TEREBINTHVS. CAP. LXXVI.

TEREBINTHVS cognita arbor est. Cuius folia, & semen, & cortex astringunt, & ad eadem, ad quæ lentiscus, conueniunt, simili parata modo, sumptaque. Fructus eius aptus est, sed stomacho aduersatur: excalfacit, vrinam mouet, uenerem excitat: contra phalangiorum morsus conuenienter in uino bibitur. Resina eius ex Arabia petraea defertur. Prouenit etiam in Iudæa, Syria, Cypro, Aphrica, & Cycladibus insulis. Sed præualet candida, perlucida, uitreo colore, & in cæruleum uergente, terebinthum olens. Terebinthina resinas omnes antecedit: proxima lentiscina, & è pinu, & abiete: has sequitur è picea, & pineis nucibus resina. Natura omnibus calfacere, mollire, discutere, expurgare. Tussi, ac tabi conueniunt per se, aut in eclegmate ex melle: vitia peccatoris expurgant, vrinam cient, cruda concoquunt, uentrem emolliunt, palpebras commodissimè replicant: lepras tollunt, cū ærugine, ac futorio atramento, nitroque; auribus

auribus sanie emanantibus cum melle & oleo, item in pruritu genitalium utiles. malagmatis, acopis que admiscuntur. Laterum doloribus per se, illitu & appositu auxilio sunt.

ΡΗΤΙΝΑΙ ἄλλαι.

RESINAE ALIAE.

CAP. LXXVII.

LIQUIDA resina è pinu, & picea, à Gallia, & Hetruria conuehi solet, atque olim à Colophone petebatur: hinc Colophonix sibi cognomentum uendicauit. A' Gallia quoque subalpina: quam uer naculo nomine larica, hoc est, larignam, appellant incolæ. Ea in linctu, & per se magnopere prodest tufsi ueteri. Colore inter se distant: siquidem alia candida est, alia oleosa, alia mellei liquoris similitudine, ut larigna. Cupressus etiam liquidam fundit resinam, quæ ad eadem pollet. Quæ uerò aridarum generi ascribuntur, quædam ex pineis nucibus, aliæ abiete, aliæ picea, & pinu exierunt. Eligi debet longè omnium odoratissima, translucens, non retorrída, neque diluta, quandam ceræ faciem præbens, & friabilis. E' picea, & abiete resinæ cæteras antecedunt: odoratæ enim sunt, atque thus odore imitantur. Præstantiores à Pityusa insula deferuntur, quæ secundum Hispaniam sita est. Sed quæ è picea, nucibus pineis, & cupresso manarunt, nihil ad illas, nec tantis uiribus potiuntur. Verruntamen eorundem gratia, quorum & illæ, sumi solent. Lentiscina terebinthinæ respondet. Vritur resina omnis liquida in uase quadruplæ capacitatis ad humorem, qui infunditur. itaque resinæ congius in duobus aquæ pluuiæ coquitur, subiectis leuibus prunis, resina assidue mouetur, donec omnis odor aboleatur, & friabilis, & retorrída reddatur, ac digitis cedat. Cæterum ubi refrigit, in fictile non picatum, quod aconitum uocant, id est, non illitum, reconditur. Fiet etiam eximij candoris, si resina omnis eliquata præcoletur, quò feculenta sordes excernatur. Vrruntur quoque sine aqua, primùm lento igne, & ubi coire cæperunt, maior carbonum strues supponitur, & triduo citra intermissionem discoquantur, usque dum antedictas naturæ suæ notas exuerint: mox, ut dictum est, reponuntur. Aridas unius diei spatio decoxisse satis est. Vstæ odoratis malagmatibus, & acopis, & unguentorum colorationibus magnopere utiles sunt. E' resina perinde atque thure, fuligo excipitur, ad circumlitiones idonea: quibus palpebras fucant, & colorem mentiuntur. prodest glabris genis, collacrymationibus, erosisque oculorum angulis. Ex ea fit atramentum scriptorium.

Terebinthi
stor. ex Theo
phrasto.

TEREBINTHORVM (ut Theophrastus memorie prodidit lib. III. capite XV. de historia plantarum) alia mascula, alia foemina. Masculæ sterilis est, ob idque sexui maris adoptatur. Foeminarum alia fructum proinus rufum promit, magnitudine lentis, qui concoqui nequit: alia uiridem editum, rufum postmodum tingit, & cum uua maturefcentem, nigrum nouissime facit, magnitudine fabæ, resinofum, & sulphurosium. Circa Idam, & Macedoniam breuis, fruticosa, contortaque nascitur: at apud Damascum Syriæ magna, copiosa, decoraque: montem enim iubi terebinthis refertum, ut nil aliud habeat, referunt. Materies ei lenta, radices ualidæ in profundo, atque in totum incorrupta hæc arbor habetur. Flos oleæ, uerim colore rufo. Folia circa unum pediculum, pleraque specie laurinorum, coniugatum, quemadmodum sorbo, quodque parte postrema acuminet, impar exit: uerim minus angulata, quam sorbo, ambituque laurino similia, & pinguis cum uniuerso fructu. Fert & ad nucis similitudinem quædam concava, ut ulmus: quibus bestiolæ tanquam culices innascuntur. Fit in his resinofum quid, lentumque: sed resina tamen non hinc legitur, sed à ligno. Fructus resinæ copiam non mittit, sed manibus tantum adheret: etsi non lauetur, postquam collectus est, inter se coherescit: cum uerò lauatur, candidus, probeque non maturus supernat, niger subsidit. Idem refert deinde lib. IIII. cap. V. historie plantarum, Indicam etiam annum Terebinthum haberi: cui foelia, & rami, & reliqua omnia terebintho similia: fructus autem diuersus, similis enim amygdalis. Nam & in Baetris terebinthum hanc esse, ferreque, nucis amygdalarum magnitudine: quoniam non magnas, sed uisu similes, & suauitate amygdalis præstantiores: & ideo loci illius incolæ his potius uti. hæc Theophrastus. Terebinthum uidi ego primùm in colle uulgo cognomine Castel Trento, non procul à ciuitate Tridenti prope Athesim, à Theophrasti historia haud quaquam dissimilem, facta huius uidendi mihi copia à clarissimo medico Iulio Alexandrino Tridentino: reperiique ipsam deinde in alijs compluribus Hetruriæ locis, uidelicet in collapsis Romanorum edificijs, ac ruderibus: sed frequentem admodum in lapidæ collibus prope Pucinum castrum, Adriatico sinu non longè à Tergesto. Ab hac sæpe, dum illac iter haberem, & fructus, & folliculos caprarum cornibus non absimiles, quibusdam intus bestiolis culicis figuram præ se ferentibus, & resinam decerpsi: quæ etsi omnium præstantissima sit; non tamen diu est, quòd Venetias defertur ex Cypro. Antea coctam afferebant, uel quòd esset aduectu aptior, uel quòd impostoribus ad adulterationem aditus hoc modo facilius fieret. Verim liquida ut per se ex arbore manat, iam frequens facta est. Cæterum quia terebinthina iandiu in Italiam non aduehebatur (ut supra à in laricis mentione diximus) larigna non modo terebinthinæ locum sibi uendicauerat, sed etiam cognomentum. At cum eodem loco à nobis de picea, picea, larigna, abiegnaque resina, & earum à quibus colliguntur arboribus, abunde scriptum sit, operæ pretium quidem non est, ut hic iterum ea repetamus. Scire tamen conuenit, rarissimas esse abietes in montibus Tridentinis, quæ præter fluentem lacrymam, aridam fundant resinam: sed si quædam inueniuntur, hæc est (ut Plinius inquit) arboris morbus. Cuius rei manifestum argumentum est, quòd omnis abies, quæ resinam fundit, tabida sit, putris, & cariosa. Brasauolus de resinis differens, Plinium in earum historia à Dioscoride dissentire autumat, quòd scilicet Plinius libro XXXIII. capite VI. tradiderit summæ resinæ species duas, siccam & liquidam: siccam in pinu, & picea fieri: liquidam è terebintho, larice, lentisco, cupresso. Dioscorides uerò ex pinu, & picea, & liquidam præter siccam haberi

Resina tere
binthina.Braf. opinio
reprobat.

haberi scriptum reliquerit. Quos tamen melius erat sic conciliasse, quod quanuis asserat Plinius, siccas resinas e pinu, & picea colligi; non propterea obstat, quominus ferant pariter huiusmodi arbores & liquidas, & siccas resinas. Quandoquidem in Tridentino tractu pluribus uarijsq; locis, e pinu, piceaq; antea longo tempore caesis, solisq; ardore aestuantibus liquidas resinas exudare comperimus larignae non absimiles. Quod etiam saepe euenit in asseribus ex hisce arboribus paratis, & in tignis, uel trabibus, quae edificijs coaptantur. Verum enim uero malum dicere Plinium errasse, quod liquidarum generi lentiscinam adscribat, quae est nostra mastiche, caeteris profecto durior. Ad haec scire etiam conuenit, quod quae in officinis Colophonia, Hispanica, Graecaq; dicitur, illius species est, qua Colophoniam ex quibus conficitur, uarietate. quippe (ut Dioscorides ait) alia candida est, alia olei, alia mellis colore, quae
 10
 20
 30
 40
 50
 60
 70
 80
 90
 100
 110
 120
 130
 140
 150
 160
 170
 180
 190
 200
 210
 220
 230
 240
 250
 260
 270
 280
 290
 300
 310
 320
 330
 340
 350
 360
 370
 380
 390
 400
 410
 420
 430
 440
 450
 460
 470
 480
 490
 500
 510
 520
 530
 540
 550
 560
 570
 580
 590
 600
 610
 620
 630
 640
 650
 660
 670
 680
 690
 700
 710
 720
 730
 740
 750
 760
 770
 780
 790
 800
 810
 820
 830
 840
 850
 860
 870
 880
 890
 900
 910
 920
 930
 940
 950
 960
 970
 980
 990
 1000
 1010
 1020
 1030
 1040
 1050
 1060
 1070
 1080
 1090
 1100
 1110
 1120
 1130
 1140
 1150
 1160
 1170
 1180
 1190
 1200
 1210
 1220
 1230
 1240
 1250
 1260
 1270
 1280
 1290
 1300
 1310
 1320
 1330
 1340
 1350
 1360
 1370
 1380
 1390
 1400
 1410
 1420
 1430
 1440
 1450
 1460
 1470
 1480
 1490
 1500
 1510
 1520
 1530
 1540
 1550
 1560
 1570
 1580
 1590
 1600
 1610
 1620
 1630
 1640
 1650
 1660
 1670
 1680
 1690
 1700
 1710
 1720
 1730
 1740
 1750
 1760
 1770
 1780
 1790
 1800
 1810
 1820
 1830
 1840
 1850
 1860
 1870
 1880
 1890
 1900
 1910
 1920
 1930
 1940
 1950
 1960
 1970
 1980
 1990
 2000
 2010
 2020
 2030
 2040
 2050
 2060
 2070
 2080
 2090
 2100
 2110
 2120
 2130
 2140
 2150
 2160
 2170
 2180
 2190
 2200
 2210
 2220
 2230
 2240
 2250
 2260
 2270
 2280
 2290
 2300
 2310
 2320
 2330
 2340
 2350
 2360
 2370
 2380
 2390
 2400
 2410
 2420
 2430
 2440
 2450
 2460
 2470
 2480
 2490
 2500
 2510
 2520
 2530
 2540
 2550
 2560
 2570
 2580
 2590
 2600
 2610
 2620
 2630
 2640
 2650
 2660
 2670
 2680
 2690
 2700
 2710
 2720
 2730
 2740
 2750
 2760
 2770
 2780
 2790
 2800
 2810
 2820
 2830
 2840
 2850
 2860
 2870
 2880
 2890
 2900
 2910
 2920
 2930
 2940
 2950
 2960
 2970
 2980
 2990
 3000
 3010
 3020
 3030
 3040
 3050
 3060
 3070
 3080
 3090
 3100
 3110
 3120
 3130
 3140
 3150
 3160
 3170
 3180
 3190
 3200
 3210
 3220
 3230
 3240
 3250
 3260
 3270
 3280
 3290
 3300
 3310
 3320
 3330
 3340
 3350
 3360
 3370
 3380
 3390
 3400
 3410
 3420
 3430
 3440
 3450
 3460
 3470
 3480
 3490
 3500
 3510
 3520
 3530
 3540
 3550
 3560
 3570
 3580
 3590
 3600
 3610
 3620
 3630
 3640
 3650
 3660
 3670
 3680
 3690
 3700
 3710
 3720
 3730
 3740
 3750
 3760
 3770
 3780
 3790
 3800
 3810
 3820
 3830
 3840
 3850
 3860
 3870
 3880
 3890
 3900
 3910
 3920
 3930
 3940
 3950
 3960
 3970
 3980
 3990
 4000
 4010
 4020
 4030
 4040
 4050
 4060
 4070
 4080
 4090
 4100
 4110
 4120
 4130
 4140
 4150
 4160
 4170
 4180
 4190
 4200
 4210
 4220
 4230
 4240
 4250
 4260
 4270
 4280
 4290
 4300
 4310
 4320
 4330
 4340
 4350
 4360
 4370
 4380
 4390
 4400
 4410
 4420
 4430
 4440
 4450
 4460
 4470
 4480
 4490
 4500
 4510
 4520
 4530
 4540
 4550
 4560
 4570
 4580
 4590
 4600
 4610
 4620
 4630
 4640
 4650
 4660
 4670
 4680
 4690
 4700
 4710
 4720
 4730
 4740
 4750
 4760
 4770
 4780
 4790
 4800
 4810
 4820
 4830
 4840
 4850
 4860
 4870
 4880
 4890
 4900
 4910
 4920
 4930
 4940
 4950
 4960
 4970
 4980
 4990
 5000
 5010
 5020
 5030
 5040
 5050
 5060
 5070
 5080
 5090
 5100
 5110
 5120
 5130
 5140
 5150
 5160
 5170
 5180
 5190
 5200
 5210
 5220
 5230
 5240
 5250
 5260
 5270
 5280
 5290
 5300
 5310
 5320
 5330
 5340
 5350
 5360
 5370
 5380
 5390
 5400
 5410
 5420
 5430
 5440
 5450
 5460
 5470
 5480
 5490
 5500
 5510
 5520
 5530
 5540
 5550
 5560
 5570
 5580
 5590
 5600
 5610
 5620
 5630
 5640
 5650
 5660
 5670
 5680
 5690
 5700
 5710
 5720
 5730
 5740
 5750
 5760
 5770
 5780
 5790
 5800
 5810
 5820
 5830
 5840
 5850
 5860
 5870
 5880
 5890
 5900
 5910
 5920
 5930
 5940
 5950
 5960
 5970
 5980
 5990
 6000
 6010
 6020
 6030
 6040
 6050
 6060
 6070
 6080
 6090
 6100
 6110
 6120
 6130
 6140
 6150
 6160
 6170
 6180
 6190
 6200
 6210
 6220
 6230
 6240
 6250
 6260
 6270
 6280
 6290
 6300
 6310
 6320
 6330
 6340
 6350
 6360
 6370
 6380
 6390
 6400
 6410
 6420
 6430
 6440
 6450
 6460
 6470
 6480
 6490
 6500
 6510
 6520
 6530
 6540
 6550
 6560
 6570
 6580
 6590
 6600
 6610
 6620
 6630
 6640
 6650
 6660
 6670
 6680
 6690
 6700
 6710
 6720
 6730
 6740
 6750
 6760
 6770
 6780
 6790
 6800
 6810
 6820
 6830
 6840
 6850
 6860
 6870
 6880
 6890
 6900
 6910
 6920
 6930
 6940
 6950
 6960
 6970
 6980
 6990
 7000
 7010
 7020
 7030
 7040
 7050
 7060
 7070
 7080
 7090
 7100
 7110
 7120
 7130
 7140
 7150
 7160
 7170
 7180
 7190
 7200
 7210
 7220
 7230
 7240
 7250
 7260
 7270
 7280
 7290
 7300
 7310
 7320
 7330
 7340
 7350
 7360
 7370
 7380
 7390
 7400
 7410
 7420
 7430
 7440
 7450
 7460
 7470
 7480
 7490
 7500
 7510
 7520
 7530
 7540
 7550
 7560
 7570
 7580
 7590
 7600
 7610
 7620
 7630
 7640
 7650
 7660
 7670
 7680
 7690
 7700
 7710
 7720
 7730
 7740
 7750
 7760
 7770
 7780
 7790
 7800
 7810
 7820
 7830
 7840
 7850
 7860
 7870
 7880
 7890
 7900
 7910
 7920
 7930
 7940
 7950
 7960
 7970
 7980
 7990
 8000
 8010
 8020
 8030
 8040
 8050
 8060
 8070
 8080
 8090
 8100
 8110
 8120
 8130
 8140
 8150
 8160
 8170
 8180
 8190
 8200
 8210
 8220
 8230
 8240
 8250
 8260
 8270
 8280
 8290
 8300
 8310
 8320
 8330
 8340
 8350
 8360
 8370
 8380
 8390
 8400
 8410
 8420
 8430
 8440
 8450
 8460
 8470
 8480
 8490
 8500
 8510
 8520
 8530
 8540
 8550
 8560
 8570
 8580
 8590
 8600
 8610
 8620
 8630
 8640
 8650
 8660
 8670
 8680
 8690
 8700
 8710
 8720
 8730
 8740
 8750
 8760
 8770
 8780
 8790
 8800
 8810
 8820
 8830
 8840
 8850
 8860
 8870
 8880
 8890
 8900
 8910
 8920
 8930
 8940
 8950
 8960
 8970
 8980
 8990
 9000
 9010
 9020
 9030
 9040
 9050
 9060
 9070
 9080
 9090
 9100
 9110
 9120
 9130
 9140
 9150
 9160
 9170
 9180
 9190
 9200
 9210
 9220
 9230
 9240
 9250
 9260
 9270
 9280
 9290
 9300
 9310
 9320
 9330
 9340
 9350
 9360
 9370
 9380
 9390
 9400
 9410
 9420
 9430
 9440
 9450
 9460
 9470
 9480
 9490
 9500
 9510
 9520
 9530
 9540
 9550
 9560
 9570
 9580
 9590
 9600
 9610
 9620
 9630
 9640
 9650
 9660
 9670
 9680
 9690
 9700
 9710
 9720
 9730
 9740
 9750
 9760
 9770
 9780
 9790
 9800
 9810
 9820
 9830
 9840
 9850
 9860
 9870
 9880
 9890
 9900
 9910
 9920
 9930
 9940
 9950
 9960
 9970
 9980
 9990
 10000

Colophoniam
confid.

Terebinthi ui
res ex Gal.

Resinaru ui
res ex Gal.

Nomina.

Γίσα υγρά.

PIX LIQUIDA.

CAP. LXXVIII.

PIX liquida, quam alij conum uocant, è pinguisimis pini, piceæque lignis congregatur. Optima est splendens, syncera, læuis. Contra uenena, phthisim, purulentam excreationem, tusses, suspiria, & pectoris humores, qui difficilè extulsiuntur, efficax est, eclegmate cyathi mensura cum melle dato: tonsillarum & uuæ inflammationes, anginaeque utiliter perunguntur: purulentis auribus infunditur cum rosaceo, & illinitur cum trito sale serpentium morsibus: adiecta uerò pari cera, scabros unguis extricat, impetiginesque emendat: vuluæ duritias, ac sedis tubercula discutit: cum farinaque hordeacea, & pueri impubis urina decocta, strumas rumpit: cohibet ulcera, quæ serpunt, cum pineo cortice, aut sulphure, aut fursuribus illita. Cæterùm cum thuris manna, & cerato profundos ulcerum sinus conglutinat: rimis sedis, & pedum magno auxilio illinitur: ulcera replet, & cum melle purgat: quin & cum uua passa, & melle carbunculos, & putrida ulcera emarginat, dirumpitque. Erodentibus medicamentis, quas septas uocant, probè immiscetur.

Γισέλαιον.

PICINVM OLEVM.

CAP. LXXIX.

E' PICE fit quod pisselæon appellant, separato liquore aquoso, qui supernatæ pici, sicut serum lacti. Nam expansa, quandiu pix coquitur, supra cortinam uellera pura madescunt, acceptoque halitu eius exprimuntur in uas, idque tandiu fiat, donec pix coquatur. Quas pix liquida, præbet utilitates: alopecias capillo replet cum farina hordeacea illitum: quibus & liquida pix medetur: iumentorum ulcera, scabiemque emendat.

Αιγυύς τῆς υγρᾶς πίκης.

FVLIGO LIQUIDAE PICIS.

CAP. LXXX.

FIT HOC MODO è liquida pice fuligo. In lucerna noua, quæ ellychnium habeat, nonnihil picis incendito, lucernamque fictili uase in clibani speciem conformato, superius in angustum fornicato, inferius perforato, ut clibani esse solent, operito, & adoleri finito: consumptoque liquore nouum infundito, quoad sufficientem usui fuliginem collegeris. Vis ei astringens, acrisque. Vtui est ad pigmenta, quibus palpebras linunt, & uenustant, & ad circumlitiones. Item ubi glabris genis pilos restitui oportet, ad imbecilles, lacrymososque oculos, insuper ad eorundem ulcera non inutilis est.

Γίσα ξηρά.

PIX ARIDA.

CAP. LXXXI.

LIQUIDA pix decocta in spissam coit, quam uocant aliqui palimpissam. quo in genere quædam uisci modo lentescit, boscas cognominata: altera sicca est. Probatum pura, pinguis, & odorata, subrufa, resinosa. Talis Brutia, & Lycia picis, resinæque simul naturam habentes. Calfactoriam uim habet: dura emollit, pus mouet, tubercula panosque discutit, ulcera replet: uulnerarijs medicamentis commodè permiscetur.

Ζώπισσα.

ZOPISSA.

CAP. LXXXII.

ZOPISSAM aliqui aiunt derafam nauibus refinam cum cera, quam alij apochyma appellant. Ea dissipandi naturam habet: quoniam marino sale macerata sit. Alij pineam refinam hoc nomine uocauerunt.

TAMETSI de pluribus Picis generibus, de oleo, earumque fuligine diuersis, ac proprijs capitibus differat Dioscorides; cum tamen horum omnium historia notior sit, quam ut à nobis explicari debeat, operæpretium non est, ut de his pluribus agamus. Sed quoniam fortasse nonnullos delectabit audire, quoniam modo pix ipsa conficiatur, ut illis & mihi sit satisfactum, hic rem paucis aperiam, omniaque de ea referam, quæ Tridentino tractu in Flemarum montibus coram clarè perspexi. Sic ergo picem, quæ passim naualis dicitur, eo quod picandis nauigijs sit aptissima, artifices conficiunt. Veteres pinos, quæ prorsus teda confectæ sint, in particulas securibus concidunt, ut ex aliarum arborum truncis ad carbonis opus fieri solet. Deinde uerò area ex creta pauit in medio paululum elata, extremitatibus æqualiter dependentibus, ut liquor è teda resudans in canalem totam aream ambientem facilius defluere possit. Itaque concisam tedam in area struis congerie locant, uelut in carbonis artificio: mox hac primum abietum, picearumque frondosis ramis undique tecta circumdataque, tum demum terra septa, lutoque obstructa, ne quouis modo fumo ac flammis pateat exitus, per foramen in cacumine paratum ignem succendunt eadem quoque ratione, qua & carbones coquantur. Quare cum desit locus, per quem flamma erumpere possit, sentiatque ob id congesta moles maximum ignis ardorem, pix liquitur, & per areæ pauimentum confluens in canalem circumpositum defluit, qui per alios canales inibi artificiosè paratos picem fluentem corruat in scrobes ligneis asseribus circumdatas, ne terra defluxam picem combibat: unde postea & dolia, & cadi, & utres implentur. Operis perfecti signum, si rogos decumbat, subsidatque, et liquor defluere destinat. Sic enim picem fieri uideamus à syluicolis eam parantibus, qui quodammodo secuti uidentur Theophrastum lib. IX. cap. III. de historia plantarum, ubi eadem firè ratione Macedones picem urere latius tradidit. Picis facultatem memoriæ prodidit Galenus lib. VIII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Pix sic-

Picis conficiendæ ratio.

Picis facultates ex Gal.

64

ra quidem desiccatur, & excoalescit secundo à mediocribus, siue symmetris excessu: ac plus desiccare potest, quam excoalescere. Humida uero contra, plus uidelicet coalescit, quam desiccatur: habetque nonnullam partium tenuitatem, qua & asthmaticos, & purulentos adiuuat. satis est autem Cyathi linxisse mensuram melli mistæ. Sed & abstergerendi quandam vim habent, atque concoquendi, digerendiq;: ueluti & in gustu subamarum quid obtinent, & acre. Sic leprofos ungues eximunt mistæ cum cera, lichenasq; detergunt: concoquunt item duros, & erudos tumores omnes cataplasmatibus indite. Ad ea omnia humida ualentior est: arida uero pix tametsi ad hæc quidem deterior est, glutinatis tamen uulneribus magis congruit. Ex his itaq; clarum est, humidæ picis calidam humiditatem assatim esse admiscendam. Meminit item Galenus picis fuliginis lib. vii. eorundem simp. ubi ita de omni fuligine scriptum reliquit. Fuligo omnis excoactoria est, ac proinde terrestris est essentia, habens quasdam etiam ignis, qui materiam comburit, reliquias: sed id pusillum est. Porro tota eius natura terrena est, tenuium partium. Sed quæ speciatim in ea differentia sunt, eæ pro uisâ materia eueniunt: ex acriore, & calidiore, tali etiam proueniente fuligine: ex dulciore simili quoq; & hinc fuligine proueniente. Primum enim thuris fuligine utuntur, in oculariis medicinis mistas, eas uidelicet, quæ ad oculos etiãnum phlegmone tentatos accommodantur, atque etiãnum fluxione uexantur, & ulcera habent: nam & illa expurgat, & carne implet. Ad hæc usurpant quoq; eam ad facultates, quas uocant calliblepharas. Præterea terebinthinæ, myrrhæq; fuligo molestia caret, non aliter quam thuris: sed styracis his quodammodo ualentior est: magis etiam picis liquida, qua etiam magis cedri. Porro acrioribus utuntur ad uitia palpebrarum uocata ptila, & erosos oculorum angulos, humidosq; circa phlegmonem. At mollioribus, mitioribusq; tum ad hæc, tum ad ea, ad quæ cõpetere paulò superius diximus thuris fuliginem. Πύραξις Græcis dicitur: Latine, Pix liquida: Arabibus, Eerf, Cest, Zest, aut Kir: Italis, Pece liquida: Germanis pix omnis, Bech: sicut etiam Hispanis, Pex negra: Gallicis, Poix fondue, liquida tantum. Πύραξις ξηρά, καὶ πάλι μπισσα Græcè uocatur: Latine, Pix sicca: Italicè, Pece secca: Gallis, Poix seche. Quod Græci πισσέλαιον, Latini Picinum oleum dicunt: Arabes, Kepsen, seu Kapse: Hispani, Azei de pez.

Fuliginum vires ex Galeno.

Nomina.

† Hoc loco non ἐνὸδῶς, id est, odorata, ut communis lectio habet, sed ἰξῶδῶς, hoc est, uisosa legitur in Orbasij codice manu scripto, libro xii. simplicium. Harum lectionum quæ sit melior in probatione picis sicca, aliorum sit iudicium.

Ἄσφαλτος, BITUMEN.

CAP. LXXXIII.

BITUMEN Iudaicum cæteris antepositur. Cuius probatio est, ut purpuræ modo splendeat, si tunc ponderosum, ac ualidum odorem uibret. nigrum autem & fordidum, uitiosum est. Adulteratur pice. Gignitur in Phœnice, Babylone, Zacyntho, & Sydone. Liquidum inuenitur in Agragantino Siciliae, fontibus innatans: quo utuntur ad lucernarum lumina, olei uice. Hallucinantur, qui id Sicilicum oleum nominant: nanque liquidi bituminis genus esse constat.

Πισσάσφαλος, PISSASPHALTVM.

CAP. LXXXIIII.

NASCITVR in Apolloniatarum agro circa Epidaurum, quæ pissasphaltos appellatur. Ea Ceraunij montibus deuoluta impetu fluminis rapitur, æstuq; in litus expuitur, illic coacta in glebas. mistam bitumini picem redolet.

Νάφθα, NAPHTHA.

CAP. LXXXV.

NAPHTHAM uocant Babylonij bituminis colamen, colore candidum: inuenitur etiam nigrum. Vis ei ignium rapax, ita ut ex spatio protinus in eam transiliant. Ad suffusiones oculorum, & albugines utilis. Bitumen omne discutit, glutinat, emollit, ab inflammatione tuetur: vuluarum proci dentia, strangulationesque olfactu, suffitu, imposito, emendat: comitiales morbos suffitum deprehendit, gagatæ lapidis more: purgationes mulierum cum uino, & castorio potum elicit: tussim ueterem, & anhelitum adiuuat: serpentium morsibus, coxendicum, laterumque doloribus auxiliatur: datur cœliacis in catapotio deorandum: cum aceto potum discutit sanguinem concretum: dysentericis cum ptisana liquatum infunditur: distillationibus suffitione medetur: mitigat dentium dolores oblitum. Cæterum pilos incommodos ficcum replicat, specillo impositum: concalsactum autem, & cum farina hordeacea, nitro, & cera illitum, podagris, articulorum doloribus, lethargicisque prodest. Pissasphaltos eadem, quæ pix, & bitumen, si misceantur, potest.

LEGITIMVM quidem Iudaicum Bitumen hoc æuo (quod sciam) in Italiam non aduehitur: id nanq; quo officinae utuntur, impostura quædam est, pice, petroleo, & alijs nonnullis parata. Igitur mirari non licet, si id Dioscoridis historiae minime respondere uideatur. Optimum in Iudæa prouenit in quodam lacu, quæ Iordanis amnis influit, qui ab urbe Hierico quindecim tantum millia passuum distat, si Brocardo fides habenda est, qui Palestinae topographiam edidit. Nil uero aliud bitumen est, quam pingue quoddam lacus illius aquis supernatans, quod undis uentoq; agitatum in littore concrefcit, densatur, coit, tenacissimumq; redditur. Nullum in hoc lacu (ut Galenus testatur lib. iiii. cap. xx. simpl. medicamentorum) animal, nullaq; stirpis innaescitur, neq; uisitur ob aquæ ingentem falsedinem. Imò eum duo ingentia flumina in eum confluant, in quibus pisces innumeri, præsertim in eo, quod prope Ierichontem fluit, quod Iordanem appellant, nullus omnino piscium fluminum ostia excedit. Quinimo, eodem auctore, de his, quæ in eum proijciuntur, nihil mergitur, sed instar nauis, super aquam fertur. Quippe hoc esse uerum probari

Bituminis cõsideratio.

h 2 facile

facile potest experimento, quod sensibus patet: nam unaquaeque nauis leuius admodum marinis, quam dulcibus fertur aquis. Proinde loco citato haec scite prodidit Galenus. At aqua, quae ex lacu Syriae Palaestinae, quem alij quidem mare uocant mortuum, alij stagnum bituminosum, gustantibus non salsa modo, sed & amara est. Salem uero etiam habet ex sese natum, perinde subamarum, primoque statim aspectu una cum uniuerso mari tum candidior, tum crassior apparet, falsugini merae similis: in quam si salem injicias, ne liquari quidem etiam possit: plurimum enim eius in se habet: ac si quis in eam se mergat, continuo sale tenuissimo uelut conuersus, undique emergere conspicitur. Quapropter etiam aqua illa, quam caetera marina grauior est, idque tanto pondere, quanto fluuiali marina. Itaque si uolueris te ipsum deicere in profundum, ne sic quidem poteris deorsum ferri: ita attollit, eleuatque aqua, non sane quia natura leuis sit, quod quidam ueterum sopheristarum prodidit, sed ut censuit Aristoteles, propter grauitatem instar luti, quae leuiora sunt, gestans. Proinde si hominem ligatis manibus, pedibusque in stagnum illius aquam conieceris, deorsum haud feretur. quin uero sicut naues in mari onera plura, quam in fluuijs citra submersionem portare ualent, eundem in modum in stagno mortuo multo plura, quam in mari. Tanto enim est, quae in illo est aqua, marina grauior, quanto marina lacustri, aut fluuiali. Inest enim ei salis substantia, quae terrea, grauisque est. Ipsaque tibi marinam, si lubet, efficere licet, sale in aqua fluuiali colliquato, cognoscereque, quanto grauior reddatur aqua eiusmodi, quam sit dulcis. Quin & modum iam inueniunt, moderatam ad salendum conficiendi falsuginem, si ouum in ea uideatur natum: nam ubi etiamnum sedit, ac nondum super falsuginis superficiem innatat, aquosa magis est, & dulcis: grauius uero salsa est, ubi tanta est salis copia indita, ut amplius liquari, qui postea adijcitur, nequeat. quam aquam si pendere non grauaberis, omnium aquarum comperies grauissimam. Itaque ego quandoque inanem esse diuitis cuiusdam ambitionem ostendi, qui tantam in Italia maris mortui aquam deuexit, quae cisternam implere posset. Nam id ipsum ego expedite praestitit, sale plurimo in aquam potabilem coniecto. haec Galenus. Lacus iste, quem aliqui mare mortuum uocant, ille quidem est, quem sacra testantur monumenta exortum esse, ubi Sodoma, Gomorrha, aliaeque finitimae ciuitates caelesti igne absorptae, subuersaeque fuerunt. Quod etiam Galeni auctoritate comprobatur, qui eodem loco citato lacum hunc Sodomum appellari scribit. Eructat continuè is (ut quidam Patriarcha Hierosolymitanus suis scriptis perhibet) nebulosos quosdam uapores fetorem intolerabilem uiibrantes, qui postea uentorum flamine per conualles olim fertilissimas exagitati, perpetuam sterilitatem relinquunt, ita ut longo terrarum spatio nec herba, nec arbor, nec ullum denique germen proueniat, neque uirescat, nisi iuxta Hiericum, ubi ab Elisei fonte irrigantur horti. Tradit Plinius hunc lacum longitudine centum millia passuum excedere, latitudine maxima uiginti quinque millia passuum implere. Idem Pissasphaltum inter picis genera meminit libro XXI. capite VII. sic inquit. Est & Pissasphaltos mista bitumini pice naturaliter ex Apolloniatarum agro: quidam autem ipsi miscent. Afferitur ex eodem agro etiamnum hoc quoque: siquidem ex Apollonia Epiri, quam uulgo Valoniam nuncupant, Venetias pissasphaltum pro picandis nauigijs copiosum importatur: quippe quod pice picis commistum, ualentissime id muneris praestet. Nuper ex Dalmatia afferri coepit, ubi prope Lesinam non longe a Narenta foditur: cuius amicus quidam mihi copiam fecit. Foditur & in Pannonia, ubi id incolae fissitiam ceram esse existimant. Scribit Fuchsius libro primo de componendis medicamentis, pissasphaltum nunc etiam tribus ferme miliaribus ab Ispruch reperiri, uocarique Germanico sermone Trischemblut, cuius portionem aliquam adhuc se habere fatetur, sibi a Georgio Collimitio transmissam, quae succensa bitumen ac picem uerissime redolet. Sed equidem uereor, ne ipse quoque decipiatur, una cum Georgio illo. Is enim lapidem gagatem, qui serè tribus ab ea ciuitate Germanicis miliaribus (ut Fuchsius inquit) in litore cuiusdam torrentis frequentissimus reperitur, pro pissasphalto ostendebat. Sed illius error, dum ego in Ispruch essem, a clarissimo Ioanne Petro Merendino medico Regio, & a me pariter deprehensus est: quod lapis Germanica lingua Trischemblut uocatus, etsi lapidis gagate modo conflaret, & bitumen redoleat accensus; nunquam tamen ut pice, & asphaltus igne liquefit, sed ligni, uel tede modo comburitur. Praeterea ultimum bituminis genus, quod Naphtham uocant, Plinius libro XI. capite CVIII. in Austagenis Parthiae inueniri prodidit, tantamque esse huic ignium cognationem, ut transfiliant protinus in ipsum undecumque usum. Quod etsi in Italiam aliunde (quod sciam) non inferatur; inibi tamen pluribus in locis id generis erumpit, quod eosdem cum igne praestat effectus: quale est, quod in agro Mutinensi seaturit, petroleum, siue saxum appellatum. Sed ut redeamus, unde digressi sumus, bitumen Sodomum non nisi fictitium, uel impostorium malitia adulteratum aduchitur. Proinde Brasauolus in syceri defectu Mumiam a Mauritanis uocatam substituit, quod certo crediderit, mumiam esse legitimum Palaestinum asphaltum. Quandoquidem existimauit, sicca tum Arabum, tum aliarum gentium corpora, quae pro mumia ex Syria, & Aegypto Venetias deferuntur, cum sint ex infima illius regionis plebecula, uice aloes, myrrhae, croci, & balsami ex more Iudaico, duntaxat asphaltum impleri: quod eorum pauperies aromatum sumptus non toleret. Hoc fundamentum hinc iecisse uidetur, quod Strabo literis mandauerit bitumen Sodomei lacus in usu esse ad tutanda hominum cadauera. Sed quantum ipse ex Arabum scriptis deprompsi, apud eos Mumia potius est pissasphaltum, quam asphaltum: siquidem scribit Auicenna, mumiam eadem praestare, quae asphaltus pice commistus. Ex quo facile coniecere possumus, cadauera illa pissasphalto tantum impleri. Cui etiam subscribit Serapio, qui de Mumia differens, ex Dioscoridis auctoritate, eadem, quae Dioscorides de pissasphalto tradidit, ipse uerbótenus ad mumiam retulit, sic inquit. Mumia est in terris Apolloniae: descendit namque ex montibus, qui ducunt flumina cum aqua, & eiecit eam aqua fluminis in ripis, & est coagulata, & fit sicut cera, & habet odorem picis mixtae cum asphaltum cum aliquo foetore: & uirtus eius est, sicut picis, & asphalti mistorum. Vnde potius asserendum putauerim, nostram Mumiam esse pissasphaltum, quam asphaltum. Et quauis dicat Strabo bituminis Iudaici usum fuisse ad conseruanda cadauera; non tamen negat, quin bitumini picem admisceant, fiatque pissasphaltum factitium. Verum Serapio, & Auicenna has mixturas optime nouerant, utpote quibus non modo Syri, sed & suae gentis Mauritanii uterentur. Quo fit, ut Brasauoli sententiam


Pissasphaltum
consideratio.

Fuch. & quorundam
lapius.

Naphtham
mētio.

Bras. opinio
improbata.

Mumiae
consideratio.



- 20 tentiam non probandam existinem, quod scilicet uulgaris Mumia bituminis loco in componendis medicamentis substituitur. Nanque Mumia præterquam quod est (ut puto) sincerum pissasphaltum, uel asphaltum pice mistum, concepit defluentem humorem, qui continuo è cadaueribus in sepulcris liquatur. Ex quo credendum est, eam non parum suam immutasse naturam. Porro satius ducerem Galenum, & Paulum consulere, qui in succidancis, si desit asphaltus, picem liquidam subdunt. Ceterum notare conuenit, Serapionem Mumiam Dioscoridis pissasphalto adieciisse, ut quæ aliquam inter se cognationem haberent, abinuicem non disungeret: non enim erat nescius, huiusmodi cadauera pissasphalto impleri, quemadmodum myrrha, croco, aloë, ac etiam balsamo simul admistis implebantur: quæ ueram tractu temporis consueiebant mumiam, cuius meminit eiusdem capituli initio, his uerbis. Mumia sepulcrorum fit è myrrha, aloë, alijsq; rebus bis additis, & humiditate, quam exudant humana corpora. Veruntamen hac nostra tempestate in Italiam haudquaquam aduehitur: quippe quod hac mixture nulla earum regionum cadauera præter nobilium, ac diuitem condiantur: & hi quidem sepulcra habent sibi constituta, diligenterq; oclusa. Idcirco non ita facile istorum corpora surripi possunt à mercatoribus illuc profectis, ut minori tum difficultate, tum suspitione auferri possunt pauperum, & ignobilium, asphaltum pice misto, uel ipso pissasphalto confarcta. Ideoq; apertissime falluntur, qui pro legitima Mumia arefactam istiusmodi cadauerum carnem assumunt, non autem eorum insarctum, ueluti seplasiariorum quam plurimi, qui carnes & ossa contundunt, eaq; medicamentis admiscunt, quæ mumiam exposcunt. Necessum igitur esset legitimam mumiam expetentibus, ut in hospitalibus nostris cadauera obeuntium aloë, myrrha, et croco repleti curarent, eamq; deinde suo tempore eximi. Hanc tamen nostram sententiã pluribus refellere contendit Petrus Bellonius Cenomanus, uir ex eo fortasse peritus iudicandus, quod profiteatur se Asiam, Græciam, Syriam, Aegyptum, & Arabiam peragrassè. Quippe qui putet, non aliam esse Mumiam apud Græcos, & Arabas, quam pissasphaltum. Sed quod eius argumenta non sint tanti momẽti, ut oppositum nobis persuadere possint, & quod potius idem hallucinetur, in epistolis, quas conscribere institui, adiuuante Deo, latius ostendam. Vbi etiam plurima eius errata atteximus, quæ in libellis, quos tum de medicamentis cadauera seruantibus, tum de resiniferis arboribus, tum etiam de piscibus condidit, legendo adnotauimus. Quandoquidem nostrum in primis institutum non est in his commentarijs nostras ad unguem tueri sententias, atq; ab erroribus, quibus notati erimus, nos uindicare; sed quantum possumus materiam medicam à mendis expurgare, eamq; illustriorem reddere, & in pistrinum candorem restituere conamur.

Bellonij opinio explora.

- 30 Porro Mumia, de cuius uiribus iam nobis disserendum est, (ut Arabes tradunt) quam plurimis pollet facultatibus: siquidem secundo ordine tum siccatur, tum excalescit: capitis dolores frigiditate abortos absq; humorum presentia mulcet. Medetur hemicranæ, paralyti, oris distractionibus, comitialibus, uertiginosisq; si ex amaraci aqua naribus immittatur. Leucoij oleo, siue hyoscyamino grani pondere subacta, ad aurium dolores frigidus utiliter in eorum concavitatem infunditur. Prodest quatuor granorum pondere ex thymbræ decocto resoluta, gulæ cruciatibus. Epota ex zizypharum, hordei, et myxorum decocto tribus diebus continuis, tuſsientibus opem non modicam præstat. Granorum item quatuor pondere sumpta ex aqua menthæ cordis affectus remouet: cum decocto uerò cimini, ammi, & cæri, tum uentriculi, tum intestinorum status discutit. Bibitur utiliter ab alto deuolutis ex silique Aegyptiæ medulla, additis Lemnia sphaagide, & rubiæ radice. Hausta trium, uel quatuor granorum pondere singultum inhibet, si tamen ex cumini, & apij decocto assumatur. Erinis imposita, additis moscho, castoreo, caphura, & oleo balanino, naribus commode inditur ad diurnos capitis dolores; præsertimq; cum, adhibitis alijs, contumax morbus non soluitur. Gargarizatur cum oxymelite aduersus anginam: & ad lienis affectus ex cæri decocto utiliter bibitur: & contra lethalia uenena ex decocto tribuli marini, & fœtidi laserpitij gumi iuuamento non modico sumitur. item ex mero contra scorpiionum ictus bibitur, ictisq; locis cum recenti bubulo butyro utilissime imponitur. Adstringit mumia illita externa sanguinis profluuia, pota uerò interna: proinde perutilis ad cruentas excretaiones. Ex caprillo lacte pota opitulatur exulceratæ uesciæ, internis penis desquamationibus, & urinam egre continentibus. Non desunt qui credant, humanorum cadauerum ossa in puluerem redacta, & in potu exhibita uarijs corporis languoribus prodesse, os suum uni-

Mumia uires.

Bituminis hi-
stor. & uires
ex Galeno.

Nomina.

cuiq; membro tribuentes. Quod penitus resellendum non est: si quidem ipse pluries uidi in comitali morbo cranium humanum in puluerem reductum maxime profecisse, sicuti etiam calculosis renibus, & eorum doloribus. Sed ad Bitumen redeamus, à quo nos penè disunxerat mumia, ne à nostro instituto recedamus. Huius meminit Galenus lib. x i. simpl. medic. sic inquit. Bitumen, unum & ipsum est ex ijs, quæ in aqua marina proueniunt, & in alia quapiam, quæ non est marinæ dissimilis, ut in Apollonio Epiri, & per alia id genus loca, multis aquis sponte nascentibus, ceu spuma quædam innatans hoc medicamen reperitur, & molle quidem est, dum innatat, postea uerò resiccatione pice sicca durius efficitur. Optimum uerò bitumen in mari, quod mortuum uocant, prouenit. Est autem id stagnum falsum in cœle, hoc est caua, Syria. Ceterum medicaminis ipsius uis est tum ressecatoria, tum excaustoria in secundo ordine. Merito itaq; eo utuntur & ad glutinationes uulnorum eruentorum, & ad alia omnia, quæ excicari debent cum modica excaustione. Nomen eius Græcum est ἄσφαλτος: Latinum, Bitumen: Arabicum, Hafsal icudi, siue Cheser alibend: Italicum, Bitume, & Asphalt: Germanicum, Iuden leim. Πιτ[τ]ῶσ[τ]αλτος uerò sic Græcis dicitur, ut Latinis Pissphaltum: Arabibus, Mumiæ, Mumiay, seu Mumia: Italis, Pissphalt: Hispanis, Cera de minera.

Κυπάρισσος.

CYPRESSVS.

CAP. LXXXVI.



Cupressi hi-
storia.

Adami Lonic-
ceri lapsus.

CYPRESSVS refrigerat, & astringit. Cuius folia ex passo, & exiguo myrrhæ pota, uesciæ rheumatismis, & urinæ difficultati auxiliantur. Pilulæ autem ex uino tusæ in dysenteria, alui fluxione, tussi, & orthopnœa, aut si reijciatur sanguis, conuenientissimè bibuntur: earum decoctum eisdem præbet effectus: tusæ cum fico duritias emolliunt, nariumque polypo medentur: in aceto coctæ, & cum lupinis detritæ scabros ungues eijciunt: hernias intestinorum prolapsu erumpentes illitu reprimunt. Folia eadem præstant. Pilulæ cum arboris coma suffitæ, culices abigere existimantur. Folia trita, & imposta uulnera conglutinant, sanguinem supprimunt: trita ex aceto capillum tingunt: illinuntur per se, aut cum polenta ignibus sacris, ulceribus quæ serpunt, carbunculis, & oculorum inflammationibus: admota cum cerato stomachû corroborent.

TAMETS I Cupressus arbor notissima sit in Italia: quin etsi uulgaris sint notitiæ eius fructus, quos tam Græci, quàm Latini conos appellant; attamen cum nihil de eius historia memoriæ prodiderit Dioscorides, ut lectoribus undequaq; sit satisfactum, hic nobis differendum est, quantum hac in historia à Plinio, alijsq; nonnullis edocti, cognoscere quiuimus. Aduena igitur quondam fuit Italiæ Cupressus, & difficillimè nascentium, natuq; morosa, ut quæ in educatione plurimum diligentia expetat, & præsertim in locis, ubi suapte natura non prouenit. Tradiderunt ueteres cupressum Diti sacram: & ideo funebri signo eius ramos ante domos ponere solebant, ubi aliquis defunctus iaceret. Ex quo more creditur eius umbra infausta, nec quidem gratiosa. Duo

habentur Cupressi genera, mas scilicet, & fœmina: hæc meta in fastigium conuoluta: ille uerò ramos in latus spargens. Harum patria, ac proprium natale solum Creta insula est. nanq; inibi quocunq; loco terra moueatur, subactaq; sit, nisi serantur alia, hæc sua sponte gignitur, atque protinus emigrat. In Idæis etiam montibus, qui ad Troadem spectant, non appellato solo, Cupressus numerosa sponte profilit. Quod admiratione non uacat, alibi non nisi tempore, & perquam diligenti cultura proueniens, & cultorem magnopere fastidians. Odere Cupressi flumina, lacus, omnesq; aquosos tractus, quo fit, ut in eiusmodi locis satæ confestim inarescant. Quod si rectè sciuisset Adamus Lonicerus, non tam facile (ut puto) scripsisset, cupressum humidis gaudere locis. Aspernantur & finium, quo etiam, si circumfossura impleatur, non multo post tempore percunt. Mira est Cupressi fœcunditas: etenim trisera est. colliguntur eius coni mensibus ianuario, maio, & septembri. Semen ijs innascitur, granis adeò pusillis, ac minimis, ut atomis comparari possit: ob id enim agrè perspicitur. Non omittendum naturæ miraculum, ex tam paruo semine gigni tam proceras arbores. Semen mirè formicis expeditur, ampliatio etiam miraculo, tantuli animalis cibo absumi natalem tantarum arborum. quo fit, ut fructiferæ Cupressi nunquam formicis sint destitutæ. Cupressus perpetua coma uiuet, eiusq; materies nec cariem, nec uetustatem sentit, ut etiam cedri, ebeni, lori, taxi, buxi, & oleæ. Proinde ueteres non aliam ob causam ex cupressina materie simulacra sculpebant, nisi quòd ad æternam diuturnitatem permansura putarent, ueluti Romæ illud Iouis in arce. Fert & Cupressus liquidam resinam Læignæ similem, sapore uerò acerrimam. Reliqua semina tradunt, folijs cupressi tussis si misceantur, à uermiculis quibuscuq; non tangi, neque erodi. Lignum autem (ut aiunt) nulla temporis diuturnitate sua uolentiam exiit. Sunt qui pu-

fillam

fillam cupressum, nonnullis etiam Cupresso uulgo dictam, abrotonum sceminam uocent, à similitudine, quam hæc cum arbore in multis habet. Idcirco nec fortasse aberraret, qui certò crederet, Plinium libro XXIII. capite xv. de chamæcyparisso herba differentem, de hac intellexisse: præsertim cum tradat, ipsam ex uino potam contra serpentium omnium uenena, scorpionumq; ictus pollere: siquidem & nostra hæc ætate pleriq; abrotonum sceminam ad idem usurpant. Quod item ad alui tineas necandas bellarijs immiscet, ut arte pueros ad comedendum alliciant. Hetrusci hanc Santolina uulgo nominant, de qua cum libro tertio in abrotoni mentione nobis latius sit differendum, hic plura dicere superuacaneum esset. Cupressi meminit Galenus libro VII. simplicium medicamentorum, sic in-
 10 quiens. Cupressi folia, germina, pilulæ recentes, & molles magna uulnera conglutinant in duris corporibus: ex quo clarum est, quòd resiccandi uim habeat absque insigni acrimonia, aut caliditate, sicut certè & gustus testificatur. Apparet enim in ea leuis quidem acrimonia, sed plurima amaritudo, multoq; etiam plus acerbicatis in tota planta. Tanta ei inest acrimonia caliditasq; quanta satis sit deducendæ in altum acerbicatis, ac nullam tamen mordica-
 20 tionem, aut caliditatem in corporibus efficiat. Proinde in alto latentes in flaccidis, putrescentibusq; affectibus humiditates innoxie, tutoq; depascitur, atque absunt: cum quæ excalfaciunt simul, desiccantq; eas quidem quæ contentæ sunt, absument: ceterum acrimonia, & caliditate alias attrahant. Sic enterocelicos iuuat: siquidem exiccat, roburq; addit corporis partibus præ humiditate laxis, utpote cum adstrictio in altum subeat, deducente ipsa calidi-
 30 tate, quæ admista est, cum seruante modum, ut deducere quidem ualeat, non tamen mordicare queat. Quidam ea utuntur ad carbunculos, & herpes polentæ miscentes, tanquam absunt citra excalfactionem eos morbos facientem humiditatem: Sunt qui ad erysipelata utantur, admista nimirum polenta cum aqua, aut oxycrato aquoso. Κυ-
 40 πρίσσος Græcè uocatur: Latine, Cupressus: Arabicè, Saro, aut Seru: Italicè, Cupressò: Germanicè, Cypres-
 50 sen: Hispanicè, Cipres: Gallicè, Cyprez.

Cupressus pu-
silla.

Cupressi ui-
res ex Gal.

Nomina.

Agnus. IUNIPERVS.

CAP. LXXXVII.

IUNIPERI genera duo: altera maior, altera minor. utraque acris est. Excalfacit, & urinam mouet: accensa serpentes fugat. Baccarum nonnullæ nucis iuglandis magnitudine nonnunquam grandescere, aliæ nucem Ponticam æquare inueniuntur, rotundæ, odoratæ, in mandendo dulces, subamaræ, quæ arceuthides etiam, id est, baccæ Iuniperi, nominantur. Modicè calfaciunt, & astringunt, stomacho utiles: contra pectoris vitia, tussim, inflationes, tormina, & serpentium ictus efficacissimè bibuntur: urinam cient, unde ruptis, conuulsis, & vuluæ strangulatui subueniunt. Folia acrimoniam habent: ideo tam ipsam, quàm eorum succum ex uino cõtra viperarum morsus illini, aut bibi prodest. Corticis cinis cum aqua illitus, lepras eximit.

REPERIUNTUR Græci Dioscoridis codices (ut etiã adnotatum reliquit Marcellus) in quibus Iuniperi caput prorsus deprauatum legitur, quibusdam additis, quæ Dioscoridis doctrinam minimè sapiunt. Siquidem nec Galenum, nec item Paulum Aeginetam, minusq; Serapionem, qui tamen uerbòtenus Dioscoridis scripta per capita singula refert, illud usquam posteritatis memoriæ prodidisse constat, quòd scilicet ramenta ligni Iuniperi epota homines perdant; præsertim cum eius baccæ contra serpentium ictus efficacissimè deuoerentur: bibaturq; ac illinatur foliorum expressus succus ad uiperarum morsus. Adde etiam quòd factò periculo id omnino falsum esse deprehendatur. Quare non modo non credendum, sed ne cogitandum quidem, eiusmodi ineptias à Dioscoride scriptas: quin potius illi adscriptas esse existimandum. His ergo rationibus adductus, non temerè partem illam, ut-
 30 pote additiam, ex hoc capite resecandam duxi. Maior, & minor Iuniperi species in pluribus Italiæ locis reperitur. Tuscia urbanas alit, quæ in proceram arborem assurgunt, uisunturq; hæc frequentes in agro nostro Senensi: quarum fructus syluestribus & crassior, & dulcior habetur. Iuniperi materies ad centenarios annos incorrupta perdurat: proinde iussit Hannibal (ut Plinius tradidit libro XVI. cap. XL.) templum Dianæ Ephesiæ Iuniperinis trabibus extrui, quòd per multas ætates esset duraturum. Igitur mirari non licet, si chymistæ asseuerant, carbonem Iuniperinum accensum, & suo cinere obrutum ignem integro anno fouere. Profert ex se Iuniperus gummi mastichæ simile, quod & Sandaracham, & Vernicem appellant. Hoc primum cum metitur, candido splendescit colore: senescens uerò in rufum abit. Porro haud ignorandum est, hæc Arabum sandaracham à Dioscoridis sandaracha perquam longè distidere. Namq; Græcis sandaracha est fossilis ad arsenici, siue auripigmenti genera referenda, erodens, & exitialis medicamentu, ut amplius in quinto libro, Deo duce, dicemus. Verum hæc sandarachæ nomenclatio in gummi
 40
 50

Iuniperi con-
sideratio.

Gummi Iu-
niperi.



mi Iuniperi inuenta fuit à medicis, qui Mauritanos secuti sandarach Arabicum nomen (sic enim Arabes Iuniperi gummi uocant) in sandaracham conuerterunt. Quamobrem illud adnotandum esse uidetur; quòd ubi Arabes, sandaracham medicamentis inserendam esse præcipiunt, gummi Iuniperi immiscendum intelligunt: ubi uerò à Græcis de sandarachâ fit mentio, fossilis illa rufa, & auripigmento similis, est intelligenda. Non desunt tamen qui uelint Mauritanorum sandaracham non esse gummi Iuniperi, sed Oxycedri. Quorum equidem iudicio ausim facile subscribere, etenim pauci admodum sunt, qui non putent oxycedrum esse Iuniperum maiorem: adeò ut pleriq; uulgarium illam ab hac nesciant distinguere. Tradit Plinius libro xiiii. cap. xi. plura gummi genera, ubi gummi Iuniperinum ad nihil esse utile scribit. Cuius tamen frequens usus in medicamentis contrarium indicat. Quippe hoc syncero, & oleo ex lini semine presso, fit uernix liquidus: cuius est usus ad illustrandas picturas, & ad nitorem ferri conciliandum: utilis etiãnum ad ambusta, & præcipuus ad dolores, & tumores hæmorrhoidum. Siccus uernix, hoc est gummi Iuniperi (ut auctor est Serapio) destillationes suspendit, mensium profluvia sistit, sinus exicat immistus, haustus uerò pituitam, quæ uentriculo, & intestinis hæserit: tineas & cætera uentris animalia necat. Neruorum resolutionibus, quas humores frigidi contraxerint, opitulatur. Capitis destillationes suffitu discutit. Idem exceptus sanguinis excretionibus suppressit, & hæmorrhoidas fluentes illitus. Addito tum rosacco, tum myrtino sedis rimas coërcet, & hiantibus frigore manuum, pedumq; scissuris illitu succurrit. In summa calfacit, & siccat primo recessu. Est & sandarachâ ceraginosi mellis genus apud Plinium, qui de ea libro xi. cap. vii. ita scribit. Præter hæc conuehitur Erithace, quam alij sandaracham, alij cærinthum uocant. Hic erit apum, dum operantur, cibus, qui sepe inuenitur in fauorum inanitibus sepositus, & ipse amari saporis: gignitur rore uerno. hæcenus Plinius. Ceterum oleum, quod ex Iuniperi materie (ut chymistæ dicunt) per descensorium duobus aduersis fictilibus, tum pariter uitreis instrumentis elicitor, calidum ore contentum dentium dolores mirificè mulcet, si tamen frigida defluxione afficiantur. Fit ex bacca 20
 Iuniperi uires ex Galeno. sic inuenitur. Iuniperus, calida, & sicca utriq; tertij ordinis. At fructus similiter quidem calidus est, sed non similiter siccus, uerum in hoc primi fuerit ordinis. Arbor Græca uoce ἀρνέυβις dicta, Latina Iuniperus appellatur: Mauritanica, Arconas, aut Archencas: Italica, Ginepro: Germanica, Vuelholter, & Krametbaum: Hispanica, Enebro: Gallica, Geneure. Eius autem gummi Græci uocant κόμμι ἀρνέυβιδος: Latini, Gummi iuniperi: Mauritanici, Sandarach: Itali, Gomma di ginepro: Germani, Verns: Hispani, Verniz: Galli, Vernix.

Βεῦβυς.

SABINA.

CAP. LXXXVIII.



Sabinæ confederatio.

Selago Plinij.

Opiniones quorundã reprobata.

SABINA duorum generum est. Vna folijs cupresso similis, spinis horridior, grauius olens, acris, & feruens. 30
 arbor est coactæ breuitatis, quæ sese magis in latitudinem fundit. huius folijs nonnulli pro suffitu utuntur. Altera tamarici folio similis est. Vtriusque folia nomas sistunt, collectiones illitu mitigant: quin & cum melle illita nigritias, lordesque repurgant, & carbunculos rumpunt: cum uino pota sanguinem per urinam eliciunt: partus apposta extrahunt, & suffitu idem præstant. Vnguentis calfacientibus immiscentur, & priuatim gleucino.

SABINA planta est in Italia uulgaris notitiæ, illa scilicet, 40
 quæ à Dioscoride primo generi assignatur, folijs cupresso similis, spinosior. uerum eius folia non adeò plene uirent, ut Cupressi, & in cacumine aculeata conspiciuntur. Quod tamen sepe imperitis negotium exhibet: siquidem aliquando uidi pro sabina assumi quandam herbam dodrantalem, quæ quibusdam in montibus plurima nascitur, folio tamaricis, licet nec odore, nec sapore sabinam referat. Hanc sæpius existimaui esse Selaginem à Plinio lib. xiiii. cap. xi. commemoratam. Nanq; inibi selaginem esse affirmauit, sabinæ similem. Olim selaginem contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum uitia suffitam prodesse. At tanta exitiit tunc temporis superstitionum magorumq; uanitas, ueluti & hoc æuo apud plerasq; gentium turbas uisitur, ut ij nunquam ad selaginem legendam accederent, nisi prius Dijs sacra fecissent. Quin & eam inualidam omnino censebant, nisi dextra manu, & nudis pedibus legeretur. Ceterum non desunt, qui plantam hanc, cuius hic imaginem damus, negent legitimam Sabinam esse, hoc, ni fallor, argumento, quòd hæc bacca proferat, 50
 quarum in sua Dioscorides non meminit. Vnde factum est, ut quidam putauerint, eam maiorem iuniperum esse, alij uerò thuiam, quam Theophrastus memoriæ prodidit lib. v. de historia plantarum. Verum utriq; meo iudicio, in errore uersantur: illi quidem, quòd hæc planta nec folio, nec flore, neq; fructu, non materie, non odore, neq; sapore, non cæteris deniq; notis iuniperum referat: hi uerò, quòd thuiam, ut est auctor Theophrastus, nascatur apud Ammonis

monis delubrum, atq; in Cyrenensi agro, forma cupresso similis cum ramis, tum folijs, caudice, fructuq; uel potius ceu cupressus syluestris. præterea quod, ut idem scribit, thuiæ materies omnino incorrupta perduret, nihil eius radice crispus sit, atq; simulacra ex ea antiqui sculpere sint soliti, quemadmodum ex cedro, cupresso, loto, & buxo. Hæc autem arbor conos seu galbulos non fert cupressi modo, sed baccas: caudice non attollitur longo, sed eo breui contenta est: materie non constat incorrupta solidaq; sed caduca & fungosa: non ut thuiæ peculiaribus locis gaudet, sed ubiq; ferè locorum nascitur. ut hinc maius atq; euidentius discrimen in ijs plantis appareat, quam ut illorum error, qui eas unam faciunt thuiam, pluribus explodi mereatur. Sed certè relinquitur, ut miremur eos, qui stirpem hanc, quam depictam exhibemus, ueram Sabinam esse inficiantur, cum nullis careat notis ex ijs, quas illi Dioscorides reddidit. Ea enim arbor conspicitur coactæ breuitatis, quæ in latitudinem magis effunditur, folijs cupresso similis, spinosior tamen: quin & grauius olet, & acris feruensq; sentitur. Atqui illud nobis obijciunt, quod Dioscorides in describenda Sabina nullam baccarum mentionem fecerit. id mehercule, quod legatur, non fecit. Sed quid dicent ij, si in quam plurimis plantis ex ijs etiam, quæ ab omnibus legitimæ habentur, plures notæ, & eæ quidem præcipuæ, nonnumquam desiderantur: quas nimirum Dioscoridem omisisse credendum est, uel quod plantæ eæ essent alioqui uulgo cognitæ, uel quod omnes earum partes non satis exploratas haberet, uel aliis ob causas, quas prosequi non est hic locus. quarum omnium aliqua facillè potuit esse, cur Sabinæ baccas non adnotatas reliquerit. Addam & id fortasse ex eo euenisse, quod Sabina frequenter sterilis occurrat, quam fructifera. Nam (ut equidem fateri possim) inter innumeras Sabinæ plantas, quas uarijs in locis mihi uidere contigit, tres duntaxat memini me obseruasse, quæ baccas ferrent, & eas quidem rubentes ac iuniperinis maiores. Id quod me quandoq; adduxit, ut putauerim in hoc Sabinæ genere marem & sceminam reperiri: atq; alteram raram esse in Italia, quemadmodum eam quoq; raro uidimus, quam Dioscorides secundo loco representauit, tamarici folijs similem, non autem aculeatam. Ex ijs igitur merito colligendum esse arbitror, hanc nostram Sabinam esse legitimam, ut quæ non solum notis Dioscoridis delineationi pulchrè respondet, sed etiam facultatibus. Porro Petrus Bellonius de arboribus coniferis differens, ijs ineptè satis, meo quidem iudicio, Sabinam admiscet: atq; in ea describenda, quam secundo loco ponit Dioscorides, mihi non parum hallucinatus deprehenditur, quod constanter affirmauerit se uidisse frequentissimum hoc Sabinæ genus in Amalano & Olympo Phrygiæ montibus, tota facie iuniperum maiorem referens, magnitudine amygdalæ arboris maioris, folijs cupresso per omnia similibus, baccis per maturitatem in cæruleo nigricantibus, & caudice resinam ferente. Etenim Dioscorides non tradit quæ sit huius plantæ facies, & quæ magnitudo, sed eam in folijs tantum à priori uariare scriptum reliquit. Quod non alia de causa auctorem hunc fecisse reor, quam quod sciret nullum utriusq; esse in reliquis notis discrimen. Quare quod alterum Sabinæ genus tota facie iuniperum maiorem referat, magnitudine amygdalum arborem æquet, cupressum folijs prorsus æmuletur, & ex caudice resinam fundat, ut Bellonius suum depingit, mihi quidem planè absurdum uidetur. Sed quod rem hanc turpiter confuderit Bellonius, uel ex eo manifestum esse puto, quod quam plantam nunc Dioscoridis alteram Sabinam asserit, eandem paulò post arborem illam constituit, quam Plinius lib. xii. cap. xvii. Brutam appellat, quasi Plinius non meminisset utriusque Sabinæ lib. xiiii. cap. xi. Tantum quidam suis peragrationsibus tribuendum esse putant, ut eos non pudeat sepe absurda, & fabulosa, & quæ cum summis & probatissimis authoribus pugnent, narrare ac scriptis tradere. Neq; certè id propterea dico, quod peregrinationes damnum, quas semper, Galeni exemplo, utilissimas duxi ad legitima simplicia medicamenta cognoscenda. Sed optarem, ut ij, qui multas regiones peragrarunt, illa tantum in medium proferrent, quæ essent rationi & ueritati consona, & ueterum scriptorum auctoritate comprobata. Quod si à Bellonio, qui tot terras se peragrassè profitetur, factum esset, nimirum eas laudes iure sibi comparasset, quæ rei medicæ inquisitoribus maximè debentur. Atque hæc obiter dicta sint. Quod autem idem Bellonius primum Sabinæ genus eam arborem suspicetur, quam Theophrastus thuiam nominat, non miror: nam & alijdem sentiunt. Verum quandoquidem hanc opinionem superius abunde (ni fallor) improbaui, ideo hic non est ut plura addamus, atq; idem repetere superuacuum esset. Reliquum igitur est, ut Sabinæ suas uires reddamus: de quibus Galenus lib. vi. simplicium medicamentorum disseruit ijs uerbis. Sabina ex numero est fortiter exiccantium, idq; secundum tres qualitates, quas in gustu præ se fert, similiter cupresso, nisi quod ea & acrior est, & ut sic dixerim, magis aromatica, seu odoratior. Igitur huius, quam modo dixi qualitatis est particeps, nempe acrimoniæ consistentis in temperamento calido, præterea amaritudinis, & adstrictionis obscurioris, quam in cupresso. Siquidem quanto magis acrimonia superat, tanto etiam potentius digerit. Itaq; glutinare nequit ob siccitatis, & caliditatis robur. nam utriusq; illi tantum inest, ut etiam tendat, & inflammationem asserat. At putredinibus similiter cupresso accommodari potest, maximè ubi rebelliores fuerint, & diuturniores. nam hæc citra noxam uim medicamenti perferunt. Quin & quæ atra sunt reddita, & admodum sordida, ea cum melle expurgat: carbunculos item soluit. Porro essentiæ tenuitate menses quoque prouocat, ut si quid aliud, & sanguinem per uenas mouet. Fœtum etiam uiuentem interficit, & mortuum eiicit. Esto autem hoc medicamen tertij ordinis, tum ex calfacientium, tum desiccantium ex numero eorum, quæ uel maximè tenuium sunt partium. Et hoc utiq; nomine uigentis inditur, & maxime gleuemo, & in multis antidotos iniicitur. Quidam uerò etiam cinnamomi uice duplum eius subiiciunt. Est enim extenuandi, & digerendi facultatis, si epotum fuerit. Βράδυς Græcè, Sabina Latinè uocatur: Arabicè, Abel, Abhel, seu Alharar: Italicè, Sabina: Germanicè, Senenbaum: Hispanicè, Sabina: Gallicè, Sauniera, aut Saunier.

Bellonij opinio absurda.

Sabinæ uires ex Galeno.


Nomina.

Κέδρος.

CEDRVS arbor magna est, ex qua picem colligunt, quæ cedria uocatur. Iuniperi modo baccas parit, baccarum myrti magnitudine, rotundas. Cedria optima est crassa, perlucida, grauis odoris: quæ dum effunditur, guttatim non dissipata coit. Cui ea uis inest, ut defuncta corpora conseruet, & uiuentia corrumpat: qua ex causa mortuorum uitam aliqui eam appellauerunt. Vestimenta quoque, & pelles eximia calfaciendi, & siccandi dote, corrumpit. magni ad ocularia medicamenta usus: quippe illita oculis claritatem affert, albugines cicatricesque detergit: instillata autem cum aceto, uermes aurium necat: cum hyssopi decocto infusa sonitus, sibilosque sedat: cauis dentium indita eos frangit, & dolores leuat: idem facit cum ex aceto colluitur: peruncto ante coitum genitali, concipiendi uim adimit: anginae ea perunguntur, tonsillarum inflammationibus auxilio est: lentes, pediculosque illitu enecat: cerastæ moribus cum sale imposita subuenit: contra hausta leporis marini uenena, in passo sumpta, auxiliatur: in elephantia aut linctu, aut perunctione proficit: pulmonum ulcera purgat, & si cyathus eius absorbeat, per sanat: vermes, & tineas subter indita necat, & partus extrahit. Fit & oleum à cedria separatum dum coquitur, uelleribus supra halitum eius expansis, ut in pice. Eiusdem ad omnia usus: priuatim uehementer perunctum, scabiem quadrupedum, canum, bouumque per sanat: ijsque inhærentes ricinos enecat, & ulcera, quæ ex tonsura acceperunt, ad cicatrices perducit. Cedrides cedri fructus uocantur. Calfactoriam vim habent: stomacho aduersantur: auxilio sunt tussi, conuulsis, ruptis, stranguriæ: menses ciunt ex polline piperis poti: contra haustum leporum marinum in uino sumuntur: serpentes fugantur, peruncto ex adipe ceruino, aut medulla, corpore. In antidota adduntur. † Fuliginem, quomodo ex pice, congeri oportet: quæ eandem, quam picea fuligo, uim præbet.

CEDRVS PHOENICIA.

CEDRVS LYCIA.



Cedri arboris
confid.

CEDRI arboris Theophrasto, Plinio, & Galeno duplex est genus, nempe maius & minus. Maius omnibus arbor est eximia magnitudinis, & proceritatis, atque à minori planè differens materie, cortice, folijs, & fructu. Plinius maioris cedri duo genera facit lib. xiiii. cap. v. ubi ita scribit. Et maioris cedri duo genera. quæ floret, fructum non fert: fructifera non floret, & in ea antecedentem fructum occupat nouus. semen eius cupresso simile. Quisdam cedrelaten uocant. Ex hac resina laudatissima. materie uero ipsi æternitæ. itaq; & simulacra deorum ex ea factitauerunt. Et libro xiiii. cap. v. idem inquit. Cedrus magna, quam cedrelaten uocant, dat picem, quæ cedria

dria uocatur. haecenus Plinius. Qui fortasse non ineptè magnam cedrum cedrelaten appellauit, quoniam cedri arbores, quæ in monte Libano proueniunt (ut mihi retulerunt amici, qui uniuersam ferè Syriam peragrarunt) tota facie abietem referunt. Abies autem Græcis ἄβις dicitur. unde cedrelate poterit cedrabies Latine reddi. Arbor hæc (ut iisdem mihi narrarunt) adeò magna & procera est, ut nusquam arborem se uidisse affirmet, quæ cedrelaten magnitudine excellat. Cortice uestitur læui & glabro, ea parte excepta, quæ à terra ad primos usq; ramos attollitur: hæc enim aspera cernitur. corticis color est ceu loti arboris. Rami ab imo usq; ad cacumen ferè in rotæ modum per interualla caudicem cingunt, & spatiantur: qui tantò minores uisuntur, quanto superius erumpunt. hinc est, quòd eminus conspecta arbor pyramidis faciem representat. Folia illi capillata assignant, ueluti larici, uel pino, breuiora tamen, & minime aculeata. id quod etiam testatur Plinius lib. xvi. cap. xxiiii. Conos profert piceis æmulos, uerùm longiores, duriores, & uegetiores, pediculo pertinaciter inherentes. in quibus semen includitur cupressi simile, ut Plinius tradit. Caudex resinam fundit albam, & liquidam: sed tractu temporis, solis feruore in grumos con crescit. Sunt qui asserant, hanc cedrum duplicem resinam ferre: atque alteram intra corticem uomicæ modo coaceruari, ut abiegnam lacrymam in abiete oriri superius diximus: alteram uerò extra corticem emanare. utranq; ab arbore cedriam nominant. Hæc sunt, quæ de magna cedro à peregrinis accepi. In quibus utiq; admirari subit, quòd Theophrastus, & hunc fortè secutus Dioscorides scripserint indifferenter cedri genus omne fructum edere iuniperi baccis similem, & asiosorem. nam reuera Cedrus magna, de qua hic tantum scribit Dioscorides, conos parit piceis similes. Porrò Cedrus cor habet durissimum, ac odoratum, colore perinde rubens atque larignum. Tota cedri materies durissima. quam ob causam credidere maiores, eam neq; cariem, neque uetustatem sentire, sed æternam esse.

Qua etiãnum ratione ductus Salomon Hebreorum rex Dei optimi maximi templum Hierosolymis ex cedri materie extruenda curauit. Ex ea quoq; prisca simulacra factitariunt, existimantes tantam illis inesse diurnitatem, quantum marmoreis, aut metallicis. Cedri materies optima nauigijs non modò extruendis, sed & palatiorum, & arcium fabricis conueniens: quippe quoniam incorrupta quasi in perpetuum perdurat. Cedrus saxosis & frigidis locis gaudet, & montes amat præ cæteris tractibus. Perpetua coma uiret, quæ si castretur, decacuminata demoritur, nec unquam inde regerminat, utpote & cupressus, pinus, larix, & aliarum plures. In Aegypto ac Syria (ut Theophrastus & Plinius narrant) reges inopia abietis cedro ad classes feruntur usi. Maxima ea in Cypro traditur ad undecimem Demetrii succisa, centum triginta pedum longitudinis, crassitudinis uerò ad trium hominum complexum.

Ceterum minoris cedri binæ item species sunt (ut prædicti auctores testantur) Lycia, & Phœnicia, iuniperi similitudine. differunt folio: nam Phœnicia folium habet iuniperi, durum, spinosum, acutum, & ob id oxycedros appellatur. Lycia uerò folio constat minore, frequentiore, longè minus aculeato, ut ita iuniperum paruam quadantenus referat: cortice obducitur subrubro, & ramos emittit lentos, uitilium instar. Vtraque omni tempore fructum gerit: uerùm in oxycedro maior & pulchrior spectatur. Phœnicia cedrus frequentissima nascitur in Istria, atque etiam in nonnullis Iapidie locis, iunipero admodum similis, nec nisi fructu differens, maiore, rubente, ac dulci: quo tamen eam incolæ à iunipero nesciunt discernere. At eum ipse oxycedri ramusculo esse donatus à Georgio Reffingero primario prouincie Carniole medico, qui illum ex Pestino Istriae oppido secum attulerat, rubentibus baccis undique refertum, eaq; in memoria haberem, quæ apud Theophrastum, Galenum, ac ueteres alios legeram, mihi quidem fructum intuenti statim inclinauit animus, hanc plantam minorem esse cedrum. Etenim (ut memorant stirpium scriptores tum ueteres, tum recentiores) difficile admodum esset dignoscere oxycedrum à iunipero, nisi huic ceruleus, pumilusq; illi uerò stauus rubensue, ac grandior fructus inesset. Eam igitur plantam, quam in Istria nasci diximus, & cuius hic effigiem damus, non maioris cedri genus ullum, sed minoris speciem esse censemus, nimirum

Phœniciam, quæ & oxycedros uocatur. De Lycia autem cedro quid sentirem, uel quam plantam pro ea in medium proferrem, haecenus non habui, ut quæ mihi planè incomperta esset. Sed hoc anno, dum Pragæ Bohemorum ago, plantam mihi ostendit Adamus Leonorus spectatæ doctrinæ, & magnæ spei iuuenis, ex quibusdam Morauie montibus à quodam uulgaribus herbario pro Sabina allatam. Vt autem ille hanc ueram cedrum Lyciam adinuenit, & pro ea mihi demonstrauit; ita mihi eius cognitionem illi acceptam referre iucundum est: atque ideo ipsam picturam, quam hic damus, exprimere curauit. Huius plantæ folia si digitis atterantur, suauissimum spirant odorem, illi quadantenus similem, qui in pinorum strobilis percipitur. Ea baccas profert, longè tamen minores quam altera, quæ in ramusculorum tantum cacuminibus prodeunt. Hæ non secus ac ille primo exortu uirent, mox stauescunt, denique rubent ubi plenè maturuerint. Saporem habent subamarum, atque non obscure odoratè sentiuntur. Manat ab arbore cedri (ut supra dictum est) etiam resina, quæ proprie Cedria dicitur, utilis ad multos in medicina usus. Sed

hanc ad nos non adferunt Cyprij, neque mercatores, qui ex Syria mercimonia conuehant: tametsi regiones illæ plurimis (ut aiunt) cedris maioribus scateant. Petrus Bellonius lib. i. de medicato funere, item libro de coniferis arboribus putat non modò cedrum Cedriam fundere, sed & piceam, tedam, laricem, cupressum, iuniperum & betulam. Quinetiam idem suis malè excogitatis cedrijs eas omnes facultates assignauit, quas Dioscorides, Galenus, & alij quam plurimi auctores cedriæ duntaxat reddiderunt: adeò ut magno ac ridendo errore dixerit suas hæc cedrias defuncta corpora conseruare, quemadmodum ea conseruat legitima cedria, quasi idem quoque uelit, quòd picea, pinus, larix, cupressus, iuniperus, & betula nullis prorsus inter se facultatibus differant. Neque certè alia uidetur mihi auctoritate uel ratione ductus, ut in hanc uerit sententiam, quam hæc, quòd scripserit Plinius lib. xvi. cap. xi. piceam in Syria cedrium uocari. Sed quòd Bellonius maxime hallucinetur, utpote qui Plinium non rectè intellexerit, ex uerbis Plinij, quæ modò subiiciam, satis, ut puto, manifestum fiet. Pix, inquit, liquida in Europa è teda coquitur naualibus munitendis, multòsque ad alios usus. Lignum eius concisum furnis undique igni extra circumdato feruet. Primus sudor aquæ modo fluit in canali. Hoc in Syria cedrium uocatur. cui tanta uis inest, ut in

Cedri minoris genera.

Bellonij opinio falsa.

Aegypto

Aegypto corpora hominum defunctorum ea perfusa feruentur. Ex ijs Plinij uerbis non aliud (meo quidem iudicio) intelligi potest, quam quod Syri liquorem illum cedrium uocauerint, quoniam olim ij ex cedro tantum picem suam conficiebant, ut ea in Europa e teda fit. Quod autem pix ex cedro paratur, auctores esse possunt Dioscorides, Galenus, & Plinius: non tamen contra, quod cedria ab alijs resiniferis plantis defluat. Adde quod à ueteribus, nempe Theophrasto, Dioscoride, & Galeno, nusquam (quod equidem sciam) memoriae proditum est, resina aut picis genus illum defuncta corpora conseruare, & uiuentia corrumpere, praeter cedriam, de qua omnes illi id scriptis tradiderunt. Ex quo abunde constare arbitror, Plinium quidem loco citato de pice tantum cedri scripsisse, Bellonium uero in hoc similiter hallucinatum fuisse, atque in alijs pluribus rebus, ut aliquando, Deo iuuante, latius ostendemus. Ceterum uariat in Dioscoridis codicibus de cedria lectio. Quippe uulgata Βαρεία Τη ὄσμῃ habet, id est grauis odore, cum tamen antiquissimus codex manu scriptus habeat ἔντονος Τη ὄσμῃ, id est uehemens odore. quod indicat cedriam esse uehementer odoratam, non autem grauius olere. Quod etiam maxime testatur Virgilius libro

VII. Aeneidos his uersibus de Circe canens.

Proxima Circeæ raduntur litora terræ,
Diues inaccessos ubi solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisq; superbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenues percurrrens pectine telas.

Fuchsj opinio.

Cedri & Cedreae uires ex Galeno.

Nomina.

Gummi cedri meminit Fuchsius uir eruditissimus libro illo de componendis medicamentis, quem postremo locupletatum excudit, in compositione antidoti Mithridatis: proq; eo, quando non possit inueniri, lacrymā abietis substituendam praecipit, ratus utiq; eandem utriq; facultatem inesse. At ego quidem Galenum secutus malim ladanum substitui, donec ab alijs aptiora proferantur, quorum meliori iudicio subscribendum sit. Neq; inepte fortasse iuniperinum gummi illius uicem supplere poterit: quandoquidem constat omnibus rei herbariae studiosis tantam inter cedrum & iuniperum esse similitudinem, ut altera ab altera uix discerni posset, nisi ea esset differentia, quae in bacis utriusque manifesta deprehenditur. De Citris autem, quibus aurea totius ferè Italiae uiridaria exornantur, tam in Tyrrheni, quam Benaci litoribus in sequentibus, capite de malis, ubi ipsorum mentionem facit Dioscorides, adiuuante Deo, plura dabuntur. siquidem arbor illa ab hac, de qua nunc agitur, plurimum differt. Cedri meminit Galenus libro VII. simplicium medicamentorum his uerbis. Cedrus specie duplex est, altera fruticosa iuniperis adsimilis, altera arbor non exigua. Vtraque est calidæ, siccæq; temperaturæ tertij quodammodo ordinis secundum utrumque. Ceterum Cedrea (uocatur ita cedri oleum) quartum etiam ordinem uidetur attingere, abunde calida simul, & tenuium partium. Molles itaq; carnes promptè citraq; dolorem putrefacit, sicut alia omnia, quae cum eiusdem sint in calfaciendo ordinis, adiunctam etiam habent substantiae tenuitatem. At in duris plusculo tempore, & uix operatur. Porro talia omnia medicamenta septica uocantur, & septa: sed inter sese maioris, minorisq; ratione disident. Est autem in hoc genere medicamentorum ex primo, & infirmissimo ordine cedrea: pleraque enim eorum admodum sunt efficacia. Talia itaque & mortuorum corporum carnes corrumpunt: at cedrea exiecat, simulq; à corruptione tectur corpora demortua, utpote humiditates eorum superfluas depascens, ceterum solida corpora haud attingens. At in uiuentibus calor ipse, qui in corporibus est, cedreae uires adaugens, causa efficitur, ut teneræ ab ea carnes deurantur. Nec mirum uideri debet, si cum tanta polleat potentia lendes, pediculos, & tineas, & in auribus natos uermes interficere ualeat, tum foetum apposita uiuentem quidem interimat, mortuum autem eiiciat, sicut sanè etiam in coitu semen, pudendo circumlita. proinde conceptum impediens est medicamentum, si sic utaris, nulli secundum: aliaq; multa eiusmodi particulatim efficit. Itaque argumentum est, ipsum ualenter excalfacere, sicut ubi dentium foraminibus instillatur: siquidem dolores eorum mitigat, sed & ipsos confringit. Extenuat quoq; oculorum cicatrices, & uisus hebetudini ab humorum crassitudine ortæ medetur. Porro quod eius est pinguisimum, & ad unguem oleosum, quod suspensus supra eam dum coquitur, lanis excipitur, ac colligitur, tota cedrea tenuius quidem est, sed minus acre; quanquam non minus excalfaciens. Eandem quippe rationem habet ad id quod reliquum est cedreae, crassius illud uidelicet, quam oleum ad amuream. Proinde illud utpote crassius, mordax est, & maiore aperiendi facilitate praeditum. Itaq; ulcera irritat, phlegmonenq; illis excitat. Porro oleosa illa cedrea adeo clementibus est uiribus, ut etiam plebeij experientia docti uulnera ouibus occasione tundendi à forfice facta, illa illita sanent, sicut etiam pice humida. Utuntur autem ea & ad ouium scabiem, & ricinos, Graeci νερότρωας uocant. Porro cedrides (nam ita frutum cedri nuncupant) moderatiores uires obtinent, adeo ut comedi quoq; possint. Attamen si liberalius ijs utare, capiti dolorem inferent, ardoremq; ac morsum in uentre percipies. Quae arbor Graecis κεδρεος, Latinis item Cedrus nominatur: Arabibus, Serbin: Italis, Cedro. Eius autem liquor ut Graecè κεδρεία, ita etiam Latine Cedria dicitur: Arabicè, Kitran, siue Alkitran: Italicè, Cedria.

† Hic lectorem admonitum uolumus, illa de fuligine Cedri uerba non legi in Graecis tum uulgatis, tum etiam antiquis quibusdam codicibus. Quare eim neq; à Marcello uertantur, qui plura exemplaria Graeca habuisse fatetur, ea potius addititia, quam legitima censenda uidentur.

Δάφνη.

LAVRVS.

C A P. X C.



LAVRVS quædam tenui folio constat, altera latiore. Vtraque excafactoriam naturam habet, & emollientem. Vnde decoctum earum in muliebres infessus additum, vuluæ, & uesicæ uitijis conuenit. Virentia folia sensim substringunt: illita quoque, ac trita uesparum apumq; icibus opitulatur: eadem cum polenta, & pane illita inflammationem omnem mitigant: sed pota stomachū effundunt, & uomitiones mouent. Lauri bacca magis, quàm folia calfaciunt. ergo in eclegmate trita cum melle, uel passo profunt tabi, orthopnææ, & omnibus thoracis rheumatismis: contra scorpionum icibus ex uino bibuntur: uutiligines emaculant. Succus baccarum utilissimè aurium dolori, & grauitati instillatur cum uino uetere, & rosaceo. In medicamenta autem adijciuntur, quæ neruorum lassitudines reficiunt, acopa uocant: & ad unguenta, quæ calfaciunt, & discutunt. Cortex radicis calculos rumpit, partus necat, hepaticis prodest, tribus obolis in uino odorato potus.

LAVRVS tam tenui folia, quàm latifolia arbor odoratissima, & si antiquis credimus, Apollini lucidissimo sacra: quinetiam à Ioue colitur. Vna quoque laurus Romæ antiquitus imperatorum pontificumq; domos exornare solebat. Quod similiter, atq; alij complures gentilium mores, in hunc usq; diem apud nos perdurat. Namq; ubi dies festus aduenerit, laurus non modò templorum ualuas decorat, sed & ubi dies geniales adfuerint, ingentium palatiorum est ianatrix. Quo fit, ut magnis aduentantibus principibus, lauri frondibus & columnæ, & arcus in pacis signum extruantur: siquidem pacifera laurus est, non secus ac olea. Ideo antiquitus etiam, si eius rami prætendebantur inter arma-

Lauri historia.

tos hostes, firmum quietis erat indicium. Quæ obseruatione ductus Bernardus Clesius Cardinalis amplissimus Tridentinus, tum pacis, tum quietis sectator maximus, lauri, & palmæ floridæ rami adnectebat, ut nitida marmorâ, præclara metalla, speciosæ picturæ, aurea, & argentea uasa, ac reliqua admiranda demonstrant, quibus magna eius palatia fulgent. Romanis laurus ferebatur lætitiæ uictoriarumq; signo. Idcirco laurum in templis in Iouis gremio reponerant, quoties Romæ lætitiâ uictoria noua attulerat. Quinetiam grata Apollini dona unoquoq; anno mittere solebant in Parnaso monte, quod ibi laurus spectatissima cresceret. Caterum quod laurus Romæ à Ioue è celo missa fuerit, ut ea imperatores coronarentur, facile perhiberi potest: namq; Liuiæ Dryusillæ, quæ postea Augusta matrimonij nomen accepit, cum pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris sedenti in hortis aquila ex alto abiecit in gremium illæsam, intrepideq; miranti accessit miraculum, quod teneret rostro laureum ramum suis baccis onustū. Quod audientes conseruari alitem, et sobolem iussere aruspices, ramumq; eum feri, ac ritè custodiri. Quod factum est in uilla Cæsarium fluuii Tyberis imposta, iuxta noniam lapidem flammia uia, quæ ob id uocatur ad gallinas. Porro tam creuit ramus laureus, tamq; se propagauit (tametsi radicibus destitutus) ut breui tempore ibi mirè sylua pro-uenerit. Ex qua triumphans postea Cæsar laurum in manu tenuit, coronamq; in capite gessit. Ac deinde imperatores Cæsares euncti triumphantes lauro coronabantur, tenebantq; in manu eiusdem ramos. Quos post triumphos traditus est mos ferendi in eminentioribus locis in celebratis Romæ collibus. Quo factum est, ut plures laurorum syluæ Romæ uirescerent, quæ ob id laureta uocabantur: qualis erat, quæ in monte Auentino multo ante alios tempore uiguit. Nimirum indicat laurum dijs gratissimam esse arborem, quæ sui habetur ab impetu fulminum ratio: siquidem

Lauri natura.

40 nulla habita, cum è celo ruunt, nec diuinitatis, nec principum amplitudinis ratione, plerunque templorum turres icunt, superba mundi palatia dilacerant, ac sæpius homines immaniter interimunt. hæc tamen sola arbor fulmine non percuitur, nisi in futuræ calamitatis prodigium: ac ne quidem domus, in quibus adsint eius rami, de celo tangantur, pro certo creditur. Proinde Tyberius Cæsar fulminibus perterritus, tonante celo lauro coronabatur. Laurus ex sese uim habet ignem producendi: quippe si exiccatæ ramus frequenter confricetur, super asperso sulphuris puluere, ignis statim exiliet. Eadem perpetua fronde uiret, tantaq; pollet ui, ut eius ramis in aruo defixis, rubigo, maxima segetum pestis, abigatur, transeatq; in earum folia ex aruis. Poète perfectionis signo lauro coronatur, idq; præmium est Apollineorum musas colentium. Coruus occiso chameleonte, fronde lauri deuorata infestum uirus extinguit. Quæ etiam palumbes, graculi, merule, & aliæ per plures aues annum fastidium purgant. Cæ-

Laurus lapidea.

i floris

floris in thymo, tanquam nondum perfecte floruerit, liquidò deprehenditur. Longitudo arbuscularum cubitorum ternorum est. hec ille. Laurum scriptis commendavit Galenus lib. vi. simplicium medicamentorum, sic inquit. Lauri arboris & folia, & fructus desiccant, & calfaciunt uehementer, plusq; etiam fructus, quam folia. At radicis cortex minus quidem acris est, & calidus, plus tamen amarus, habetq; etiam adstrictionis nonnihil. Quamobrem & calculos confringit, & iecori prodest. Ebitur ex uino fragrante trium obolorum pondere. Arbor δαφνῆ sic Græcis uocata, Latinis Laurus dicitur: Mauritanis, Gaur, seu Gar: Italis, Lauro: Germanis, Lorbeerbaum: Hispanis, Laurel, siue Loureiro: Gallis, Laurier. Huius fructus Græcè δαφνίδες uocantur: Latine, Lauri baccæ: Italicè, Bacche di lauro: Germanicè, Lorbeer.

Γλάτανος.

PLATANVS.

CAP. XCI.

10

Platani consideratio.



Platani uires ex Galeno.

Nomina.

TENERRIMA Platani folia in uino decocta, mox illita, oculorum fluxiones sistunt: tumores, & inflammatio nes leuant. Decoctus cortex in aceto, dentes in dolore col luit. Virides pilulæ in uino potæ, serpentium moribus auxiliantur: exceptæ autem adipe, igni ambusta sanant. Insidens foliorum, pilularumque lanugo, oculos, & au res offendit.

PLATANVS Italiae aduena, peregrinaq; est; quanquam regionem diluunt (ut Theophrastus est auctor) multi, magniq; flu uij. Verùm enim uero si ibi nonnullæ uirescunt Platani plantæ, ut quas ipse Neapoli, & Patavij uidi, sunt quidem ex longinquis re gionibus allatæ, ut etiam antiquitus à Romanis per mare Ionium inuectæ fuerint, eorum duntaxat umbræ gratia Romæ expetitæ, ubi platani tantum honoris increbuit, ut diu nutritæ sint mero radi cibus infuso. Nanque hæc arbor plurimum uini irrigatione gau det: tametsi maiorem in modum fontes, & fluuios amet. Platanus ad amplissimam ramorum amplitudinem adsurgit, ad eò ut Li cinius Mutianus ciuis Romanus, Plinio teste, hoc prodendum etiam posteris putarit: qui prouinciæ Licie legatus affirmat, in ea fuisse platani sociam gelidi fontis amœnitate itineri appositam, octoginta atq; unius pedum specu, numerofo uertice, se uastis pro tegentem ramis arborum instar, & agros longis obtinentem um bris: ac ne quid desit speluncæ imagini, saxea intus crepidinis co rona, muscosos complexa pumices: intra quam se epulatum cum duodeuigesimo comite, largè ipsa toros præbente fronde, ab om ni afflatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, letio rem, quam marmorum nitore, picturæ uarietate, laquearium au ro, cubuisse in eadem. In Creta insula ad Coryniam platanius ste tisse fertur apud fontem quendam, quæ folia hyeme non amitte

ret, sub qua Ioui compressam Europam indigenæ fabulantur. Quæ in Italian inuectæ fuerunt, climatis inclemen tia in magnam proceritatem non adolescunt: attamen sunt cortice crasso, fronde uitiginea, lata, longo rubroq; pe diculo, flosculo paruo ac pallido, baccis rotundis, scabris, & lanuginosis: ex quibus oleum fieri prodidit Plinius libro xv. capite vii. Platani umbra usque eò delectatum Xerxem in terra Lydia scribit Aelianus, ut diem inte grum sub ea cum maximo exercitu consumpserit, floccipendens tam breui uoluptate tot copias remorari. Platani aduersantur uespertilionibus. Earum pilulæ addito melle, & illitæ, lentigines, ueteresq; nigritas emendant. De platano differuit Galenus lib. viii. simplicium medicamentorum, sic inquit. Platanus humidioris, frigidiorisq; essentia est, non ita multò quàm symmetra. Proinde folia uiridia trita, & illita, non obscure phlegmonas nascent es adiuuant. Cortex autem, & pilulæ magis desiccantem uim obtinent, ut ille quidem in aceto coctus ad dentium adhibeatur dolores: pilulæ uerò cum adipe ad ulcera ambusta. Sunt autem qui cortice combusto medicamen desiccatorum, & absterforium efficiunt, ut cum aqua lepras sanet, per sese autem illitum, ob humorem nimium, uete ra, & sordida. Vitandus est puluis folijs arboris insidens: alioqui si spiritu attrahatur, arteriam offendit, ualenter desiccans, & exasperans, uocemq; lædit, sicut sanè etiam uisum, & auditum, si in oculos, aut aures inciderit.

Πλάτανος ut Græcis, ita pariter Latinis Platanus appellatur: Arabibus, Dulb: Italis, Platano.

M. L. A.

Μελία. FRAXINVS.

CAP. XCII.

FRAXINVS arbor nota est. Cuius foliorum succus, & ipsa ex uino pota, & illita uiperarum ictibus auxiliantur. Corticis cinis ex aqua illitus lepras eximit. Ligni ramenta, scobemque potu perniciem asferre tradunt.

FRAXINVS arbor est notissima. Eius (ut Theophrastus memoriae prodidit lib. III. cap. XI.) duo reperiuntur genera: quorum alterum excelsum, procerumque est, lignum habens candidum, crassiuenum, neruatum, mollius, enodius, ac crispus: alterum humilius, minus auclile, scabrius, durius, & flauius. Folia laurinis, lauri latifoliae similia, in acutius tamen coacta, & ambitu leuiter serrata. Ramulus totus, quem folium unum putaueris, quod simul cuncta folia ferat, singulari pediculo, & singulis folijs coniugatum, ueluti per genicula, penditibus constat: amplo interuallo coniugationibus distinctis, pendit atque in sorbo. Fert fructum in siliquis minutum, nucosum, qualem amygdala, gustu subamarum. Tradidit Plinius fraxini folia iumentis mortifera, ceteris ruminantium innocua. Quae de taxo, non de fraxino Theophrastus prodidit, inquit. Si iumenta (ut ferunt) taxi folia comederint, emoruntur: si ruminantia, nihil incommodi patiuntur. Sed nominum uicinitate Plinium deceptum esse crediderim: nam Graecis fraxinus μελία, taxus uero σμίλαξ, & μίλος appellatur. Vnde unum pro altero sumens Plinius, facile (ut diximus) in errorem incidit. Rei fides fuerit in hoc Plinium lapsum fuisse, clara in Italia experientia: siquidem taxi folijs, non fraxini iumenta non ruminantia necantur. Quinimo haec salutare praestant remedium lethibilibus serpentium uenenis: quibus adeo inimica est fraxinus, ut ne matutinas quidem occidentisue umbras quam libet spatiosas serpens arboris huius attingat. Quapropter expertum proditur, si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius, quam in fraxinum fugere serpentem. Mira naturae benignitas, priusquam haec prodeant, florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere. Fraxini species sunt Ornus, itemque Orneoglossum dictum, quod ferat semen illud, quod auis linguam appellant, ut ipsum quoque fraxinus fert. De quo differens Plinius libro XXIII. cap. VIII. mederi id iocineris, & lateris doloribus in uino tradidit: aquam, quae subdit cutem, extrahere: corpus obesum leuare onere, et ipsum sensim ad maciem reducere. Id quoque in recentiorum medicorum usu est ad stimulantem uenerem. Folia fraxineis similia fert stirps illa apprimè celebris, quam uulgo DICTAMVM ALBVM nuncupant, ob idque a recentiorum nonnullis pumila fraxinus cognominatur. Haec nullis tam Graecorum, quam Arabum auctoribus (quod equidem legerim) usquam descripta est. Quare non possum non admirari, quoniam pacto sibi dictami nomen uendicauerit. Ea est uisu pulcherrima, speciosaque: floribus formosis, impensè redolentibus, in purpura albicantibus, citrei arboris modo. Radix ei candida, odore hirci, amaro sapore: proinde mirum non est, si uentris tinea perimat. Tradunt etiam suapte ui pollere aduersus lethalia uenena, ac omnium uenenosorum animalium morsum, ictumque, nec minus aduersus pestilentiam. Prodest stomachicis, & suspiriosis. Elicitur e floribus aqua, quae naribus infusa capitis morbos frigiditate obortos mirifice propellit. Quae arbor Graecè Μελία, Latine Fraxinus appellatur: Italicè, Fraxino: Germanicè, Eschern, Eschebaum, Steyneschern: Hispanicè, Fresno, & Frexo: Gallicè, Fraisine.

Fraxini histo. ex Theophr.

Plinij lapsus.

Fraxini species ornus.

Dictami albi consideratio.

Nomina.



DICTAMVM ALBVM.



POPVLVS ALBA.

POPVLVS NIGRA.



Λεύκη, καὶ Αἴγυρος. POPVLVS ALBA, ET NIGRA. CAP. XCIII.

POPVLVS albæ populi cortex uncia unius pondere, ischiadicis, ac urinæ stillicidio prodest. sterilitatem inducere tradunt, si cum mulino rene bibatur. Folia quoque cum uino post purgationes pota idem præstare produntur. Tepens foliorum succus utiliter aurium dolori instillatur. Pilulæ, quæ primo foliorum partu exiliunt, trita & cum melle illita, oculorum hebetudini medentur. Memoriam prodiderunt, corticem albæ populi, & nigrae particulatim cæsum, & sulcis stercoris mandatum, omni tempore anni edules fungos proferre. Populi nigrae folia cum aceto illita, magna utilitate podagricis doloribus illinuntur. Resinam populus fundit, quæ in malagmata additur. Semen potum ex aceto comitialibus utile est. Lacrymam populorum commemorant, quæ in Padum amnem defluat, durari, ac coire in succinum, quod electrum uocant, alij chrisophorum. Id attritu iucundum odorem spirat, & aurum colore imitatur: tritum, potumque stomachi, uentrisque fluxiones sistit.

Populorum
consideratio.

POPVLVS Theophrasto triplici recensetur genere lib. III. cap. XIII. de historia plantarum, ubi sic habet. Populus alba, nigraque; uniformes habentur: ambæ natura erectæ, sed excelsior, leuiorq; nigra: figura foliorum adsimilis, & ligni materies albedine similis uisitur: utraq; ne florem quidem habere existimant. Κερκίς (quam quidam Alpinam, quidam Lybicam uertunt) populo albæ non absimilis, cum magnitudine, tum uero quod ramis albicantibus spargitur: folio hederæ, sed parte altera sine angulo, altera uero oblongo, inq; angulum exeunte acutition: colore parte resupina, pronaq; ferme simili: pediculo prolixo, tenuiq; annexo. quamobrem non erecto, sed inflexo. Cortice asperiori, quam populus alba, scabriorq; ut pyrus syluestris. hæc Theophrastus. Priora omnibus passim nota sunt. Sed quænam arbor nobis sit κερκίς, non satis compertum habeo. quanquam in Sylua, quam Goritenses uulgo appellant il Panauizzo, arbor hæc, cuius hic inaginem damus, crescit betule æmulla: quæ mihi quidem Lybicam populum representare uidetur. Plinio hæc libro XVI. capite XXIII. minima folio est, ac nigerrima, fungisq; enascentibus laudatissima. Alba folio bicolor, supernè candicans, inferiore parte uiridi. Sed hic Plinius aperte errore notatur, quod hæc contra supernè uireat, infernè uero albicet, candida efflorescente lanugine, quæ tamen in nigra non uisitur, ut Plinius existimat, cum indifferenter inquit. Populorum folijs grandissima lanugo. Sed & tertio idem errasse deprehenditur: quippe qui scripserit eodem libro capite XXVI. populum nec fructum, nec semen ferre, cum tamen utraque fructum ferat, uuarum speciem præ se ferentem, intus alba lanugine refertum: atq; etiam scribat Dioscorides, semen ex aceto potum comitialibus prodesse. Sed quid opis est pluribus.

Plinij plures
lapis.

POPVLVS LYBICA.



pluribus, si Plinius seipsum accusat & siquidem libro XXIII. cap. VIII. populum & uuas, & semen ferre fatetur, illas utiq; unguentis, hoc uero comitialibus praefrens. Sed caueant myropole, ne ob id communis usus unguentum populneum uocation, ex populi uuis conficiant, ut Ruellius credidit à Plinio deceptus, & quod ijs ad unguenta odorata uteretur antiquitas. Quandoquidem Nicolaus Myrepsicus non uuas, sed germina, uere primo prodeuntia admiscet: odorata enim sunt, & ceraginosi, cum tamen nullus prorsus uuis sit odor. Verum enim uero an antiquitas populi uuas odoratis unguentis admiscuerit, dubitandum sane est. Nam Plinio libro VII. cap. ultimo, ubi de unguentorum materia egit, nil aliud est populi uua, quam bryon, Latinis muscus uocatus. Quem etiam praeter cedrinum, & quernum praetulere ad unguenta Dioscorides, & Galenus, & inter alia odorata recensuerunt. Quo fit, ut facile credi possit, Plinium errore ductum existimasse, muscum in populo nascentem nihil ab eiusdem uuis differre, cum inquit. Eodem & bryon pertinet uua populi albæ. Optima circa Enidum, & Cariam, in siccitibus, aut siccis, asperisq; locis. Secunda in Lycia cedro. hæc ille. Sed cum cedrus nullas fratas uuas, sed muscum perquam odoratum, hinc Plinij error manifestè deprehenditur. Populus utraque frequentissima nascitur in agro Mantuano, ac Ferrariensi, non modo in Padi amplissimi fluminis litoribus; sed & per agros, & prata in fossarum aggeribus. Ideoque fabulantur poëtae, isti Phaëtonis fulmine sorores fletu mutatas in populos arbores iuxta Eridanum amnem, quem Padum uocant, ex corticis meatibus instar auratae lacrymæ, electrum, siue succinum fundere, ut adhuc uiuentes lacrymas effundebant: quæ nostro tempore in orbiculos, quibus Deipara uirgini sceminae salutationes enumerant, effunguntur, & uulgaribus & infimis mulierculis monilium uice, collo gestantur decoris gratia. Quare Dioscorides, qui poëtarum fabellis adhibere fidem haud quaquam censebat, noluit pro comperto fabulosam succini historiam asse-

Ruellij erratum.

Poëtarum fabula.

re, sed dubiam, & suspensam tenere. Ideoq; inquit. Lacrymam populorum commemorant, quæ in Padum amnem defluat, durari, ac coire in succinum, quod electrum uocant, alij chryso-phorum. Ex quo facile percipi potest, quod cum Dioscorides aliquid de succino suis monumentis mandare decreuisset, nullam eius certam tenens historiam, ipsam populi generi utrique adiunxit: ea tamen ratione id diiudicans, quod non alio in huiusce operis loco aptius succinum accommodari posset. Quandoquidem in fabulis nactus esset poëtas cecinisse carminibus, succinum populos fundere: tamen si non ignoraret, succinum populorum gnomi esse nequaquam. siquidem huic fabulae datus est locus ob succini innumeros globulos, qui olim filo traieci ab Eridani accolis collo suspendebantur. Quippe cum plerique ipsorum, praesertim uero sceminae, ob nimis humidum regionis aërem in gulae morbos, ac strumas incurrerent, his existimabant succinum aduersari. Quod fortasse non erat ab omni ratione alienum: namq; cum facultatem habeat succinum sistendi fluxiones, collo etiam gestatum, facile inhibere poterat, ne capitis destillationes in guttur defluerent. Quo fit, ut non demirer, si etiamnum Germani in oculorum defluxionibus magno successu succineos globulos occipitio adnectant. Reperio in enarranda Succini historia, auctores complures, sed re uera admodum uarios: qui etsi grauius (ut historicos decet) hac de re loquantur; tamen cum ipsi succini originem nusquam uiderint, & quicquid de eo scripserunt, alijs acceptum referant, his nulla, aut sanè paucæ adhibetur fides. Philemon succinum fossile esse dixit, & in Scythia erui duobus in locis, uno candidum, altero uero croceum. Sudines, & Metrodorus succinum prodiderunt in Liguria arboribus effluere. quod Sotacus credidit in Britannia euenire. Pythias tradidit esse locum in Britannia prope Gutones, ubi à fluctibus maris non procul ab Abalo insula succinum aduehitur: quo incolæ ad ignem pro ligno utuntur, ipsiq; Teutonibus uendunt. Nicias historicus succinum solis radiorum succum esse uoluit: hic enim credit radios uehementius actos in terram pinguem sudorem in ea parte relinquere, deinde aestate sicari, & à fluctibus maris in Germanorum litora eijci. Idem & Aegypto nasci simili modo dixit. Item in India, gratiusq; thure esse Indis. Non defuerunt etiãnum, qui succinum nasci tradiderint iuxta mare Atlanticum in lacu Cephiside dicto, qui sole excalfactus è limo fundat electrum. Non de sunt praeter hos plures, qui de succino differentes in diuersas uerint sententias, quas nunc, utpote non probandas, silentio inuoluam. Vnde iure dici potest, succinum apud eos uel cereum, uel figulino luto simile haberi, cum ipsum in tot uarias formas, ac imagines trasformauerint. Sed ut tandem referam, quod pro comperto habetur, gignitur succinum in insulis septentrionalis oceani. Id olim à Germanis Glesum appellabatur: unde à nonnullis, qui erant cum Germanico Casare, ibi clasibus rem gerente, una insularum ob succini copiam, Glesaria fuit appellata, quæ prius Austrauia à barbaris dicebatur. Hic nimirum (ut Plinius inquit) nascitur succinum arboribus pinei generi defluens in terram, ubi postea densatur. Cùm uero intumescens aestus fertur in proximas syluas, ex ijs in se rapiunt fluctus maris, & in Germanorum litora expuunt. Itaq; Cornelius Tacitus rectè scri-

Succini uaria historia.

Succini uaria historia.

ptum reliquit. Germanos huius maris accolae solos omnium succinum habere, & legere. Quod succinum sit arboris ex pinorum genere lacryma, olim Romanis testimonium perhibuit quidam eorum eques illuc missus ad id comparandum à Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis, qui ea litora peragravit, ipsum vidit, ueram eius originem didicit, & secum ingentem copiam Romam inuexit. Præterea succinum esse pineæ arboris gummi indicio est pineus in attritu odor, & quod accensum tedæ & resinarum modo deslagret. Liquorem esse copiose stillantem, tenacem, ac lentum, argumento sunt quadam intus implicata, ut formicæ, culices, ac etiam lacertæ, fistucæ, ac paleæ, quæ transparentia inspicuntur. Cùm enim hæc animalia, & alia stramenta humoris lentore facile implicentur, durefcente deinde materia, ueluti carcere includuntur. Hæc partim ex Plinio, partim uerò ex aliorum scriptis decerpimus. Tanetsi rationibus non spernendis probare nitatur Georgius Agricola, succinum non aliud esse, quam bituminis genus, quod à quibusdam scopulorum crepidinibus erumpens in mare desluit, ubi aquarum faldine durefciunt. Nam succinum, quod nigerrimum est, ex quo etiamnum globuli ad angelicas numerandas salutationes conficiuntur, aliquid cognationis cum pissasphaltro habere uidetur. Adde etiam quod à pinis, neq; ab arboribus alijs resinam per se fundentibus tam pullo colore nulla desluit lacryma. Succinum incoctum adipe lactentis suis expolitur, & redditur translucidum, quemadmodum tradit Archelaus, qui rubeam corticibus arboris, ex qua desluit, inherens, se uidisse affirmat contra Agricolæ sententiam. Quo fit, ut de succini historia adhuc lis sub iudice pendeat. Cæterum comperit est, quod sicuti magnes ferrum respuit, si adfit adamas, uel si alio affricetur; ita nec succinum ad se paleas alliciat, quæ sint oleo perfusæ. Verim eorum opinio uana est, qui succinum tradiderunt peculiari dote ocimum respicere: nam ipse sæpe ac sæpius huius rei periculum feci, & semper succinum ad se ocimum trahere comperi. Officinae communi nomine succinum uocant Karabe Mauritanos secute. Licet Brasauolus Ferrariensis in suo de simplicium examine deceptus existimauerit, Arabum Karabe succinum esse nequaquam, sed uerum populi albæ gummi, Serapionis, & Auicennæ testimonio: etsi eorum neuter, sicut nec Dioscorides, quem illi sequuntur, id quidem pro comperito asseuerauerit. Namq; Serapio (ut in omnibus adsolet) quicquid de Karabe adnotauit, uerbótenus ex Dioscoride deprompsit, sic inquit. Et dicitur, quod gummi Haur remi, quod nascitur iuxta flumini, qui dicitur Eridanus, quando distillat in flumine illo, coagulatur ibi, & est illud, quod dicitur Alipton, id est electrum, & sunt, qui nominant ipsum Arfopodon, & est Karabe. Eadem sententia elicitur ex Auicenna: quippe qui capite de Haur, itemq; capite de Karabe, non asserat eam esse populorum gummi, sed quod ita perhibetur. Nec alia ratione duobus capitibus de Karabe differuit, nisi ut ostenderet, Karabe per se à populorum gummi differre. Præterea comprobatur id esse Karabe apud Mauritanos, quod electrum apud Græcos, nominis significatum: quandoquidem Karabe lingua Persica, Auicenna auctore, non aliud designat, quam rapiens paleas. Quod sensu comprehenditur proprium esse succini, aut electri, non autem populorum gummi. Insuper astringentes pastillos, quos Galenus lib. VII. de compositione medicamentorum secundum locos, Paulus sui uoluminis etiam septimo, & Actuarius in suo de compositione medicamentorum, electri trochiscos uocant, Arabes de Karabe appellant, eosdem à Galeno, & Paulo assumentes. Quo fit, ut hac in re manifeste aberrasse Brasauolus deprehendatur. Itaque dicendum esse putauerim, electrum idem esse apud Græcos, quod succinum apud Latinos, & Karabe apud Arabes. Neq; etiam illud ideo populorum gummi esse crediderim, ut Brasauolus asseuerat, quod Paulus quoque dixerit: Electrum populi albæ lacrymam dicunt, quæ iuxta Eridanum amnem distillat, & in spissitudinem coit, aereo colore. Nam his uerbis non probatur electrum esse albæ populi gummi, sed id tantum refert ex aliorum opinione, quemadmodum fecit Dioscorides, quæ secutus est Paulus. Ex his igitur satis patere arbitror, falsum esse, quod idem sint electrum, gummi populi, & Karabe: quin potius clarum, succinum, & gummi populneum esse inter se diuersa. Credidit Demonstratus fieri succinum ex hincis urina (quemadmodum credere pharmacopola, & uulgo medicorum ex eadem fieri lapillos, quos hincis appellant) succinum asserens, quod flauescit, fieri ex urina maris, albam uerò ex urina femine. Quibus refragatur Plinius: quandoquidem ipse manifeste dicat, hoc esse falsum. Quod cùm & Diocles, & Theophrastus credidissent (non autem Dioscorides, ut ei falso Brasauolus imponit de lapidibus hincis agens) eos eiusdem criminis Plinius accusat. Quod autem Diocles, & non Dioscorides (ut Brasauolis putat) huius erroris accusetur, ostendit ipse Dioscorides libro secundo capite de urina, ubi in eandem Plinij sententiam ueniens, hæc uerba protulit: Lynceis urinam, quam hincurium appellant, simul ac excernitur, glaciari, coire eum in calculi duritiam, uulgo creditum est, quare quod de ea proditum est, uanum esse conuincitur. Est enim quod à nonnullis uocatur succinum pterygophoron, ideo dictum, quod pennas ad se alliciat. At cùm Brasauolus minus fortasse accuratè Dioscoridis uerba legendo percussisset, dixit de Karabe agens, sensisse Dioscoridem electrum esse lapillum, in quem hincis urina concreuit. Quod tamen falsum esse facile constat ex prædictis Dioscoridis uerbis. Cæterum eum non desint etiam poëtæ, qui Phæthontidas non in populos, sed in alnos mutatas fabulentur, Alni quoq; historiam, & uires, præcedentibus adnectere non ab re fore existimauimus. Est itaque ALVNS (ut Theophrastus est auctor lib. III. cap. XIII. de plantarum historia) sterilis & unigena, natura caudice recto: ligno, medullaq; molli, adeo ut graciliores uirgæ totæ conuentur: folio pyri, sed ampliore, neruosioreq;: cortice scabro, rufiq; intus, qua de causa coria tingit: radice summa, nec maiore, quam laurus, nascitur in aquosis, alio nullo pacto. hæc tamen Theophrastus. Qui tamen eodem lib. cap. XV. non utiq; pyri folio alnum uirescere tradidit, sed ponticæ nucis. Nec eandem prodidit esse sterilem libro eodem cap. VI. cùm inquit. Tearebinthus circa tritici messem, aut paulò serius semen reddit: fraxinus, atque acer æstate: alnus, nux iuglans, pyrorumq; syluestrium genus quoddam autumnio. Quo fit, ut alterum omnino suspicandum uideatur, aut sibi ipsi Theophrastum repugnare, aut eius codicem his locis mendis scaterere. Alnus in Italia nascens, folio est coryli crassiore, neruosioreq;: materie molli, rubente, in aquosis frere semper proueniens. Hetrusci uulgo appellant onio: alij uerò in Italia auno. Italica fructum fert uiridem, oblongum, moris forma similem, squamis quam plurimis in se compactis. Maturefcit

Brasauoli opinio reprobata.

Brasauoli lapsus.

Alni historia, & uires.

Maturefcit autumno, minuto intus semine, colore in nigrum fuluo. Præfertur lignum ad ædificiorum fundamenta. quæ in fluminibus, lacubus, paludibusq; fiunt, quod in aqua nunquam putrescat. Ob id enim expetitur maxime Venetis ad iacienda palatiorum, ædumq; fundamenta, quod crebro fixa non modo ad æternitatem permaneat immortalis, sed quod ingentes admodum ferat moles. Recentia folia tumores imposita dissolunt, & inflammationes restinguunt. Eadem nudis pedum plantis supposita uiatoribus itinere defatigatis leuamentum præstant. Quin & rore matutino madentia cubiculis ad necandos pulices per æstatem utiliter sparguntur. Præstat cortex tingendis corijs atro-

BETULA.



colore. Sed nec BETULA omittenda uidetur: quæ cum cortice albo sit albæ populo adsimilis, nunc nobis sese offert describenda. Hæc Theophrasto folio est caryæ sic Græcis uocatur (quid autem sit caryæ compertum hætenus non habeo) præterquam quod paulo angustiori, cortice autem uersicolore, & materie leui, non nisi ad baculos utili. Plinio lib. XVI. cap. XVIII. Betula arbor est Gallica mirabili candore, atq; tenuitate: terribilis magistratum uirgîs: eadem circulis flexilis: item corbium sportis. Bitumen ex ea Gallie excogunt. hætenus Plinius. Betula in Tridentino agro frequentissima prouenit, materie adeo tenaci, lentæq; ut ad uasa uinaria cingenda circuli ex ea parati omnium præstantissimi habeantur. Anatij è suis Betulis non modo optimos consciunt carbones, ad coquenda liquandaq; metalla, sed è delibrato, contortoq; cortice, faces ad nocturna lumina parant, quæ quod bituminosa pinguitudine redundant, tedæ modo confla-grant, & resinofum quoddam picis colore reddunt. Nec fortasse alia de causa Betula dicitur, nisi quod bitumine scateat. Hanc Tridentini corrupta uoce uulgo appellant Bedollo. Gaudet frigido tractu ac niuoso: folio est nigræ populi, sed parte prona asperiori, uiridiori; per ambitum serrato, & minutissimis quibusdam punctis, ipsiq; albicantibus in uniuersum resperso. Sterilis hæc, nec fructum ferens. Huius caudex crebro perforatus ingentem aquæ copiam reddit, cui uim maximam inesse quidam asserunt ad comminuendos tam renem, quam uiscera calculos, si diutius bibatur. Eadem maculas in cute delet, nitoremq; conciliat: oris ulcera sanat collutione ex ea facta: Foliorum succus coagulo admixtus, cascos acarie, & uernibus uindicat. Sed iam ad Populos, & ad Succinum nostra reuertatur oratio, in quibus medicinæ nobis reddenda ratio est, ut in omnibus ferè facere consueuimus.

Betulae consideratio.

Betulae uires.

Betulae uires.

Populorum uires ex Gal.

res calidi facultate quidem sunt in primo recessu à temperatis: sed in differentia, quæ habetur in siccando & humectando, paulim à temperatis & medijs ad siccius deflexerunt: uerion & subtiliorum potius, quam crassiorum sunt partium. Et folia quidem ipsius quodammodo floribus similia sunt, nisi quod ad omnia imbecilliora, minusq; efficacia. Sed & resina eius floribus similem facultatem obtinet, atque etiam calidiorum. Porro semen tum resina, tum floribus & subtiliorum est partium, & exiccantijs: non tamen est admodum calidum. Deinde libro VII. eorundem simplicium idem Galenus Populi albæ uires descripsit his uerbis. Populus alba arbor mista quodammodo temperaturæ est, ex aqua tepida, & terrena extenuata essentia. quamobrem & abstergentis facultatis est particeps. hætenus Galenus de utriusq; Populi facultatibus. Caterum non inuenio Galenum Succini meminisse in simplicium medicamentorum censu. qui tamen lib. VII. cap. IIII. de compositione medicamentorum secundum locos pastillum ex succino confectum ab Asclepiade transcripsit: quem quidem is hæmoptoicis, longo tempore tussientibus, & recentibus phthisicis, purulentis è pectore difficulter eicientibus, suppuratis, coeliacis, dysentericis, & inflatis conferre tradidit. Atqui referunt Prætheni, in quorundam litorea fluctus maris succini plurimum expuunt, eius genus quoddam reperiri, quod plane crystallum representat. Huic uim mirabilem inesse testantur, quò scilicet foemina deprehendatur an uirgo sit & incorrupta, necne. Nam si ex uino icuine exhibetur, efficere aiunt, ut corrupta & uitata protinus urinã reddere cogatur. id quod uirgini euenire negant. Arbor Ἀσκη Græcis dicta, Latinis Populus alba uocatur: Arabibus, Haur: Italis, Popolo bianco: Germanis, Bellen, Poppelbaum, & Sarbaum: Hispanis, Alamo blanco: Gallicis, Peuplier. Quæ uerò Ἀσκη Græco nomine, Latino Populus nigra uocatur: Mauritano, Haur romi: Italico, Popolo nero: Germanico, Aspen, aut Poppel ueiden: Hispanico, Alamo nigrillo: Gallico, Tremble, & Peuplier. Quod Græcè ἤλεκτρον καὶ χρυσοκόρον, Latine Electrum seu Succinum dicitur: Arabice, Karabe siue Kabre: Italice, Succino, & Ambra gialla: Germanice, Agstein, aut Boernstein: Hispanice, Esclarimente, aut Ambar: Gallicè, Ambra.

Succini uires.

Nomina.

Μάκερ. MACER.

CAP. XCIIII.

MACER ex Barbaria aduehitur, cortex flauescens, crassus, gustu perquam astringens. Qui contra cruentas excretiones, dysenterias, & alui fluxiones bibitur.

NVNQVID

Maceris, & Macis discrimen.


NUNQUID officinarum Macis, quo myristicæ nuces prætextus instar conteguntur, Dioscoridis sit Macer, non modo dubitandum est, sed etiam credendum (ut ego arbitror) magnam inter utrumque esse differentiam. Cùm enim Dioscorides dicat: Macer, qui ex Barbaria aduehitur, est cortex crassus, flauescens, & gustu perquam astringens; manifestè declarat, Macerem nõ esse officinarum macim, quòd hoc tenue sit, gustu fruens, acre, perquam odoratum, amariusculumq; . Adde quòd dixerit Plinius lib. XII. cap. VIII. Macir ex India aduehitur, cortex rubens, & radicis magnæ, nomine arboris suæ: qualis sit ea, incòpèrtum habeo. Hanc etiãmm differentiam non ignorauit Serapio: nam postquam tradidisset ex auctoritate Isach, Macim esse nucis odoratæ operimentum, dixit secus esse, de quo loquebatur Dioscorides: quippe quòd scriptum reliquerit, Macerem esse ligni corticem, siue corium. Quòd cum còmpertum haberet Auicenna, de utroq; seorsum tractauit, & Macim odoratæ nucis inuoluerum ad caput 456. relegauit: Macerem uerò radicis corticem capite 694. sub titulo Thalifar descripsit. Præterea maximo est argumentò, quòd Macis & Macer utiq; inter se differant, quòd Dioscorides, Galenus, & Paulus de odoratis nucibus, quorum Macis est tegumentum, nihil scriptis memoriæ reliquerint. Quippe si Macer, qui eis conuehebatur, Macis nobis uulgare extitisset, credendum sanè est, quòd cum illo quoq; aduectæ essent myristicæ nuces: quarum illi historiam, & facultatem, cum sint & in uiribus, & in odore admirabiles, nequaquam describere prætermisissent. De macere Galenus lib. VII. simplicium medicamentorum, hæc scriptis tradidit. Macer cortex est, qui ex India conuehitur, gustu multum acerbo, cum leuicula quadam acrimonia odorata, iucundum sanè redolens, ut pleraq; aromata, siue odorata, quæ ex India conuehuntur. Videtur itaq; & ipse ex mista constare essentia, pleraq; terrena frigida, paucula uerò calida, & tenuium partium. Quamobrem ualenter desiccatur, astringitq;: proinde cœliaci, & dysentericis miscetur facultatibus: in tertio exiccantium consistens ordine, in caloris, frigorisq; differentia neutrum insigniter efficiens. hæc Galenus. Ex quibus haud obscure colligi potest, quòd Macer longè differat à Maci. nanq; ipse gustu non reperio esse adeò acerbum, nec tam leuiscule acrimoniæ: quin potius si degustetur, linguam, & fauces admodum uellicat: odorem iucundum perfundit, & leuisculum amarorem quadam cum siccitate relinquit. Quòd facillè ostendit, quòd Macis tantum calidi, quantum siccit conceperit, uel fortasse plus calidi: & quòd pleraq; ipsius essentia sit tenuium partium. Idcirco errare non crediderim, qui dixerint Macim odoratum excalfacere, & pariter siccare in fine secundi, uel in principio tertij. Quamobrem id Macer esse non potest, cum dicat Galenus constare macerem essentia pleraq; frigida terrestri, paucula uerò calida. Quibus facillè concludi potest, quòd macer à Dioscoride, & Galeno descriptus hoc æuo ad nos non aduehatur: siquidem nullus in officinis reperitur cortex, qui possit maceris historiam expiere. Et quanuis Monachi illi, qui in Mesuem commentarios scripserunt, nullam inter macim, & macerem ponendam esse differentiam pro certo affirmant; nulla tamen auctoritate (quòd equidem sciam) aut ratione nituntur. Ceterum haud ignorandum est nec Galeno, nec Plinio, quòd dixerint ex India aduehi macerem, Dioscoridem repugnare, cum ex Barbaria ipse afferri dixerit: quoniam (ut Ptolomeus est auctor) quædam in Indo fluuiò insula, uel urbs sita est, quæ Barbaria dicitur, ex qua facillè comportabatur macer. Vel quòd afferretur ex Arabia eo maris sinu, qui à Barbaria insula Barbaricus appellatur. Quædam quidem (ut inquit Strabo) omnia, quæ in India proueniunt, ea scilicet parte, quæ ad austrum uergit, similiter in Arabia nascuntur. Maxiq; ut Græcis, ita Latinis Macer, atq; etiam Machir appellatur: Arabibus, Thalifar: Italis, Macero. Quòd Arabibus Bisbese, recentioribus Græcis Μάκισ, quemadmodum et Latinis, & Italis Macis nominatur: Germanis, Muscaten blumen: Hispanis, Macias, & Macas.

Maceris facultates ex Gal.

Monachorū opinio falsā.

V L M V S .

Nomina.



Vlmi historia.

30
 40
 50

Γριλέα. V L M V S . CAP. XC V .

V L M I & folia, & cortex, & rami vim habent spifandi. Folia trita ex aceto ad lepras efficaciter illinuntur: vulnera glutinant, sed multo magis corticis tilia, si fasciæ loco intorqueatur: nam in lori morè flecti potest. Crassior cortex in uino, aut aqua frigida unciatim potus, pituitas trahit. fracta ossa celerius solidescunt, si decocto foliorum, corticis, aut radicis foueantur. Humor in folliculis enascens prima germinis eruptione, cuti illitus nitorem inducit, faciemque splendidiorè præstat: quidam siccatur, in animalia abit, quæ culicum formam gerunt. Folia cùm tenerescunt cocta, olerum more ad obsonia usurpantur.

TAMETSI Vlmi notissima omnibus ferè sit arbor; non tamen ob hoc silentio inuoluenda putauimus, quæ de ea posteritatis memoriæ prodidit antiquitas. Vlmi itaq; (ut Theophrastus est auctor lib. III. cap. XIII. de plantarum historia) duobus distinguitur generibus: cuius altera montana, quam Græci ορεινή λέαν

λέαν uocant: altera campestris, ulmus proprie uocata: fruticosior hæc, illa uero auctior: folium indiuiduum, leuiter circumferratum, oblongius quam pyro, scabrum, non læue. Præstat hæc arbor & amplitudine, & celsitudine, non crebra circa Idam, sed rara, irriguis amica: materies flaua, robusta, neruosa, deformis, ut quæ tota cor sit. Utuntur ea ad fores lautiores: uiridis facile cæditur, sicca difficile. Sterilis deniq; putatur: sed gummi in petiolis gignit, & animalia quædam culicea: cachryes peculiare gerit, autumnò multas, minutas, nigras: cæteris uero temporibus quid ferat, minus animaduersum est. hætenus Theophrastus. Plinius uero quatuor ulmi genera statuit lib. xvi. cap. xvi. his uerbis. Inter hæc, atq; frugiferas, materie uitiosq; amicitia accipitur ulmus. Græci duo eius genera nouere: montosam, quæ sit amplior: campestram, quæ fruticosa. Italia attineas uocat, excellissimas: & ex ijs siccanas illis præfert, quæ non sunt riguæ. alterum genus Gallicas. tertium nostrates, densiore folio, & ab eodem pediculo numerosiore. quartum syluestre. Attineæ non ferunt samaram, ita uocatur ulmi semen: omnesq; e radicum plantis proueniunt, reliquæ uero semine. hæc Plinius. Qui tamen uia cum Theophrasto errasse deprehenditur, quod hic ulmum cuiusuis generis sterilem esse scripserit: ille autem, quod attineam sic Italis appellatam, semen nullum ferre prodiderit. Quandoquidem Theophrasto præter id, quod experientia nobis compertum est, repugnat Plinij autoritas: quippe qui ulmos omnes præter attineam semine prouenire scribit. Plinio deinde, qui attineam semen ferre negat, resagatur Columella lib. v. cap. vi. cion inquit. Ulmorum duo esse genera conuenit, Gallicum, & uernaculum: illud attinia, hoc nostras dicitur. Attiniam ulmum Tremellius Scrofa non ferre samaram (quod est semen eius arboris) falso est opinatus. Nam uariorem sine dubio creat, & idcirco plerisq; & sterilis uidetur, seminibus inter frondem, quam prima germinatione edit, latentibus. Itaq; nemo iam ferit ex samara, sed ex sobolibus. Est autem ulmus longè lætior, & procerior, quam nostras, frondemq; incundiorẽ bubus præbet. Sed ulmi facultates hæc sunt. Folia, & cortex, & rami uim habent spissandi, & uulnera contrahendi. Corticis utique interior tilla, lepras sedat, & folia ex aceto illita. Corticis denarij pondus potum in hemina aquæ frigide aluum purgat: pituitasq; & aquas priuatim trahit. Imponitur & collectionibus lacryma: & uulneribus, ambustisq; decocto fouere prodest. Humor in folliculis arboris huius nascens cuti nitorem inducit, faciemq; gratiore præstat. Cauliculi foliorum primi uino decocti tumores sanant, extrahuntq; per fistulas. Idem præstant e tilla cortices. Multi corticem commanducatum uulneribus utilissimum putant. Folia trita, aqua aspersa, pedum tumori. Humor quoq; e medulla castratæ arboris effluens capillum reddit capiti illitus, defluentesq; cõtinet. Hæc Plinij uerba de ulmi facultatibus lib. xxi. cap. viii. Cæterum humor in folliculis ulmi contentus (ut ego experientia compertum habeo) medetur puerorũ enterocelis, si splenia siue linteola in eo madefacta sæpe inguini partis ruptæ super imponantur, atq; inibi subfemorali, quod Italis uulgò brachiere appellatur, subligentur, & constringantur. Quin & corticis radicem decoctum articulorum duritias emollit, & neruorum conuulsiones resoluit, si in fõtis, uel balnei modum adhibeatur: item tumores discutit, quos iugi attritus in collo boum excitauit. Ulmi meminit Galenus lib. viii. simpl. medic. sic inquit. Ulmi folijs quandoq; recens uulnus glutinauimus, confidentes adstringentem pariter & abstergentem inesse illis facultatem. Cortex amplius etiam subamarus est, & adstrictorius: itaque cum aceto & lepram sanat. Porro uiridis etiamnum ac recens, si uulneribus uinculi uice circumligetur, ea glutinare potest. Radices eandem uim obtinent: nam & decocto earum quidam perfundunt fracturas, quæ topico, siue callo inducto opus habent. Huius arboris nomen Græcum est πτελέα: Latinum, Ulmus: Arabicum, Didar, Dirdar, seu Luzach: Italicum, Olmo: Germanicum, Ylmen, Ristholtz, Lindbast, Yffenholtz: Hispanicum, Ulmo: Gallicum, Orme.

Theophr. & Plinij error.

Ulmi facultates ex Plin.

Ulmi uires ex Galeno.

Nomina.

Σαπρότης ξύλων. LIGNORVM MARCOR. CAP. XCVI.

40 Ex caudicibus, lignisq; ueteribus caries congeritur. quæ farinæ modo illita ulcera purgat, & ad cicatricem perducit: serpentina cohibet, si cum pari aniso & uino subacta, linteisq; imposta illinatur.

NON sanè prorsus negligenda est lignorum ueterum, & contabefactorum caries, cum tanta facultate polleat, ut ulcera expurget, solidetq; & eadem serpentina sistat. Quod eò præstat efficacius, si ex lignis arborum colligatur, quæ tum adstringendi, tum etiam abstergendi uim possident. Quo fit, ut ligni Guaiaci caries cæteris hac in re facile præstet: quippe quæ non modò ulcera, quæ contumacia non sunt, sanat; sed & quæ cacœthe dicuntur, quæq; Gallica peste contracta sunt. Quare pudendorum exedentibus ulceribus inpersa mirificè medetur. Cæterum non modò lignorum marcor, siue caries in medicum usum uenit, sed & VERMES in cariosis lignorum caudicibus nascentes, si Plinio credimus, qui libro xxx. cap. xiii. de his sic scriptum reliquit. Cossi, qui in ligno nascuntur, sanant ulcera omnia: nomas uero combusti, cum pari pondere anisi, & ex oleo illiti. Delicatiores fuisse hos olim & in cibis idem posteritatis memoriæ tradidit lib. xvii. cap. xxiii. cum inquit. Vermiculantur magis, minusue quædam, omnes tamen ferè, idq; aues cau corticis sono experiuntur. Iam quidem & in hoc luxuria esse cœpit, prægrandesq; roborum delicatiorẽ sunt in cibo, cossos uocant: atq; etiam farina saginati, hi quoq; altiles fiunt. Quapropter mirum non fuerit, si etiam antiquitas cicadas, quæ nondum alas deprompserint, in cibis deuorauerit, Aristotelis testimonio, qui etiam addidit gustantibus esse suauissimas. Sed cur illud admirandum fuerit, si nostris etiam temporibus uermes, qui cariosis caseis innascuntur, magna admodum cum uoluptate a compluribus deuorentur? Galenus cum & ipse ad arborem, ex qua caries decidit, particularem scopum habuisset, lib. viii. simp. medic. sic de illa scripsit. Caries lignorum, & maxime, quæ particeps est adstrictionis simul, & abstersionis, uelut ulmus, expurgat, impletq; ulcera humida. Σαπρότης ξύλων ita Græcè dicitur, quod Latine Lignorum marcor, siue caries: Arabicè, Nucharer uesab: Italicè, Tarlatura del legno: Germanicè, Vuurm meel: Hispanicè, Carcoma.

Caries lignorum confid.

Vermium lignorum usus.

Caries uires ex Galeno.

Nomina.

Κάλαμος

Κάλαμος.

ARVND.

CAP. XCVII.

Arundinum
confid.

IN Arundinum genere quædam nastos, id est farctior vocatur, ex qua sagittæ factitari solent. Alia scæmina, qua tibiærum ligulas efficiunt. Alia; quod fistulis addicta sit, syringias: cui multum inest carnis, crebris cinctâ geniculis, ad librorum conscriptionem accommodata. Alia crassa, concava, apud amnes nascens: quæ à quibusdam cypria, ab alijs donax appellatur. Alia phragmites, seu uallatoria, gracilis, candicans, vulgò cognita: cuius trita radix per se, aut cum bulbis suis illita, spicula aculeosque corpore extrahit: luxata, lumborumque dolores cum aceto mulcet. Virentia folia tusa, & imposta ignibus sacris medentur, & cæteris inflammationibus. Corticis cinere peruncta cum aceto alopecie sanantur. Paniculæ lanugo, si aures intrauerit, exurdat. Eundem effectum implet arundo, quæ cypria dicitur.

ARVNDINVM quinque genera tantum, ueluti notiora hoc in loco à Dioscoride produntur: licet Plinius lib. XVI. cap. XXXVI. & lib. XXIII. cap. XI. uiginti nouem arundinum species descripserit: inter quas (ut superius diximus) odoratam recē fuit, quæ Græcis κάλαμος ἄρωματικός appellatur, in India, Syriaq; nascens, odoris iucunditate unguentis accommodata. Quod aperte indicat calanum odoratum esse inter arundinum genera reponendam, non autem inter radices, ut uulgi medicorum, & Brasauolus Ferrariensis contendunt, acori radices pro legitima odorata arundine assumentes. Illa, quæ nastos dicitur, solida, farctiq; quauis gracilis & leuis, in communem sagittarum usum à Syris accepta, non oritur, quod sciam, in Italia, nisi nascatur (ut tradidit Plinius) in Rbeno Bononiensi amne: Illa etiam, quæ the-

lys, hoc est, scæmina appellatur, cuius tantum est usus ad tibiærum ligulas, hæcenus mihi incognita est. Namq; nostra tempestate sunt eiusmodi ligulæ ex communibus arundinibus, ex ea scilicet specie, quam Dioscorides uallatoriâ nuncupat, qua nostri in uiridarijs, ac hortis in topiarijs extruendis utuntur, ac palos uiribus aptissimos efficiunt. Quod autem uallatoria sit hæc nostra communis, mihi aliquando dubitandi præbuit ansam Dioscorides: quippe qui dicat, eam esse gracilem, & candidam, cùm tamen communis nostra sit crassior. Verùm cùm postea inuenirem Theophrastum scribentem lib. IIII. cap. XII. de plantarum historia, crassiorē, firmiorēq; illam arundinem esse, quæ uallatoria nominatur, facile sum ad credendum inductus, hunc Dioscoridis locum esse deprauatum: eoq; magis, quod septis, palis, & topiarijs operibus crassæ sunt tenuibus aptiores. Illa uerò, quæ ad scribendum usurpatur, cui auctoritatem pennæ derogarunt, plurimis reperitur in locis, estq; omnibus notissima: ueluti & ea, quæ Cypria uocatur, in paludibus nascens, & apud amnes. Traditur à pluribus rei agrariæ auctoribus, tum etiam à Plinio, inter arundinem, & filicem herbam intestinum esse odium: proinde arundinem uomeri alligatam filicem in agro destruere, ac enecare prodiderunt. At eò maior arundini cum asparagis intercedit amicitia: nam si ferantur in arundinetis, inibi mirificè proueniunt. Quidam præterea prodiderunt, arundines in India ad tantam assurgere molem, ut singula internodia nauigiorum uicem præstent per fluuios, & lacus, ternos homines capiente aluo. At si plura de arundinū generibus quis audire cupiat, Theophrastum legat, qui longiori sermone earum historiam literis memoriæq; mandauit. De arundine Galenus lib. VII. simpl. medic. hæc scripta reliquit. Calami phragmitis radicem cum bulbis aculeos, & stipites ex alto extrahere quidam scripserunt, ceu trabendi quædam uis ei inesset. Nos tamen eius rei periculum non fecimus: uerùm quantum gustu liceat conijcere, abstergentem facultatem possidet non paucam, minimeq; acrem. Ceterum folia ipsa abstergentis sunt facultatis. Cortex uerò eius combustus admodum tenuium partium, & digerentis facultatis efficitur, adiunctum habens absterforium quiddam, ut exiccet, & excalfaciat tertio quodammodo ordine, plus tamen desiccet, quàm excalfaciat. Vitandum autem est eius id, quod anthelen uocant: nam si in aures incidat, adeò tenaciter adherens affigitur, ut auelli non possit, auditumq; uitiat: quamobrem sæpissimè exurdat. Arundo sic Latina uoce uocatur, ut Græca κάλαμος: Arabica, Casab: Italica, Canna: Germanica, Kor: Hispanica, Cannas: Gallica, Vng roseau.

Arundinis, &
filicis odium.Arundinis vi
res ex Gal.

Nomina.

Πάπυρος. [PAPYRVS.

CAP. XCVIII.

PAPYRVS, qua chartæ fiunt, nullis non cognita, præcipuè in medicina utilitatis ad laxandas fistulas: madefacta lino inuoluitur, usque dum inaruerit: constricta enim, atque immissa in hiatus humore completur, & intumescendo fistulas aperit. Habet nescio quid alimenti radix: itaque Aegyptij eam mandunt, succum tantum deuorantes, & mansam expuunt. Iplis radicibus pro ligno utuntur.

tur. Crematæ papyri cinis depascencia ulcera cum omnium partium, tum oris maximè, cohibet: verum melius id combusta charta præstat.

QUALIS Papyrus sit, Italia nescit: siquidem (ut Theophrastus est auctor lib. III. cap. IX. de plantarum historia, & Plinius lib. XIII. cap. XI.) Papyrus in Italia non nascitur, sed in Aegypto quibusdam in locis tantum prope Nilum fluvium, quiescentibus Nili aquis, ubi hæc euagatæ stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum: brachiali obliquæ radicis crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens: semine nullo, aut usu eius alio quam floris ad deos coronandos. Radicibus incolæ pro ligno utuntur, nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque; utensilla uasorum. Ex ipso quidem papyro nauigia texunt: & è libro uela, tegetesque, necnon & uestem, etiam stragulam, ac funem. Mandunt quoque crudum, decoctumque, succum tantum deuorantes. Nascitur & in Syria, circa quem odoratus ille calamus lacum. Nuper & in Euphrate nascens circa Babylonem. Papyrus intellectum est eundem usum habere, quem chartæ: & tamen adhuc malunt Parthi literas uestibus intexere. Præparantur ex eo chartæ diuisæ acu in prætenues, sed quam latissimas phyluras. hæc Plinius. Qui deinde sequenti capite fusius docuit Papyri conficiendi rationem, his uerbis. Post hanc papyrus est, extremumque; eius scirpo simile, ac ne funibus quidem nisi in honore utile. Texunturque omnes tabule madentes Nili aqua. Turbidus liquor uim glutini præbet, cum primo supina tabula scheda adlinitur longitudine papyri, que potuit esse, resegminibus utrinque amputatis. Transuersa postea crates peragitur: premitur deinde prælis, & siccantur sole plagule, atque inter se iunguntur. proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas. Nunquam plures scapo, quam uicena, magna in latitudine earum differentia XIII. digitorum optimis. Hactenus de papyro Plinius.

VIDENTUR & Papyri quoddam esse genus, tenuia, læuique; illa folia è iuncea quadam planta prodeuntia, que ab insulis diui Thomæ, Brasiliæ, & Mederæ, ad nos conuehuntur, saccharis ut uocant panibus inde delatis circūuoluta. Quandoquidem fragmentum retinemus à clarissimo medico Luca Ghino Pistis ad nos missum, nigris rubrisque; Arabicis characteribus manu scriptum. Quod clarissimum præbet indicium, earum insularum incolæ tenuissimis his folijs, pro papyro passim uti. Veruntamen hoc non esse papyrus, è quo antiquitas suas confecit chartas, certo scimus, quod hoc arte (ut Plinius est auctor) fieret, illud uero tale à natura producatur, & proprium sue stirpis sit folium. Antiqui itaque ex papyro chartam faciebant, quemadmodum nos ipsam ex contritis linteis conficimus: unde hactenus antiquum retinens nomen, etiamnum Papyrus apud plerosque dicitur. Credidere nonnulli, ueram esse Papyrus arundines illas, quas Indicas uocant, quibus imbecilles principes, atque hierarchæ, prelati uulgo dicti, ad ægram senectutem fulciendam pro scipione utuntur, materiam auro, uel argento succingentes. Quod tamen asserere non ausim, nec utique reprobare, cum huiusce rei certam cognitionem adhuc assequi non potuerim. Papyri meminit Galenus lib. VIII. simp. medicam. sic inquit. Papyrus ipsa quidem per se in usum medicinalem non uenit: at macerata, aut ista utilis efficitur. Igitur oxycrato, uinone macerata, recentia ulcera glutinat, maxime in circulum circumposita. Verum hic quidem est, ceu materia, que medicamina sanantia accipiat: at ubi ista fuerit, medicamen est exiccatorium, uelut & chartæ combustæ cinis, nisi quatenus infirmior est, quam papyri. hæc Galenus. Cæterum animaduertendum est, quod nostri usus charta, que ex ueteribus conficitur linteis, iisdem non pollet facultatibus, quibus ea commendatur, quam ueteres ex papyro arbore parabant. Quo fit, ut dubium mihi sit, quoniam modo parari possit illud Galeni medicamentum, quod de charta combusta dicitur, ulceribus sordidis, & sinuosis utilissimum: itemque pastillus Faustini à Paulo lib. VII. traditus. Πάπυρος Græcis, Latinis pariter Papyrus appellatur: Arabibus, Burdi, seu Berdi: Italis, Papiro.

Papyri conficiendi ratio.

Papyri conficiendi ratio.

Indica arundo.

Papyri uires ex Galeno.

MYRICA.



MYRICA, seu tamarix, arbor vulgo cognita est, cum apud pigras, & stagnantes aquas enascatur, fructum quasi florem ferens, compage muscosum. Aegyptus, Syriaque alteram gignunt mitiorem, syluestri cætera similem. Fructum parit gallæ proximum, inæqualiter astringentem gustu: quo conuenienter utimur uice gallæ in medicaminibus oculorum, orisque. Datur cruentæ excreationi in potu, & cæliacis, & contra profluuiam fœminarum, regium morbum, & phalangiorum morfus: illitus tumores inhibet. Cortex in eisdem usus adhibetur. Decoctum foliorum cum uino potum, lienem absomit: ad dolorem dentium in collutionibus salutare, & mulieribus fluxionem uulvæ opportunis in defensionibus: phthiriasi, lendibusque circumfusum prodest. Abundantiam fœminarum

Nomina.

ΜΥΡΙΚΗ. MYRICA. CAP. XCIX.

MYRICA, seu tamarix, arbor vulgo cognita est, cum apud pigras, & stagnantes aquas enascatur, fructum quasi florem ferens, compage muscosum. Aegyptus, Syriaque alteram gignunt mitiorem, syluestri cætera similem. Fructum parit gallæ proximum, inæqualiter astringentem gustu: quo conuenienter utimur uice gallæ in medicaminibus oculorum, orisque. Datur cruentæ excreationi in potu, & cæliacis, & contra profluuiam fœminarum, regium morbum, & phalangiorum morfus: illitus tumores inhibet. Cortex in eisdem usus adhibetur. Decoctum foliorum cum uino potum, lienem absomit: ad dolorem dentium in collutionibus salutare, & mulieribus fluxionem uulvæ opportunis in defensionibus: phthiriasi, lendibusque circumfusum prodest. Abundantiam fœminarum

fœminarum sistit impositus arboris cinis. Potorios calices è caudice lienosis moliantur, quò datus in his potus proficiat.

Myricæ consideratio.

VRBANA Myrica, quòd sciam, non nascitur in Italia; quanquam in Aegypto, & Syria gignitur. Quæ uerò alicubi reperitur in hortis, & in quibusdam uridarijs mitior credita, non alia est, quam sylvestris, in locos mitiores translata. Cuius rei certo sunt indicio fructus, & flores, quos omnino sylvestribus similes profert, non autem galle modo, ut domestica. Umbra arboris insigni proceritate sæpe per æstatem Romæ me oblectatum fuisse recordor ad Tyberis ripas, in hortulo quodam hospitalis Sancti spiritus. quæ etsi domestica haberetur ab omnibus; florem tamen, & fructum ferebat sylvestri similem. Hæc in fluminum ripis frequentissima nascitur in Italia. Quare non potui non admirari Dioscoridem: quippe qui dicat tantum nasci Myricam apud paludes, ac residues aquas, cum oppositum sanè eueniat in Italia. Quod me sæpius adduxit, ut crediderim, aut Dioscoridis codicem hoc loco deprauatum esse, aut in Græcia secus, quam in Italia myricam proxime stagna, ac paludes oriri. E myricæ trunco alvei excavauntur (ut Columella scribit) aquaq; replentur, ut subinde postea bibant sues: nam hoc potu splenis incremento sanantur, quo morbo æstate maxime torquentur, dum, quæ eorum est pabuli insatiabilis auiditas, arborum fructus consecantur, qui plurimi eo tempore propter ariditatem in terram decidunt. Porrò myricæ cinerem omnia ulcera ignis exustione contracta, efficaciter exiccare author est Serapio. Folia simul cum tota planta fœtu frigidus collectiones inhihent, ac reprimunt. Elephantiasim ex lienis uitio obortam myricæ radicem decoctam, & cum passis uis epotum sanare tradidit Alcanazius Arabs: id quod se uidisse ait in duabus mulieribus, quæ hac labe laborarunt. Ex quo mihi persuasum est, id nõ incongruum in Gallica peste fore medicamentum, Guaiaco forsitan ligno non abssimile. Myricæ radices pro odorata cassia uenditabant impostores. Sed postquam fraus à peritis medicæ materiæ uiris deprehensa est, eius in officinis usus penitus exoleuit. Meminit myricæ Galenus lib. VII. simplicium medicamentorum, ubi sic inquit. Myrica abstergentis est, ac incidentis facultatis, absq; perspicua desiccatione: habet uerò etiam adstrictionem nonnullam. Has ob qualitates, facultatesq; admodum prodest lienii indurato decocta cum aceto, aut uino, siue radice, siue folijs, siue extremis ramulis: sanat porrò dentium dolores. Ceterum fructus, & cortex non paucam sortita sunt adstrictionem, adeò ut galle omphacitidi proxima sint, nisi quòd acerbitas euidentis est in galla, sed myricæ fructui temperatura inest inæqualis: immista est enim naturæ eius multa partium tenuitas, atq; uis abstergendi: quod sanè galle non accidit. At tamen ubi galla fortè ad manum non erit, eo uti liceat ad omnia, ad quæ illa utimur: in eisdem & cortice. Porrò myricæ combustæ cinis admodum desiccatorie facultatis est, plurimam habens abstergendi facultatem, pauillam adstringendi. Myrica arbor ita Græcè uocata, Latine Myrica, & Tamarix nuncupatur: Arabicè, Tarfa, seu Carfa: Italicè, Tamarigio: Germanicè, Tamariscken, aut Porst: Hispanicè, Tamargueira, & Tamariz: Gallicè, Tamarisc.

Myricæ medicinz.

Myricæ uires ex Galeno.

Nomina.

ERICA.

ERICA ALIA.



ERICA.

ERICA fruticosa arbor, myricæ similis, longè minor. cuius flore apes reprobum mel efficiunt. Tam flos, quàm coma serpentium ictibus illitu medetur.

ERICA stirps fruticosa Asia, Græciâq; fruticibus ascribitur. Hæc (ut plantarum scriptores asserunt) bis anno floret. quo sit, ut prima, & ultima habeatur, quæ inter sylvestres stirpes floreat. Plinius lib. XXI. cap. IX. ericam describens inquit. Ericen Græci uocant fruticem non multum à myricæ differentem, colore roris marini, & pene folio. Hanc aduersari serpentibus tradunt. hæc Plinij uerba. Verum non ob id facile fuerit affirmare, quænam planta nobis legitimam Ericam præ se ferat, cum tam paucis notis describatur ab omnibus: tametsi hæc, cuius hic figuram appinximus, nil aliud, quàm ericam designare uideatur. Si quidem fruticosa est planta, semicubitalis, colore roris marini, folijs ferè myricæ, cui eam Dioscorides assimilât: uere primo & autumno florescens, quod huius fruticis proprium est, si rei herbarie scriptoribus est adhibenda fides. Addè, quòd huiusce flores autumno maxime depascantur apes, ea fortasse de causa, quòd non modò Erica prima sit, & ultima sylvestrium, quæ floreat; sed quòd etiam diutius floribus quàm plurimis ornetur, nempe autumno toto, & ad hyemem usque. Vnde mel, quod ex ijs apes faciunt, ericeum (ut Plinius est auctor) antiquis appellatur, quod conuichi tradidit post primos autumnus imbres, cum erica sola floret in syluis. Præterea cum lib. III. scribat Dioscorides, corim, hypericum aliquibus uocatum, fruticem esse folio ericæ, minore tamen, sitq; hæc cori folio admodum similis, magis adhuc inclinauit animus ad credendum, hanc esse Dioscoridis ericam. His ergo rationibus adductus non temerè factum putauit, pro legitima erica huius effigiem expressam dare. Oritur hæc frequentissima in Gouitiensi agro eo præsertim tractu, quâ à Dino Andrea (ita appellatur uicus) ad Vipacum stuium iter. incolæ uernaculo sermone eam nominant Grione. Sed in Hetruria longè magis adolescit, fiuntq; ex ea scopæ apitissime ad mundandas ædes, & ob id uulgo hæc planta proprie uocatur Scopæ. Marcellus, nescio qua ratione ductus, ericam magno errore genitæ speciem putat. Ericam aliam, cuius etiam hic imaginem exhibemus, ut quæ fortasse non minus, quàm antedicta, ueram referat, misit ad me Gabriel Fallopius Mutinensis medicus singularis ingenij & eruditionis, dum Patauij honorificè humani corporis dissectionem & materiam medicam proficetur. Eam autem libenter depingi curauimus, atque in medium proferre libuit, ut rei herbarie peritos in his, quemadmodum & in cæteris plantis, iudices constituamus: quorum sanè iudicio subscribent studiosi, quibus nos quidem, quantum labore atque industria consequi possimus, non grauanur prodesse. Ericam paucis perstrinxit Galenus libro VI. simplicium medicamentorum, sic inquit. Erica digerendi per halitum facultatem obrinet. Flore eius potissimum, ac folijs utendum. hæc Galenus. Ceterum aqua, in qua Erica decocta sit, sumpta tepida tam mane quam uesperis tringinta dies quinque unciarum pondere tribus horis ante cibum, ualet ad uesicæ calculos comminuendos & expellendos. Verum post id tempus malè affecti in balneum decoctionis eiusdem plantæ ingredi, atque inibi dum morantur, super Ericam decoctam sedere debent: idq; pluries repetendum est. Equidem noui aliquos, qui seruatâ rectâ uictus ratione, hoc tantum potu uesicæ calculum in minimas partes comminutum eiecerunt. Planta hæc, quæ Græcis ερείκη, Latinis item Erica nominatur, pariter & Italis: Heyden, Germanis: Queiro, Hispanis: Bruyere, Gallis.

Ericæ cōfideratio.

Mel ericeum.

Ericæ facultas ex Gal.


Nomina.

40 Ακαναλῖς. ACACALIS.

CAP. CI.

ACACALIS fructus est nascentis in Aegypto fruticis, feminis myricæ quadantenus similis. Cuius aqua, in qua maduerit, ad collyria additur, quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt.

ACACALIM Aegyptiæ arbusculæ semen ad nos hæc ætate conuehi non equidem arbitror. quippe quòd inter semina, quæ peregrina nobis importantur, nullum adhuc repererim, quòd Acacalim legitime referat.



k RHAMNVS

RHAMNVS PRIMVS.

RHAMNVS SECVNDVS.



RHAMNVS TERTIVS.

Ράμνος. R H A M N V S.
C A P. C I I.



Rhamnorum
consideratio.

Ruellij error.

RHAMNVS fruticat in sepibus, ramos ferens re-
ctos, & aculeos in acuta spinæ modum: folijs parvis,
oblongis, subpinguibus, teneris. Alterum ei genus can-
didius. Tertium nigrioribus, latioribusque folijs con-
stat, & quadantenus rubentibus: cuius rami quinum 40
ferè cubitorum longitudinem implent, spinosiores aculeis.
Fruetum edit latum, candidum, tenuem, folliculari
specie, uerticillo similem. Omnium folia igni sacro,
& serpentibus ulceribus, efficaciter illinuntur. Fama
est ramos huius ualuis, fenestrisue impositos, ueneficia
depellere.

RHAMNI tria genera facit Dioscorides. Primum, &
tertium ubiq; in Hetruria fruticant. Illud priuatim in sepibus 50
nascitur, quo nostrates mulieres utuntur ad insolandas ficus:
siquidem eas adhuc recentes longis huiusce fruticis aculeis per-
forant, & ad solem appendunt. Fert aculeos in acuta spinæ mo-
dum: folia oblonga, mollia, subpinguia: corticem habet admo-
dum album. Hoc, quod nigrius est (ut etiam Dioscorides inquit)
quinum ferme cubitorum altitudine attollitur, infirmioribus acu-
leis: fructu tenui, folliculari specie, rotundo, uerticillo non ab-
simili. Secundum uerò genus, quod cæteris candidius est, ad nos
misit clarissimus medicus Lucas Gbinus, cuius etiam hic effigiem
damus. Ceterum Ruellium deceptum esse crediderim. quippe
qui Rhamni genus eam esse stirpem arbitretur, quam nos uulgari
sermone

SPINO MERLO ITALICE.



sermone SPINO merlo, Longobardi Venetiq; Spin ceruino, Foroiulienses uerò Spin guerzo appellant. Hæc enim folijs est latis, pyri quadantenus modo: fructu ligustri effigie, baccarum instar, cuius succo utuntur pictores, ubi colore uiridi inficere sit opus: alij uerò ad resoluendam aluum cum saccharo decoquunt: eijcit enim atram bilem, & pituitam. quæ sanè notæ Rhamnis minime correspondent. Aberrasse præterea Ruellius deprehenditur, quòd Theophrasti testimonio ea de Rhamni fructu tradiderit, quæ statim Theophrastus absoluta rhamni historia de paliuro disse ruit. Sed in errore longè maiore uersantur Monachi, qui in Mesuem commentarios edidere, cum Rhamnum existimauerint rubum quendam, qui humi repens, incultisq; proueniens, mora cæruleo potius, quam nigro colore profert. Rhamni meminit Galenus lib. VIII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Rhamnus desiccet, & digerit excessu secundo. refrigerat in primo completo, aut secundo incipiente. proinde herpes sanat, & erysipelata non magnopere calida. Cæterum ad hæc teneris utendum est folijs. Huic plantæ nomen Græcum ῥάμνος: Latinum, Rhamnus: Mauritanum, Nausig, siue Nausegi: Italicum, Rhamno, et Marruca: Hispanicum, Scambrones.

Monachorū error.


Rhamni uires ex Gal.

Nomina.

Ῥάμνος. HALIMVS. CAP. CIII.

HALIMVS frutex est sepimentis idoneus, similis rhamno, sine spinis, folijs oleæ, sed latioribus. Nascitur in sepibus, & maritimis. Folia decoquuntur ciborum gratia. Radix conuulsa, rupta, torminaque mitigat, drachmæ pondere in aqua mulsâ pota: eadem lactis ubertatem facit.

HALIMVS VVLGARIS.



EST profectò & Halimus planta, cuius uariæ sunt inter auctores sententiæ. Alij enim (ut Plinius auctor est lib. & cap. XXI.) halimum fruticem esse dicunt, Dioscoridem secuti. Alij maritimam olus, salso sapore. Tertium quoq; genus addidit Crateus sub hedera tantum nasci, longioribus folijs, hirsutioribusq; odore cupressi. Quæ autem à Dioscoride hoc loco describitur, etsi alicubi fortassis proueniat in Italia; tamen qui illam mihi ostenderet, adhuc reperi neminem. Verim, si Ruellio credimus, frequens in Gallia nascitur in sepibus. Solinus plurimam in Creta nasci tradit, mirabili, si credamus, effectu, quòd ea tantum admorsâ fames arceatur. unde si nomen adinuenisset, ea procul dubio sine aspiratione scribenda esset. Halimus Mauritanis molochia, & atriplex marinus appellatur. Cuius historiam referens Serapio, narrat, quòd eam uenalem circumferentes in manuales fasciculos componunt, & per Babyloniam clamitant, molochia, molochia. Quod manifestè indicat, Halimum apud Mauritanos herbam potius esse, quàm fruticem, uel arborem, eamq; fortasse, quam Plinius maritiman, ac salsam prodidit. Quo fit, ut salsam quandam herbam (incole Bidone uulgò appellant) quæ frequentissima in litoribus Venetis prouenit, hanc esse putauerim: quippe quòd ea instar oleris in ciborum usum recipiatur. Hæc nimirum (ut eius pictura, quam hic damus, aperte demonstrat) folia fert oliuæ similia, crassiora tamen, ac perinde ferè pinguis, ut portulacæ, subalbida, læuis, sapore salso. Caules emittit albicantes, tenues, & lentos, in quorum summitate semen profert minutum, racematim coherens. Nascitur frequens prope Tergesti moenia circa salinas, ubi etiam separatim, nec minus copiosa uisitur atriplex marina, quæ syluestrem maxime emulatur, quanquam apud Mauritanos atriplex marina idem esse uidetur cū halimo. Sed quòd inter se differant, manifestum fiet libro secundo in atriplicis commentatione. Cæterum putat Adanus Lonicerus,

Halimi confederatio.

Halimi uires ex Gleno. cerus, Halimum eam esse plantam uuas ferentem, quam uulgò Ribem uocant. Sed cum huius folia non respondeant oleaginis, sed potius uirgineis, cum planè hallucinatum esse constat. Halimi meminit Galenus lib. vi. simplicium medicamentorum, sic inquit. Halimum, hæc planta frutex est plurimo in Cilicia præcipue prouentu, ubi & germina eius recentia esitant, & reponunt quoq; in posterum futura usui. Semen pariter, & lac planta ipsa generat, estq; gustus falsi, & subadstringentis. Ex quibus omnibus palàm est, ipsam esse dissimilarem. Maior autem pars eius substantiæ calida est temperatè, cum humiditate inconfecta, & leuiter flatusosa. Quæ planta Græcè ἄλιμος, Latine similiter Halimus dicitur: Arabicè, Molochia: Italicè, Halimo.

Nomina.

Γαλιούρος. PALIURVS. CAP. CIIII.

PALIURVS frutex cognoscitur, aculeatus, durus: cuius semen, pingue, & fuliginosum inuenitur. Quod potum tussi opitulatur, uesciæ calculos comminuit, serpentium icibus aduersatur. Folia & radix astrictoriam uim habent: quorum decoctum potu aluum sistit, urinam trahit, contra uenena, & serpentium morsus auxiliatur. Radix recentia tubercula, tumoresque omnes discutit, trita, & imposita.

Paliuri consideratio.

ADEO inter se in quibusdam plantarum historijs discrepant scriptores, ut persæpe eorum mentes maxime perturbent, qui rerum ueritatem indagare student. Id autem discriminis nimirum euenit de Paliuro. Nam quæ huiusce stirpis à Dioscoride traditur historia, omnino differt ab ea, quam diuersis generibus protulit Theophrastus. Hæc autem non conuenit cum ea, quam memoriæ prodidit Agathocles: neque huic illa correspondet, cuius Plutarchus est auctor: & hæc à prædictis omnibus prorsus dissentire uidetur. Paliurus Dioscoridis (ut ab eo primùm exordiar) est frutex spinosus, durus, omnibus notus: cui semen pingue, & fuliginosum. Paucis eius historiam perstrinxit Dioscorides, nulla habita de folijs mentione, quòd superuacaneum existimauerit pluribus agere de Paliuro, utpote planta apud suas regiones notissima. quòd nobis est impedimento, quò minus ueram Paliurum, de qua ipse intellexit, cognoscere ualeamus. Theophrasto deinde lib. III. cap. XVII. de plantarum historia plura sunt Paliuri genera, quæ omnia in siliquis semina terna, aut quaterna profert, lentorem præ se ferentia, ut lini semen. Amat nasci locis aridis, quemadmodum & rubus, nec minus quoque dilutis. Cæterum ab hac non parum differre uidetur & illa, cuius idem meminit inferius libro, & capite quarto: siquidem hanc plurimam nasci testatur in Aphrica folijs ei, quæ in Græcia nascitur, non absimilem. Quæ quamuis folio Græcam æmuletur; si uultu tamen diuerso prouenit, ut qui non latus, neq; folliculari specie; sed rotundus, ruberq; sit, cedri fructibus magnitudine similis: cui & nucleus inest acinorum punici modo, qui non manditur. Fructus uerò per se iucundus habetur, atq; si quis unum infundat, tum ipsam suauiore, tum uinum suauius reddi aiunt. Ex quo aliquando mihi persuasi, cum non longè aberrare, qui dixerit, hanc illam esse stirpem, quam nos **AGRIFOLIUM** dicimus, quòd folijs sit undiq; aculeatis lato maioribus, fructu cedri, rotundo, rubro, nucleum intus habente, iucundo, & gustui non ingrato: non tamen, quòd pro certo hoc asserere uelim, quòd hæc propria sit Aphricæ planta; sed quòd aliquando his notis persuasus putauerim, Paliurum hanc aut Agrifolium esse, aut omnino arborem sibi similem. Plinius ex Theophrasto hanc ipsam literis mandauit lib. XIII. cap. XXVII. Sed cum de uiribus eius differeret lib. XXI. eam recèssit, quæ & Dioscorides. Nullam ego arborem hætenus reperi, quæ Paliuro Aphricanæ similitudine respondeat, præter Agrifolium, ut dixi. Non dico Aquifolium: nam (ut Plinius refert lib. XXVII. cap. VIII.) Aquifolium ea est in Italia arbor, quam Theophrastus Crateogona uocat, omnibus ferè notis mespilo similis. Illa uerò, quam Agrifolium appellamus, constat folijs perpetuis, laurilatio-ribus tamen, subpinguibus, & per ambitum aculeatis: cortice uiridi: ramis lentis, ac flexilibus. Fructus ei rotundus, lucidus, ruber, ruscium & cedrum baccis æmulans. Huius radicem cortice incole uiscum parant, quo etiam modo ex uiburno conficiunt. Hanc non desunt, qui uelint eam esse stirpem, quam Theophrastus Agriam, siue Ariam appellat, sempiternæ frondis arborem, inter robur, & ilicem mediam. Verum ut ad nostrum institutum redeamus, Agathocles Paliurum omnino ab illis differentem tradit: quippe quoniam assurgat in Alexandria (ut ipse inquit) ad pinus, ulmiq; proceritatem, ramis frequentibus, & aculeatis: folio uiridi, rotundo, tenui. Hæc bifera est, nam tam uere, quam autumno fructum profert, oliuæ phauliæ uocatae magnitudine. Crudus mādatur is ac uirens: ubi uerò exaruit, in farinam molitur, atq; ea ita estur nullo liquore subacta. Aliud Paliuri genus in monte Coccygio nasci prodit Plutarchus ex Ctesiphontis autoritate libro arboribus dis-

Agrifolium.

AGRIFOLIUM.



Aquifolium.

uorem, tum uinum suauius reddi aiunt. Ex quo aliquando mihi persuasi, cum non longè aberrare, qui dixerit, hanc illam esse stirpem, quam nos **AGRIFOLIUM** dicimus, quòd folijs sit undiq; aculeatis lato maioribus, fructu cedri, rotundo, rubro, nucleum intus habente, iucundo, & gustui non ingrato: non tamen, quòd pro certo hoc asserere uelim, quòd hæc propria sit Aphricæ planta; sed quòd aliquando his notis persuasus putauerim, Paliurum hanc aut Agrifolium esse, aut omnino arborem sibi similem. Plinius ex Theophrasto hanc ipsam literis mandauit lib. XIII. cap. XXVII. Sed cum de uiribus eius differeret lib. XXI. eam recèssit, quæ & Dioscorides. Nullam ego arborem hætenus reperi, quæ Paliuro Aphricanæ similitudine respondeat, præter Agrifolium, ut dixi. Non dico Aquifolium: nam (ut Plinius refert lib. XXVII. cap. VIII.) Aquifolium ea est in Italia arbor, quam Theophrastus Crateogona uocat, omnibus ferè notis mespilo similis. Illa uerò, quam Agrifolium appellamus, constat folijs perpetuis, laurilatio-ribus tamen, subpinguibus, & per ambitum aculeatis: cortice uiridi: ramis lentis, ac flexilibus. Fructus ei rotundus, lucidus, ruber, ruscium & cedrum baccis æmulans. Huius radicem cortice incole uiscum parant, quo etiam modo ex uiburno conficiunt. Hanc non desunt, qui uelint eam esse stirpem, quam Theophrastus Agriam, siue Ariam appellat, sempiternæ frondis arborem, inter robur, & ilicem mediam. Verum ut ad nostrum institutum redeamus, Agathocles Paliurum omnino ab illis differentem tradit: quippe quoniam assurgat in Alexandria (ut ipse inquit) ad pinus, ulmiq; proceritatem, ramis frequentibus, & aculeatis: folio uiridi, rotundo, tenui. Hæc bifera est, nam tam uere, quam autumno fructum profert, oliuæ phauliæ uocatae magnitudine. Crudus mādatur is ac uirens: ubi uerò exaruit, in farinam molitur, atq; ea ita estur nullo liquore subacta. Aliud Paliuri genus in monte Coccygio nasci prodit Plutarchus ex Ctesiphontis autoritate libro arboribus dis-

cato,

dicato, cui si quis, aut aliud animal uoluerit fidat, uelut inuiscatum coheret, praeter cuculum, cui soli pareit, si tamen his fides est adhibenda. Quare cum de Paliuro, tot ac diuerse ferantur sententiae, & habeantur historiae, facile crediderim, Paliurum esse nomen ad nationum placita uarijs, ac diuersis aculeatis stirpibus inpositum. et si Iosephus Salsandius medicus apprimè doctus, & in stirpium historia non imperitus, dum Veneta classe in Graeciam traiecisset, Dioscoridis Paliurum se uidisse mihi pro certo affirmauerit, semine fuliginoso, ac pingui: atq; inibi proprium adhuc nomen retinere. Sunt tamen & recentioribus, qui putent Paliurum Dioscoridis eam esse arborem, quam nos sequenti capite oxyacantham esse pluribus comprobabimus. Sed profectò non placet eorum opinio, quòd planta, quam oxyacantham censemus, arbor sit, non frutex: quòd q; fructum proferat myrti magnitudine, confertum, fragilem, rubrũ, osculos intus habentem, & in racemi modum coherentem. Paliurus uerò non fructum, sed semen ferat fuliginosum, pingue, & (ut Theoph. inquit lib. III. cap. XVII. de historia plantarum) in siliquis conclusum, lentum, pingueq; lini seminis iustar. Verum ij fortasse Theodorũ Theophr. isti interpretem sequentes, hac in re decipiuntur. Siquidem is lib. primo cap. XVI. sic uertit: Quaedam folia cum extremo, tum etiam lateribus sinuata concidunt, ut ilicis, roboris, smilacis (glandiferae scilicet, & ilici similis) rubi, paliuri, & aliorum. Vbi animaduertendum est, cum perperam uertisse παρακωνβίλορα sinuata, cum ea dictio Graeca nil aliud Latine significet, quam spinis horridula. Error praeterea ex eo manifestè deprehenditur, quòd omnibus sensu pateat, ilicem, smilacem, rubum folia non proferre aliqua parte sinuata, uti ea esse cernuntur, quae plantae illi exeunt, quam nos acutam spinam arbitramur; sed longa, & per ambitum ubiq; tenuissimis, ac crebris aculeis circumsepta, in eiusdem capitulis progressu idem ostendit Theophrastus, cum inquit. Simili modo nonnulla ex his caulem primo mitem, post horridulum spinis gerunt, ut lactuca, & euncta folia spinosa redduntur, atq; etiam magis in fruticum genere, ut rubus, paliurus. Quibus palam sit, plantam, quam nos uulgò uocamus Bagaita, alij uerò Amperlo, non esse Paliurum, sed potius acutam spinam ijs tum rationibus, tum auctoritatibus, quae sequenti capite nobis adducuntur. Galenus Paliuri à Dioscoride descripti meminit lib. VII. simp. med. his uerbis. Paliuri folia, & radix adeò non obscuram habent adstringendi facultatem, ut & uentrem fluentem cohibeant: adeò digerunt, ut & phymata curant, quae quidem non admodum phlegmonode sunt, & calida. Fructus porrò tantam obtinet incidendi uim, ut & calculos uesticae comminuat: & pectoris, pulmonisq; excretionibus auxiliatur. Γαλίουργος Graecis, Paliurus Latinis, Paliuro Italis pariter appellatur.

Recentiorũ opinio reprobata.

Paliuri uires ex Galeno.

Nomina.

Ὀξύκανθα. ACUTA SPINA. C A P. C V.



ACUTA spina, quam pyrinam, aut pityanthem aliqui uocant, arbor est pyraastro similis, spinosa ualde, & minor: baccas proferit myrti, plenas, rubras, fragiles, & intus nucleum: radicem multifidam, altè descendentem. Huius baccæ potu, aut cibo, alui profluuium, & abundantiam tæminarum sistunt. Radix illita aculeos, & spicula extrahit: abortum fieri tradunt, si ter radice uenter aut sensim feriat, aut perungatur.

HABET pro comperto tota recentiorum medicorum familia, quòd arbor Dioscoridi Ὀξύκανθα, id est, acuta spina, uocata, quam Mauritanũ Berberum dixere, ea sit nimirum arbuscula spinis horrens, quam rura Tridentina, ubi in sepibus, syluis, & conuallibus frequentissima nascitur, Crespino uulgò nominant: medicorum uerò uulgas, ac officinae Arabes secute Berberum appellant, ita esse certò credentes, ut opinione ducuntur. Veruntamen si rectè delineationes, notæq; perpendantur, quas oxyacanthæ reddidit Dioscorides, crespini notis prorsus acuta spina reclamare constabit. Qua potissimum ratione adductus, quò magis ueritas eluceat, errorisq; nebula tollatur, non dubitauimus eorum opiniones resellere, qui inter recentiores medicos de stirpibus commentaria conscribentes, Crespinum uocatum legitimam oxyacantham esse asseuerant. Neque me fugit, non parum suscepisse negotij, ut eos à concepta iandiu opinione in sententiam nostram, quam ueram putamus, uenire compellam, cum magna admodum sit tum medicorum, tum seplastiariorum turba, quae hac in historia longo usu aberrat. Verum cum compertum habeam, quòd ueritas sit niue candidior, soleq; splendidior, & eorum tum uera, tum fida comes, qui uirtutibus, ac probitate praestant, duxi meas rationes multorum auctoritate comprobatas, nullam horum doctissimorum uirorum auribus molestiam allaturas, qui nolentes aberrarunt: quinimo ijs, utpote ueri defensoribus, fore iucundissimas, atq; gratissimas. Nam qui, ut sibi placeant, malunt errare quàm ueritati, & equo cedentes, errores cognoscere, eosq; corrigere, non sunt in philosophorum, ac rationabilium hominum numero recipiendi. Sed ne apologeticis uerbis tempus conteratur,

Acutæ spinæ consideratio.

Acuta spina
non est offic.
Berberis, sive
Crespinus.


ratur, rem institutam aggredior. Dioscorides acutam spinam arborem esse pyraastro similem scribit, minorem tamen, magisq; aculeatam, fructumq; gerere myrti similitudine, plenum, fragilem, rubentem, & intus nucleum, cui radices subsint multifidae, altæq; descendentes. Ex quo palam est, ipsum non alias acutæ spinæ notas expressisse, quàm proceritatis, crassitudinisq; stipitis, ramorum, radicum, ac fructuum, omiſſa foliorum, florum, & corticis historia. Quæ omnia ipse accurate perpendens, in primis Crespinum omnibus notis pyraastro reclamantem comperio, cui tamen prorsus adstipulari acutam spinam Dioscorides est auctor. Siquidem sylvestris pyrus, quemadmodum & oxyacantha, simplex è solo profilit, atque unico duntaxat caudice attollitur, ac inde tam in longum latumq; crescit, ut ad communem arborum proceritatem assurgat. Crespinus uerò, cuius sanè innumere mihi præ oculis quotidie sese offerunt plantæ, nullum ab radicibus mittit caudicem, sed pluribus, ac diuersis aculeatis stolonibus frueat, qui uirgarum modo in altum se attollunt, nec unquam arboreſcunt, nisi raro, & longo temporis tractu: quippe qui omnium maiores habentur, pollicarem crassitudinem rarissime excedunt, nisi ætate longa incrementum susceperint. quin & rara inueniuntur eius uirgulta, quæ hominis longitudinem æquent. Ad hæc pyraaster cortice constat aspero, squamoso, inæquali, crasso, colore in nigro rufescente. Crespinus uerò cortice uestitur albo, leui, & admodum tenui: quo fit ut non adeò leuiter ferro, uel lapide tangi possit, quin statim cortex frangatur, & crocea ligni materies detegatur. Præterea pyraaster prunorum modo aculeata conspicitur, aculeis singulis ex eodem loco erumpentibus, licet rami frequentissimis horreant spinis, ijsq; nigris, ualidis, candidi rhamni modo mucronatis. At crespinus ternis per interualla armatur aculeis, simul ex uno, eodemq; puncto prodeuntibus, adeò ut trifurcato ordine prodeat, duobus scilicet utrinque se pandentibus, tertio uerò medium occupante, albis, planis, non quidem rotundis, fragilibus, & admodum pungentibus. Illud insuper discriminis addam, acutam spinam fructum afferre myrti magnitudinis. Crespinum uerò racematim in uuæ modum, cuius oblongi acini tritico paulò maiores, uiuidi, ac rubentes, elegantèq; racemis adnexi, puniceos acinos quadantenus representant: quanquam minores, oblongiores, acidiore, & colore etiã multò uiuaciores habeantur. Crespini deinde folia minime pyraastrum referunt, sed potius puniceam malum, quanuis latiora, nec adeò in mucronem desinentia, per ambitum spinis tenuissimis, frequentissimisq; horrida. Radices etiã, quæ profectò æquè flauæ sunt, ac si croco essent infectæ, etsi plures sint, atq; exiles; nihilominus altè non descendunt, ueluti acutæ spinæ, sed in latus summo cespite uagantur. Flos denique pyraastro admodum refragatur: nanque melius ex racemo uuæ simili erumpit, sui fruticis interno colore, à quo dum explicatur, atq; dehiscit, perquam suauem spirat odorem. Quibus euidentissime colligi potest, & oxyacantham Græcis, & berberim Arabibus non esse crespinum, cuius communis est usus apud medicos, & seplasiarios. Sed præter hæc illud etiã certò credendum est, quòd si Dioscorides per acutam spinam crespinum intellexisset, nunquam silentio disimulasset folia mirabili opere per ambitum aculeata: neque fructum, quem ramis pendulum gerit, acinis inter se racematim coherentibus, myrti baccis asimilasset: nec scriptum reliquisset, radices in profundum agi: nec denique flauum earum colorem unquam reticisset, quo insigniter natura infectæ sunt. Non prætermisisset etiã spinarum historiam, utpote quæ ternæ suis uirgis unascantur, à pede ad uerticem: non corticis candorem, non tenuitatem: non item, quòd sæpius sine caudice, uarijs ueluti stolonibus fruticet: non denique ipsam pyraastro prorsus similem reddidisset, à qua profectò non minus disidet, quàm quercus ab olca. Ceterum si modo dicendum est, Oxyacantham nasci in Italia, eam equidem aculeatam arborem esse crediderim, stipite, cortice, ramis, floribus, proceritate, ac ligni materie planè pyraastrum referentem, quam in Hetruria rura nostra Senensis Bagata uulgò nominant, Anagninenses, & ceteri Tridentinarum uallium incolæ quidam Amperlo, quidam uerò Pan d'orso uernaculis nominibus uocant, & Goritienſes Barazzo bianco uulgari sermone appellant: quippe quæ omnibus notis, ac lineis acutam spinam referat. Primum enim hæc manifesto indicio esse possunt, arboris scilicet stipes, rami in qualibet parte acutissimis, firmisq; aculeis armati, ligni materies, subscaber squamosusq; cortex, ueluti pyraastro. Tum ita esse comprobant radices in profundum descendentes, & fructus, quem fert myrti crassitudine, uisu iucundus, rubescens, plenus, fractu facilis, ori subausterus, in quo modò unus, modò plures concluduntur nuclei. Flos etiã, quem album edit, pyraastro admodum adstipulatur: quippe quòd sit illi haud quaquam absimilis. Porro folia duntaxat à pyraastro disidere uidentur: nam dissecta sunt apij modo, paululumq; longiora. Verum mihi quidem illud non uidetur ob multas rationes aliqua ex parte nostræ repugnare sententiæ: conuenientias enim pluribus ex partibus peti certum est, non autem ex paucioribus. Quali ergo acuta spina uirgat fronde, hic non explicauit Dioscorides; sed tantum dixit, eam esse arborem pyraastro similem: quòd magis ad stipitis, ramorum, corticis, florum delineationem, & ligni materiem respiceret, quàm ad folia, quæ nihilominus laciniata constant apij modo: tametsi hoc in loco id adnotare prætermiserit Dioscorides. Hoc autem probatur manifesto ipsius Dioscoridis, ac etiã Theophrasti testimonio. Nam Dioscorides, cum de mespilo ageret, duo mespilorum genera constituit, & relicta in capitis calce uulgata, quæ frequens, & communis uisitur in Italia, illam in primis descripsit, quæ Neapoli nostra tempestate uulgò Azarolo uocatur, & ueteribus aronia dicta est, sic inueniens. Μέσπιλον τὸ δένδρον, ὃ παρ' ἡμῶν ἄρα νῆα καλεῖται, ἀκωνθῶδες ἐστὶν ὁμοίον τοῖς Φύλλοις ὄξυακάνθης. καρπὸν δ' ἐρπον μικρῶ μὲν ὁμοίον, ἢ δ' ὄν. id est, uerbum ex uerbo. Mespilus arbor, quæ à nonnullis aronia uocatur, spinosa est, similis folijs oxyacanthæ: fructum ferens exiguo malo similem, suauem. Quibus autem folijs constat illa mespilus Azarola uocata, Theophrastus lib. III. cap. XII. demonstrauit his uerbis. Huius folia dissecta sunt, extremitateq; apij similia. Ita fit, ut concludamus oporteat, si mespilus aronia folio oxyacanthæ prouenit, eoq; scisso (ut Theophrastus prodidit) apij instar, hanc spinosam arborem Bagata uulgò dictam, esse procul dubio acutam spinam. quandoquidem eius folia in modum apij dissecta sunt, mespili aronie modo. Theophrastus lib. VI. cap. ultimo de historia plantarum scribit, oxyacanthæ fructum fuisse antiquis in coronarum usu. Quòd etiã non parua est argumento illam legitimam esse oxyacantham, quam in medium attulimus. Quandoquidem

Legitima oxyacantha.

Acuta spina non est offic. Berberis, sive Crespinus.

fructus

CRESPINVS.



fructus eius, qui autumno toto, & ad mediam hyemem usq; perdu-
rat, adeo leuore quodam pellucet, ruboreq; decoratur, ut globu-
los e praestantiori corallo paratos referat: id quod in coronis ma-
xime praestasse crediderim. Hæc est nostra de oxyacantha senes-
tia, à nobis satis, ut arbitror, tum rationibus, tum auctoritatibus
comprobata. Quam tamen quod infirmare uideatur Theophrasti
auctoritas lib. I. cap. xv. & lib. III. cap. IIII. de historia planta-
rum, ubi oxyacantha connumeratur inter eas arbores, quæ perpe-
tua fronde uirent, eim nostræ folia decidant, non est qui non faci-
le intelligat. Sed ego quidem non possum huic auctoritati alioqui
grauissimæ assentiri, quin potius adducor, ut suspicer codicem ijs
in locis deprauatum esse. Suspicionem nobis facit illud, quod ibi ti-
lia, myrica, quercus, & terebinthus sempiterna coma prodantur.
quod ut falsum deprehendetur ab omnibus, qui hisce plantis folia
decidua esse obseruabunt, ita quoq; oxyacanthæ contigisse cogno-
scent, atq; in omnibus mendum codici subesse. Eandem suspicionem
auget nobis Plinius, qui lib. xvi. cap. xx. & xxi. dum arbores
enumerat, quæ perpetuo uirent, nullam tiliæ, nec quercus, neque
oxyacanthæ mentionem facit: attamē is reliqua Theophrasto ac-
cepta referre potest. Reliquum igitur est, ut dicamus, Crespinum
aliud esse ab Oxyacantha, plantamq; ideo fuisse ueteribus incogni-
tam, quod eorum nullus, qui de plantarum historia scripserunt, hu-
ius aculeate stirpis (quod ego sciam) meminerit. Porro CRE-
SPINVS frutex potius, quam arbor est, e terra uirgulis pluri-
mis assurgens, ueluti corylus: e quibus non desunt, quæ quandoq;
longo temporis tractu, ægrè tamen, arborescant. Hæc ab imo ad
summum spinis quibusdam acutissimis horret longis, compressis, al-
bicantibus, fractuq; minimè contumacibus, quæ (ut supra dictū est)
per interualla ternæ ex eodem prodeunt puncto. Cortex toti
plantæ candidus, leuis, ac tenuis: cui subest ligni materies flaua,
fragilis, atq; fungosa. Numerosis tota uirgultorum congeries ni-
tiur radicibus impense flauis, quæ per summa terræ diuagantur:
folijs ferè punice, tenuioribus tamen, latioribus, minusq; in micro-
nem extensis, per extremum ambitum minutissimis spinis circumse-
pris. Flores emittit ineunte maio luteos, racematim coherentes in
uix ferè modum, odore non ingrato. Quibus postea succedit fru-
ctus acinis oblongis, racemo pendulis, qui maturitate maximè ru-
bent, puniceæ mali acinis haud quaquam absimiles, quæquam figu-
ra longiores, gustu acido, & subaustero, paruis reconditis intus nu-
cleis. E fructu post uindemias incole uinum exprimunt, quod falso
de Berberi uocant officinæ: cui austeritatis aciditatisq; longè plus
inest, quam mali puniceæ succo. Quod si in acutis, perniciosissq; fe-
bribus, uti causus, & quæ pestilens est, iulapio uiolaceo commistū,
ac aqua ægrotantibus exhibeatur, non modò sitim restinguit, sed
biliosas, pestilentesq; exhalationes suppressit. Datur utiliter cœ-
liaciis, cibum reiicientibus, & dysentericis, & ubi bilis à iocinere
in uentriculum regurgitans cholericos excitauerit affectus. Non
secus tam sumptum, quam inditum mensum profluuiæ cohibet. Ti-
neas uentris enecat, præsertim si bibatur ex aqua graminis, uel por-
tulacæ, uel abrotoni, addito sacchari tantillo. Prodest eruentis
excreationibus: firmat commotos dentes, si eo sæpius foueantur;
quinetiam gingiuas roborat, et gargarizatu faucium, uueq; inflam-
mationes discutit, atq; destillationes eò confluentes reprimit. Vul-
nera recentia in carnis superficie gluinat, & ulcera uetera desicc-
cat. Nihilominus nocet his, qui ex flatu, ac frigiditate laborant
uentriculi doloribus, atq; etiā ægrè spirantibus. Cæterum post-
quam acuta spinæ historia eò me deduxit, ut de nonnullis alijs acule-
atis stirpibus differerim, non erit ab re, ut plantarum facultas
augeatur, si illam addiderim plantam, quæ folio etiā apij constat,
& undiq; spinis riget, ab aliquibus VVA SPINA, à nonnullis
Vua marina, & à pluribus Vua crespina uocata. Planta hæc anti-

Crespini for-
ma, & uires.

VVA SPINA.



quis

Vua spinæ
mentio.

quis fortasse incognita fuit, nunc autem omnibus notior est, quam ut à me pluribus describi debeat. Huius baccae in usu ciborum sunt uix omphacis loco. Quae & febrientibus iuseulis incocta non sine utilitate exhibentur. In summa mulieribus utero gerentibus magnopere expetuntur. Hinc accedit & altera planta ueteribus, quantum reor, incognita & silentio inuoluta, quam aliqui falso Mauritanorum

RIBES VVLGARIS.

Ribes officina-
confid.

Error quo. u-
dam.



Bellonij opi-
nio improba-
ta.

Oxyacanthæ
uires ex Gal.

Nomina.

RIBEM esse contendunt. Ea fruticosa est, folio paruo, nitigineo, perinde ac albæ populo. Ramuli sunt ei leuiter, ac flexibiles: è quibus fructus paruorum uuarum modo, ut in cressino, racematim dependent, rotundis, simulq; coherentibus acinis magnitudinem piperis, qui maturitatem adepti, maxime rubent, sapore subacido, admixto etiã dulci. Vulgaris est planta, in hortisq; frequens: quippe quoniam ad sciendos hortorum puluinos eleganter seratur. Verum eos hallucinari abunde constat, qui putant, hanc arbusculam esse Arabum Ribem. Siquidem, ut posteritatis memoriae prodidit Serapio, Ribes est arbor proferens capreolos colore uiridi rubescente, & folia lata, magna, & rotunda. Quas sane notus huic non respondere satis notum est: neq; enim fert hæc capreolos, neq; eiusmodi folijs uiret. tametsi fructu Ribem admodum referat, quod is gustui sit acidus simul & dulcis, qualem esse Ribis baccam auctor est Serapio. Quamobrem is ad ea, quæ ille iure poterit usurpari, utpote quod febribus acutis opituletur, æstuam uentriculum refrigeret, sitim restinguat, nauisam & uomitiones sistat, cibi appetentiam incitet, cœliacos, & lientericos iuuuet, & biliosis defluxionibus uexatos: sanguinis feruorem demulceat, bilis acrimoniam retundat, impetumq; domet. Quare non damnandi, quin potius laudandi uidentur seplassarij, qui ex huiusce arbusculæ fructu uinum exprimunt, & per annum asseruant, ut illud Ribis loco medicamentis immisceant. Non desunt, qui id esse hanc plantam arbitrentur, quod Galenus lib. vii. de compositione medicament. secundum locos Vrsl. uinum appellat. Quorum error satis ab ipsomet Galeno refellitur eodem loco: quando quidem asserit huiusce uix plantam memæcyli folio uirescere.

Bellonio uero in libro de arboribus coniferis Ribes Serapionis planta quedam censetur, quam se inuenisse scribit in monte Libano ad supremum cacumen, folijs oxylapathi, grandioribus retusioribusq;: è quorum medio racematim exeunt baccae rubentes, ut in hippoglossò, rusco, & lauro Alexandrina. At certe ego non audeo, nec possim Bellonij indicio subscribere, quod planta illa non respondeat notis, quas Ribi tribuit Serapio. Ea enim folia non fert rotunda, sed oxylapathi, non habet capreolos, & baccas è medijs folijs exerit. Vnde facile adducor, ut putem eius Ribem falsam & adulterinam esse potius, quam ueram & legitimam. Oxyacanthæ uires Galenus lib. viii. simplicium medicamentorum, sic inquit. Oxyacanthus, arbor ut pyri syluestri similem habet speciem, ita & uires non dissimiles: quin & ipsi fructus, pyri quidem syluestris absolute acerbus est, ceterum oxyacanthæ, & tenuium est partium, & paulum quiddam incisuum obtinet. Porro arboris huius fructus pyri syluestris fructui similis non est, uerum myrtis, scilicet rubens & rarus. Habet uero & nucleos. Porro non esus tantum, sed & bibitus affectus omnes fluxionum, quos goodæ Græci uocant, cohibet. Hæc planta Græcis οξύακανθα nominatur: Latinis, Acuta spina: Arabibus, Amirberis, seu Amyrbaris: Italis, Bagaia, & Amperlo: Hispanis, Pirlitero, & Pirliteros.

ΚΥΝΟΣΒΑΤΟΣ.

RVBVS CANIS.

CAP. CVI.

FRUTEX est arboris instar, rubo longè maior. Folia fert multò latiora myrto, robustis circa ramos spinis, flore candido: fructu oblongo, nucleo oliuæ simili, qui per maturitatem fuluescit, & flocculos intus continet. Fructus exemptis interioribus floccis arcfactus, aluum sistit: feruefacti enim ij in uino, mox poti, arteriam infestant.

Rubi canis
confid.

NON EQUIDEM putauerim esse Rubum canis illud rosarum syluestrium genus, quæ rosas edunt ijs quædantenus similes, quas Moschette uulgò uocamus; quæq; rubentes baccas rosarum fructibus non absimiles, licet minores, proferunt: nec etiam quoduis aliud syluestre rosarum genus, quemadmodum nonnulli existimant. Nam si ita res se haberet, sat erat Dioscoridi dicere, quod canis Rubus rose similis esset, non autem quod arboris instar assurgeret, rubo longè maior, quodq; folia ferret myrto latiora, à quibus syluestris rosa profecto plurimum dissidere uideatur, fructumq; mittere non modo oliuarum nucleis, sed oliuis ipsis multò crassiorum. In eam autem sententiam non modo me pluries deduxit, sed etiam confirmauit Plinius: quandoquidem ipse lib. viii. cap. xli. peculiari nomine rosam syluestrem cynorrhodon appellat, id est, caninam rosam, non cynosbaton, id est, caninum rubum, cuius radicem ad canis rabidi morsum miris laudibus extulit. Quod iterum asseruit lib. xxv. cap. ii. ubi illud etiam addidit, quod apud ueteres

ueteres nil aliud cynorrhodon erat, quam spongiola illa, quæ medijs syluestrium rosarum ramis oboritur. Ceterum cum de cynosbato, hoc est, canirubo idem differeret, cum à rosa syluestri longè diuersum ficit, ut uidere est libro x xiiii. cap. xiiii. ubi ait, cynasbaton folio esse uestigio hominis similem. Huc illud etiam accedit, quod posteris scriptum reliquit Theophrastus lib. iiii. cap. xviii. de plantarum historia, ubi sic inquit. Canirubus fructum subrubrum parit malo punice similem: est inter arborem & fruticem medius, & punice proximus, folio uticis. Ex quibus palam est, non parum inter se habere discriminis canirubum, & syluestrem rosam, de qua postea libro & cap. vi. particularem tradidit historiam. Vbi cum primum satius rosas longa prosecutus fuisset oratione, de syluestri ita pauca differuit. Syluestres rose domesticis asperiores tum uirgis, tum folijs constant, & florem minus odoratum, minusque coloratum, nec tanta magnitudine ferunt. Quare pro comperto habetur, aliud genus esse rosam syluestrem à canirubo, quorum alterum *κυνόρροδον*, alterum *κυνόρροτον* à Græcis appellatur. Quocirca manifesto in errore fuisse deprehenditur Marcellus Dioscoridis interpres, & commentator: quippe qui idem esse crediderit cynosbaton, & cynorrhodon, non animaduertens, quàm illa inter se dissimilia fecerit Plinius sibi familiarissimus. Hunc forsitan seculi Monachi in Mesuem scribentes, ipsi quoque in eundem lapsum inciderunt, credentes syluestrem rosam legitimum esse canirubum. Quibus præterea animo exciderat, Dioscoridem scripsisse rubi canis fructum oliuarum nucleis esse similem: quandoquidem ipsi illum pyris compararunt. Ex quo aliquis facile iudicabit, hos nullam canis rubi cognitionem habuisse. Ad hæc non reperio, quòd dixerit Dioscorides, canis rubi fructum semen aliquod includere, quo tamen rosarum syluestrium fructus refertus inuenitur: sed lanosum quoddam continere dixit. Accedit his Serapionis auctoritas, qui de canino rubo inter alia rubi genera egit, non autem inter rosas: quòd omnino compertum haberet, hinc à rosis quàm plurimum differre. Illud insuper addiderim, quòd cum rose syluestres ferè omnes non leuiter ex albo purpurefiscant, cynosbato uerò flos perpetuò sit candidus, non est legitime asserendum, syluestrem rosam esse cynosbaton. Ex ijs igitur omnibus satis (ut arbitror) liquet, canirubum à syluestri rosa longè abesse: tantoque magis, quòd memoria prodiderit Theoph. lib. & cap. ix. de plantarum historia, caninæ sentis fructum auerso flatu colligendum esse, alioqui periculum oculis imminere. Quod aperte demonstrat, super eo uel tenuem quandam lanuginem, uel quid puluerulenti insidere, quòd si à uento expellatur in colligentium oculos, facile ijs cæcitatem inducat. quod tamen in syluestrium rosarum fructibus nunquam uisitur. Meminit Rubi canis Galenus lib. vii. simpl. medic. sic inquit. Huius fruticis fructus, non segniter adstringit, folia uerò mediocriter. Itaque particularis eius usus haud ignotus est. Cauendum ab eo, quod in fructu eius lanæ speciem habet, ceu arterie infestum. Frutex is Græcè *κυνόρροτον* uocatur: Latine, Rubus caninus: Arabice, Sent: Italicè, Rovo canino.

Marcelli, & Monachorū lapsus.

Rubi canis uires ex Gal.

Nomina.

Κύνροπος. LIGVSTRVM. CAP. CVII.

LIGVSTRVM arbor est oleæ folijs circum ramos similibus, latioribus, mollioribus, & colore uiridioribus: flore candido, muscoso, odorato: semine sambuci, nigro. Optimum nascitur in Canope, & Ascalone. Folia astringentia uim habent: quare commanducata ulceribus oris medentur: illita feruidis inflammationibus, carbunculisque profunt: decocto eorum igni ambusta fouentur: capillum rufant trita folia, quæ in radicula succo maduerint. Flos ex aceto fronti illitus, capitis dolorem sedat. Cyprinum oleum, quod ex eo fit, odoratum, excalfacit, emollitque neruos; si quæ feruenti natura prædita sint, assumat.

LIGVSTRVM in Hetruria Guistrico corrupta uoce uulgus nostrum appellare consuevit. Quod imbi etiam aliqui Oliuetta, nonnulli Oliuella, quidam Chambrossene uulgò uocant. Mauritani uerò Alcanna nominatur. Nascitur frequens in sepibus secus uias passim in Italia. Floret abeunte uere, & ineunte estate, flore muscoso, uel (quandoquidè Oribasius legit *βοτρωώδην*) racemoso, candido, odore suauis, sed qui decerptus statim flaccescat. Oriuntur ex eo bacce in cacumine racematim coherentes pyramidis modo, hederæ baccis minores, leuiiores, ac nigriores, quarum in medicamentis est usus. Sunt qui has baccas à Virgilio, uacinia uocari putent. Sed meo quidem iudicio non rectè planè sentiunt. Quemadmodum nec Euchsus, qui rubi mora, quoniam Græcis *κόρροτον*, uacinia esse putat: siquidem uacinium florem, non fructum esse pluribus constat. Ceterum in uerbis Dioscoridis stirpium nomenclaturis legitur, hyacinthum uaciniis Romanis fuisse uocatum. Ex quo facile crediderim, uaciniom

Ligustri consideratione.

Vacinijs uarijs opinionibus.



Virgilio nil aliud designare, quàm hyacinthum. Neque mirum est, quòd Virgilius hyacinthum uacinijs nomine nigrum appellauerit: nam hyacinthus facile cum uolis colore purpureo certat, purpureus autem color à compluribus ni-

ger

ger intelligitur. Hanc nostram sententiam comprobat Virgilius: quippe qui semper uacinia floribus admiscet, ipsa demq; cōparat, non autē fructibus. Quod manifestē declarauit in Bucolicis, ubi de uacino sic eecinit, primò Eclog. 11.

Alba ligustra cadunt; uacinia nigra leguntur.

Deinde in eadem.

Mollia luteola pingit uacinia caltha.

Item in ultima.

Et nigrae uiole sunt, & uacinia nigra.

Marcelli opinio reprob.

Nec placet præterea Marcelli opinio, qui pluribus comprobare nititur, uaciniū esse Irim. Siquidem præterquam quòd nunquam legerim Irim in coronis uenisse, color non æque promptè correspondet, quòd uariis adeò sit, ut non aliunde sibi nomen comparauerit, quàm à celestis arcus colorum uarietate. Adde etiam, quòd cum Iridis flos omnium fragilissimus caducissimusq; sit, pœta nullo pacto hunc ligustro prætulisset. Quidam Ligustrum eam conuoluuli speciem esse autumant, quæ sepibus, fruticibus, & arbutis se circumuoluit, ac etiam sepius utium palis in uinetis, flore candido, lilij, seu calathi effigie, quam ego læuem esse smilacem nunquam dubitauit. E quorum numero fuit

Seruij Gram. lapsus.

Seruius Grammaticus Virgilij commentator Ecloga secunda Bucolicorum. Nempè falsus (ut arbitror) quòd neglexerit in hac historia Plinium consulere, Dioscoridem, & alios de stirpium natura differentes. Non defuerunt etiam qui existimauerint ligustrum esse Mauritanorum caprifolium, quod sanè nil aliud est, quàm Dioscoridis pyxantha, seu lycium, non autem periclymenon, ut Ruellio placet. Sed isti quoque à ueritate deficiunt.

Ligustri uires ex Galeno.

Ligustri meminit Galenus libro VII. simplicium medicamentorum, sic inueniens. Cypri seu ligustri folia, summaq; germina in usum ueniunt, & facultatis, & temperamenti maximè misti: habent enim quiddam digerens cum aquæ substantia modicè calida, habentq; etiam adstrictorium quiddam ex terrena substantia frigida. Itaque eorum decocto quidam ambusta fouent. Utuntur uerò etiam aduersus igneas phlegmonas, & carbunculos. Nam absq; molestia & morsu desciscant. Quinetiam spontè prouenientibus in ore ulceribus aphthodesi, & ipsis puerorum aphthis commansa accom-

Nomina.

moda sunt. Κύπρος arbor ita Græcis, Latinis uerò Ligustrum appellatur: Mauritanis, Kenne, Henne, seu Hanne: officinis, Alcanna: Italis, Guistrico, Oliuella, Oliuetta, & Chambrossene: Germanis, Rheinuuelden, Beynhoeltzlin, & Mundboltz: Hispanis, Alfena, siue Albena: Gallis, Du troesne.

Φιλλυρέα.



PHILLYREA.

CAP. CVIII.

PHILLYREA arbor est ligustri magnitudine, folijs oleæ nigrioribus, & latioribus: fructu lentisci, nigro, subdulci, racematim cohærente, asperis nascitur. Huius folia astringunt: ad eadem utilia, ad quæ oleaster, cum astrictione est opus: maximè ad oris ulcera commanducata, aut si decocto colluantur: pota urinam, ac menses cient.

PHILLYREA.

TILIA.



RECEN*

RECENTIORES Dioscoridis interpretes, ut Hermolaus, Ruellius, & Marcellus Florentinus, Phillyream hic descriptam à Dioscoride, eam esse arborem certò credidere, quæ Tilia dicitur, nimirum falsi nominis similitudine. Quandoquidem tilia Græcis $\tau\acute{\iota}\lambda\iota\alpha$, non autem $\phi\acute{\iota}\lambda\lambda\upsilon\gamma\acute{\epsilon}\alpha$ dicatur. Quod cum nullus horum animadvertisset, alter alterum secuti concordantes phillyream tiliam appellarunt, ita Græcum nomen malè, meo quidem iudicio, in Latinum uertentes. Quo factum est, ut multis sit persuasum, uel quòd Dioscorides tiliam nunquam uiderit, uel quòd illi à vulgari tilia alia esset longè diuersa, utpote quæ omnibus notis tiliæ refragatur. Sed quòd Dioscorides tiliam seorsum à phillyrea cognouerit, uel saltem in ijs plantis discrimen posuerit, satis perspicuum fieri arbitror in huius libri præfatione circa finem, ubi hæc uerba leguntur. Flores, & omnia, quæ iucundam odorem efflant, reponantur ἐν κίστωις $\phi\acute{\iota}\lambda\lambda\upsilon\gamma\acute{\epsilon}\iota\sigma\iota\varsigma$. Quæ sanè nocēs Græcæ non solum quòd rectè uertantur ab interpretibus, in arcibus tiliacis, sed quòd postrema quidem non à $\phi\acute{\iota}\lambda\lambda\upsilon\gamma\acute{\epsilon}\alpha$, sed à $\tau\acute{\iota}\lambda\iota\alpha$, quæ Latinis tilia est, deduci possit, abunde declarant, has plantas diuersas esse in hoc ipso auctore. Porro hinc facile comprehendì potest, quòd illi non solum nomina, sed etiam rem confuderint: nam si tiliam cognouissent, nulli dubium est, quin phillyream Dioscoridis proprio nomine separassent à philyra, hoc est tilia Theophrasti, qui eam libro III. cap. X. de plantarum historia his uerbis memoriæ prodidit. TILIA quædam mas est, quædam scemina. Distant inter se tum materie, tum totius corporis forma, & quòd altera sit fructifera, altera uerò sterilis. Nam materies mari dura, flaua, nodosior, spissiorq;: scemine candidior. & cortex mari crassior, detrahusq; inflexibilis propter duritiã est: scemine candidior, flexibiliorq;: ex quo cistas faciunt, item scemine odorator. & mas sterilis, nulloq; flore est: scemina & florem, & fructum gignit. Flos calycula intectus præter folij pediculum, amentumq; futurum, pediculo altero annexus, uiridis, dum in calycula est, detectus autem leniter flauus: floret cum urbanis. Fructus oblongus, orbiculatus, magnitudine fabæ, similis hederæ acino, quinque angulis, ueluti neruis eminentibus, inq; acutum, cum sese contrahentibus partitus, qui scilicet mausculus est, minutius scelus autem confusior constat: cum ille mausculus scabitur, paruula quædam, ac prætenuia semina, quanta atriplicis emittit. Folium, & cortex dulcia, suauiaq;: folium forma hederaceum, nisi quòd in angulum acutior rem rotundatur: & quanquam iuxta pediculum curuatius; tamen de medio in acutius coactum prætendit, seq; prolixius protrahit, crispum in orbem leniter, atq; serratum. Medullam exiguam materies continet, nec multò reliquo molliorem corpore: nam & reliquum ligni molle est. Hæc de tilia Theophrastus. Quibus sanè notis adamusim respondet nostra tilia. Sed eas, mea quidem sententia, non inuenias in phillyrea Dioscoridis: siquidem hæc folio constat oleæ, illa uerò hederæ: huic fructus lentisco similis, racematum coherens, rubens, granis, quæ uocant paradisi, non absimilis; illi uerò oblongus, orbiculatus, ad fabæ magnitudinem, quinque angulis, ueluti neruis, disjunctus, cui intus semen atriplicis instat. Quod apertè ostendit earum discrimen. Id etiam declarat tiliæ proceritas, amplitudoq;: ac ramorum densitas: nam phillyrea Dioscoridi arbor est pumila, ligustri magnitudine. Et quanquam tradat Plinius, tiliam arborem esse proceritate perquam modica; tamen eam sensibus, & experimento contrarium constat, credendum certè putauerim, Plinium quoq; deceptum propinquitate uocabuli & Theophrasti philyram, & Dioscoridis phillyream simul confudisse: à quibus facile ea, quæ de tilia scripsit, accepit. In quam sententiam hæc quoq; ratio me deducit, quòd Plinius uni tantum speciei, scilicet nostræ uulgari tiliæ, uires attribuit, quibus pollere phillyream Dioscorides est auctor, præter alias plures, quæ ipsi tiliæ sunt propriæ, quemadmodum fecit & Ruellius illum secutus. Est itaq; Phillyrea arbor longè diuersa à tilia, multis cognita, quoniam in Italia prouenit asperis tantum montibus, quibus maxime gaudet. Adamus Lonicerus in suo de stirpium historia libro constantè asserit, nulla tamen hac alata ratione, nec autoritate, ligustrum, & phillyream unam & eandem esse plantam: contenditq; caput hoc omnino Dioscoridis spurium esse. Verum is idè hallucinatus uidetur, quòd primum phillyræ delineatio à ligustro, quod Græcis $\kappa\acute{\iota}\sigma\tau\upsilon\varsigma$ dicitur, non parum dissentiat: secundo quòd non solum codices Dioscoridis Græci, & ij quidem probatissimi, habeant phillyream; sed etiam Orbasij codex manu scriptus, in quem ipse ex Dioscoride simplicia transtulit: quemadmodum eam etiam habent Paulus, & Serapio, qui Arabico sermone phillyream Mahaleb appellauit. Tiliæ cortex commansus, ac inde illius uulneribus agglutinandis efficax est. Folia uerò trita, & aqua conspersa pedum tumores discutunt. Humor è medulla castrata arboris defluens capiti illitus capillos reddit, defluentesq; continet. Arbor, quæ Græcis $\phi\acute{\iota}\lambda\lambda\upsilon\gamma\acute{\epsilon}\alpha$, Latinis item Phillyrea uocatur: Arabibus, Mahaleb: Italis, Phillrea. Quæ uerò Græcè $\tau\acute{\iota}\lambda\iota\alpha$, Latine Tilia, pariter & Italicè nominatur: Germanicè, Linden.

Phillyræ, & Tiliæ confid.

Interpretum Diolc. lapsus.

Tiliæ historia.

Plinij lapsus.

Adami Loniceri error.

Tiliæ uires.

Nomina.

Κίστος. CISTVS. CAP. CIX.

50 CISTVS, quem aliqui citharon, aut cissaron uocant, ramosus frutex est, sed improcerus, foliosus: saxosis locis nascens: folijs rotundis, acerbis, hirsutis. flos masculo ut mali punicæ, sceminae albet. Vis astringens: unde flores in uino austero bis in die poti, profunt dysentericis, & nomas per se illiti cohibent: vetustati ulcerum, & igni ambustis cum cerato medentur. Hypocistis rhobethron, aut cytinus à nonnullis cognominata, iuxta cisti radices nascitur, floris punici similitudine. Quædam rufa, altera herbacea, tertia candida. Liquatur acaciæ modo. Aliqui tamen exiccant, fractamq; macerant, & incoquunt, reliquaque ut in lycio prosequuntur. Vires acaciæ habet, uerum aliquantò magis siccatur, & astringit. Prodest dysentericis, cœliacis, sanguinem excreantibus: sceminarum profluuiò & pota, & indita.

Cisti, & hypocistidis confederatio.

NASCITVR uterq; Cistus, è cuius radicibus Hypocistis profilit, in pluribus asperis Hetruriae locis, & præsertim in Apennino monte. Quare probi quidem, ac diligentes seplastarij omni studio, atq; ope niti debent, ut sibi utrunque

CISTVS MAS.

CISTVS FOEMINA.



HYPOCISTIS.



Fuchsij error.

Hypocistidis
su. idanea.

Pl. nij lapsus.

Cisti, & hypo-
cistidis vires
ex Galeno.

utrumque genus cum Hypocistide uel ex Apennino ipso, uel aliunde
deportaretur: quandoquidem sine legitima hypocistide legitima
non possit fieri theriaca, nec praeterea alia quaedam, quae in
medicina usum ueniunt, antidota, ac medicamenta. Namq; hypo-
cistum, quae passim utuntur officinae, ex hirci barbae radicibus im-
postores conficiunt, suum inde exprimentes, at ut concreseat,
insolantes. Errandi tamen, ac simul imposturam faciendi causam
dederunt Arabes, quod cistum hirci barbaram appellant. Quo
factum est, ut ij omnino aberrauerint, qui officinis hypocis-
tidem parant, sibi persuadentes hirci barbaram, quam Graeci
τρρυον ωγωνα uocant, illam esse stirpem, de qua Arabes in-
telligunt. Quo errore ducti non modo seipso decipiunt, sed etiam
alios, qui passim adulterina hypocistide utuntur. Atqui Fuchs-
sius in libro de componendis medicamentis, quem secundo edidit,
ubi pastillos ex succino perpendit, non sine magno errore (pace
uri eruditi dixerim) putat hypocistim fungum esse. Quandoquid-
em hypocistis non fungus est, sed ueluti germen, quod e cisti ra-
dicibus pullulat, effigie serè puniceorum cytinos representans, ut
optime seivni ij, apud quos cisti plantae copiose proveniunt.

Hypocistidis locum supplere acaciam tradidit Dioscorides, ut
etiam habetur in Galenicis succidaneis: quae illius uice uti possent
officinae, si modo ea careret adulterio. Potest etiamnum, si
desit hypocistis, assumi eius loco floris agrestis puniceae succus:
quippe qui eadem praestet, quae hypocistis, auctore Dioscoride.

Plinius deceptus uocabulorum germanitate ineptè satis, meo iu-
dicio, commiscet cisti, & cisti historiam: quamobrem non imme-
rito eum damnauit doctissimus Leonicens. Cisti meminit Ga-
lenus lib. vii. simp. medic. sic inquit. Cistus, aut Cistarum frus-
tex est gustu adstringens, omnibusq; particulatim operibus. At-
tamen folia, et parua germina trita adeo desiccant, adstringuntq;
ut uulnera glutinare ualeant. At flores magis sunt efficaces, adeo
ut cum

10

20

30

40

50

ut cum uino poti dysenterias, uentris imbecillitates, fluxusq; ac humiditates sanent: cataplasmatibus ritu illita ulcerum putredinosa iuuant. Est enim eorum facultas non instrenue desiccans, sedq; secundi excessus à temperatis absoluti. Adeo uero frutex hic frigidus est, ut tepidi caloris sit particeps. Porro Hypocistis, quam uocant, multo est magis adstrictoria, quam folia, admodum efficax remedium ad omnes fluxionum affectus, puta sanguinis reiectiones, profluua muliebria, celiacos, dysentericosq; affectus. Quin si quam partem roborare consilium sit, quæ uidelicet plusculo humore exoluta fuerit, robur, ac firmitatem illi non imbecilliter addit. Sic sanè stomachicis epithematis, hepaticisq; commiscetur, & ex uiperis confecto antidoto induitur, nimirum quò corpora confirmet, ac roboret.

Frutex Κίσος, κισσός, aut κισσαγόρις Græcis dicitur, Latinis quoque Cistus appellatur: Arabibus, Kaniet, Nomina, Altheis, seu Lhaie altheis: Italis, Cisto: Hispanis, Cerguacos. Hypocistis uero sic Latina uoce, quemadmodum

10 ὑποκίστις Græcè dicitur: Arabice, Taratith: Italicè, Hipocisto: Hispanicè, Pultegras.

† Hæc dictio non legitur in Græcis codicibus. Sed eam huc ad clariorem (ut puto) sensum ex Plinio transtulit Ruelius: quòd uerbum illud à Dioscoride studio fortasse breuitatis omissum, satius addendum esse duxerit, quam subintellegendum. quod etiam Hermolaus fecit.

† Nil mirum esse debet, quòd Plinio duo tantum hypocistidis genera prodantur, coloribus rufis, & candido distincta: quandoquidem ijs duntaxat Oribasius quoque contentus fuisse uidetur lib. XII. ubi genus χλωρόν, hoc est, herbaceum, ut uulgati codices habent, non legitur.

Λύδον. LEDVM.

Λάδανον. LADANVM. CAP. CX.



EST ET alterum cisti genus, Ledon à nonnullis appellatum, frutex simili modo nascens, longioribus folijs, & nigrioribus: quæ uerno tempore quiddam contrahunt pingue. Foliorum uis astringens, ac eosdem, quos cistus, effectus præbens. Fit ex eo quod Ladanum dicitur. siquidem cum cisti frondes pascuntur capræ, hirciq; pinguitudinem conspicuè barba carpunt, & suo lentore uillosis cruribus adhærescentem reportant: quam depectentes incolæ, colantesq; cogunt in offas, & ita recondunt. Alij uerò attractis funiculis, infidentem fruticibus lentorem abstergunt, conglomeratq; in ladanum. Maximè probatur odoratum, subuiride, facillè mollescens, quod arenas nõ collegit, nec squalore obsitum est, resinofum, quale in Cypro gignitur. Arabicum uerò, Libicumq; uilius. Natura ei spissandi, calfaciendi, molliendi: ora uenarum patefacit: capillum fluentem continet, addito uino, myrrha, & myrteo oleo: cicatricibus decorem reddit, cum uino illitum: medetur aurium doloribus, cum hydromelite, aut rosaceo infusum: suffitu secundas eijcit: pefsis immistum uulua duritiem sanat. In medicamenta, quæ aurium dolorem, tussimq; finiunt, & malagmata utiliter inferitur: aluum fistit cum uino uetere potum, & urinam ciet.

LADANVM, quòd uulgo alij appellant Laudano, alij uerò Odano, tametsi plerunq; impostorum malitia adeo sabulo, & alijs adulterijs sit uitiatum, ut nihil ualoris præstet; ego tamen præstantissimum sepius Venetijs emi ab unguentarijs, qui

Ladani consideratio.

odoramenta conficiunt. Verim apud pharmacopolas, qui medicamenta nobis parant, Ladanum, quod syncerum, purumq; sit, rarissimè reperitur: cum eorum plurimi potius curent, ut rem minoris emant, quam ut seligant legitima ab adulterinis. quòd tamen iniquum est, inhumanum, ac detestabile crimen. Arbuscula, e qua Ladanum colligitur, Ledum appellatur, & inter cisti genera recensetur. Cæterum Plinius uocabulorum uicinitate deceptus (ut etiam in superiori commentatione dictum est) ex cisso, id est, hedera, non autem ex cisso ladanum colligi dixit. Ex quo item multis falso persuasum est, quòd non à cisso, sed ab hedera Ladanum legeretur. De Ladano plura memorie prodidit Galenus libro VII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Cistus, aut Ladanum. In calidioribus regionibus hic Cistus proueniens, tametsi haud alius sit genere, quàm qui apud nos nascitur; eximum tamen à regione, ac peculiarem, digerentemq; caliditatem nactus est: atq; utroq; à nostrate differt, tum quia frigiditatem deposuit, tum quia calorem assumpsit: Itaq; cætera quidem huius cisti, illis quæ in nostrate uisuntur, similia sunt. Verim Ladani, quod uocant, ex eo prouenit, medicamentum primo excessu iam quodammodo completè calidum, ut uidelicet & secundum attingat, habens etiam adstrictionis paululum. Ad hæc substantia tenui, ac proinde emolliens, siue malacticum, pariterq; moderatè digerens, ac uidelicet etiam συμπνετισμόν, hoc est concoquens. Itaq; mirandum non est, si peculiariter ad uteri uitia conueniat: quandoquidem ad dicta paulum quiddam adstrictionis obtinet. Quocirca dis-

Plinij lapsus.

Ladani uires ex Galeno.

1 fluentes

fluentes capillos retinet. Nam quicquid ad radices eorū pravi humoris federit, id omne absumit: tum meatus, quibus infixi sunt, contrahit, & constringit adstrictione. Ceterum alopecias, & ophthalmias siue lippitudines, sanare non potest, utpote magis discussorias vires, quàm quæ Ladano insunt, poscentes. quippe proueniunt hæc ex prauis succis, lentis, crassisq; quos secantia, ac digerentia medicamenta potissimum euocant, atque euacuant. Ceterum tenuium partium sint facultatis oportet, & minime astringentis: non tamen usque adeo tenuium partium, & desiccatoriarum, ut nimio plus desiccet, unaq; cum collectis inibi succis præter naturam, naturalem quoq; humiditatem incrementa pilis suppeditantem absumant. nam sic non tantum alopecia liberabunt, sed & caluiciem afferent. Sed hæc ad curandi rationem pertinent. Arbuscula, quæ Græcè *Λάδον*, Latine similiter *Ledum* nominatur, Arabicè *Chafus*. Quod uerò *Λάδων* Græci, Latini item *Ladanum* uocant: Mauritani, Ieden, siue Laden: Itali, Laudano, & Odano: Hispani, Xara.

Nomina.

Εβενος.

E B E N V S.

CAP. CXI.

E B E N V S optima habetur Ethiopica, & nigra, nullos habens uenarum discursus, factitij cornus læuore: cum frangitur, densa apparet, mordens gustu, atque astringens. Suffitur iucundo odore supra carbones, sine fumi tædio. Recens autem ad ignem prolata, ob pinguitudinem accenditur, & trita ad cotem rufescit. Altera est Indica, internatis segmentis candicantibus, & modicè fuluis, item frequentibus maculis. ceterum prior bonitate antecedit. Apud quosdam scamina, aut spinea ligna consimilia pro ebenu uæneunt. Quod discernitur ex eo, quod fungosa sunt, & in purpureas assulas resoluuntur, nihil mordacitatis in gustu, nec redolentiæ in suffitu præferentia. Caliginem oculorum absterget: ad ueteres destillationes, pustulasque mirum in modum pollet: si quispiam facta ex eo coticula collyrijs utatur, melius proficiet. Ad oculorum medicamenta efficax est, si scobes, ramentæue uino Chio die, noctuque macerata, in collyria digerantur. Nonnulli præterita ipsa excolant. reliquaque eundem in modum peragunt. Alij pro uino aqua utuntur. Vritur in fictili nouo, donec in carbones redigatur. Lauatur plumbi usti modo, & ita siccis, scabrisque lippitudinibus conducit.

Ebenu confideratio.

CREDIDIT Theophrastus in India tantum nasci Ebenum libro IIII. cap. v. de historia plantarum, ubi sic habet. Ebenus quoque eius regionis uernacula est. Huius duo genera constant: alterum materie laudatum, pulchrumq; alterum uile, & uitiatum. Rarum, quod præstantius: reliquum permultum habetur. Colorem commendatum, non recondita, sed statim sua natura capecit. hæc Theophrastus. Quod etiam sensisse uidetur Virgilius in Georgicis libro II. ita canens.

Sola India nigrum

Fert ebenum, solis est thurea uirga Sabæis.

Plinius etiam lib. XII. cap. IIIII. Ebenum nusquam alibi, quàm in India nasci scriptum reliquit: nec eam tamen Indiã uniuersam mittere, sed exigua sui parte gigni, præter quoddam fruticosi generis cytisi modo, in tota India dispersum. Herodotus uerò (eodem auctore) Ebenum Aethiopiam solam ferre intellexisse uidetur: quippe qui de Indica nullam fecerit mentionem. Veruntamen ex hoc Dioscoridis capite palam est, nasci Ebenum in ambabus his regionibus. Indi quidem non nisi ex ebenu Deorum simulacra fingunt, regesq; ex eo tantum sceptrum sumunt. Item pocula, craterasq; ex ebenu faciunt, quod sanè credant contra maleficia efficacissimum esse, & quicquid ueneficij fuerit, tactu eius auerit. Itaque nihil mirum, si quod peregrinum in Italiam importatur, summo sit in pretio, cum etiam ab ipsis, quibus prouenit, maximo honore habeatur. Ebenum ex India Romæ primum magnus Pompeius Mithridatico triumpho ostendit, cuius materies densissima omnium constat. Quo fit, ut quauis multis annis exarescat, non fluitet in aquis, sed tota mergatur. Ebenu sicatos truncos maxime hæc ætate nouit Italia: namque innumeri uisuntur in eorum officinis, qui pectines consciunt ad explicandos, aptandosq; capillos: itemq; apud illos, qui globulos funiculo traiciendos ad mulierum preces numerandas torno in orbiculos expoliunt. Ebenu uires scripsit Plinius lib. XXI. cap. XI. his uerbis. Non omitam propter miraculum ebenu. Scobem eius oculis unice mederi dicunt: lignoq; ad cotem trito cum passo caliginem discutit, ex aqua uerò & radice albugines oculorum. Item tusim pari modo cum melle, ac dracunculi adiecta radice. Ebenum medici & inter erodentia assumunt. Ebenu meminit Galenus lib. VI. simp. med. sic inquit. Ebenus ex ijs lignis est, quæ trita cum aqua in succum soluuntur, ut lapidum nonnulli. Vis ei inest ex-

Ebenu uires ex Galeno.

Guaiaci confideratio.

calfaciendi, extergendi, & tenuium partium. Quamobrè quæ pupillas offuscant, extergere creditur: miscetur alijs re medijs ocularibus, quæ ad ulcera uetera, fluxiones, & bullas, siue pustulas accommodata sunt. hæc Galenus. Sunt qui lignum ex Indijs petunt, quod quidam **GVAIACVM**, nonnulli Guaiacanum, pleriq; uerò Lignum sanctum appellant, cuius aduersus Gallicam luem præcipuus est usus, ebenu genus esse crediderint. Quod quidem nec asserere, nec negare ausim: quandoquidem nusquam inuenerim apud quenquam tum ueterum, tum recentiorum scriptorum, quas frondes, quos flores, quosq; fructus proferat ebenu: Illud tamen omnibus perspicuum est, Guaiacum nihil, nisi summa nigritia, ab ebenu disidere, quæ in hoc summo splendore nigricat, in illo albescit: cæteris uerò qualitibus id maxime cum ebenu certat. Tria ad nos Guaiaci genera afferuntur, ut in suis Epistolis doctissime annotauit Manardus Ferrariensis: quod & nobis iandiu planè compertum est, cum hæc omnia sæpius nobis præ manibus fuerint. Primum itaque genus crassiori, uegetiori q; mole constat, quo resecto materies apparet interior e parte nigra, exterior uerò subpallida, & ueluti perplexis lineis quibusdam ad fuscum tendentibus per longum intersecta. Alterum caudice minori,

minori, nec adeo uegetiori habetur, cuius extimæ partes maiore ambitu se diffundunt; intimæ uerò, quæ pariter nigricant, minore satis orbe concluduntur. Tertium, quod proprie sanctum appellant, caudice cæteris exiliore uisitur, intrinsecusq; & extrinsecus albicans, cuius materies lineis admodum exilibus in longum actis perplexè distinguitur: estq; hoc longè cæteris & acrius, & odoratius. Cæterim credendum non est eiusmodi ligna, etsi colore, magnitudinè, ac pondere inter se diferepent; idcirco diuersarum esse plantarum, diuersorumq; generum, ut quidam fortasse existimant. Nam quòd hoc tam intus, quàm extra candicet, illud uerò interiore sui parte nigricet, non aliunde prouenit, quàm quòd hoc magis, illud uerò minus adoleuerit, uel consenuerit. Quippe eò sanè nigrius cernitur lignum Guaiacum, quò ad maturiorem ætatem peruenit arbor, à qua decisum fuerit: & per consequens tantò magis album apparet, quantò minus adoleuerit illa, quemadmodum conspicitur in nostris nonnullis Italiæ arboribus, & præsertim in moro, nucè, & anagyri. Veruntamen illud cuique persuasum sit, ætatem uni plus, quàm alteri uirium addere, ac demere. Quæ de re uerba facturi, dicamus, cum illud, quod planè omni ex parte albicat, odoratius, ac acrius, & amarius habeatur, cumq; eius decoctum crassius, & cæterorum decocto pinguius sit, & acrimonia, & amarore admodum refertum, ut ipsa me docuit experientia, nil mirum esse crediderim, si in eo, utpote iuniore, uis insit uegetandi præstantior, ac propterea plus in se succi contineat: quàm & cæteris uiribus præstet. Eaq; propter putauerim ego, hoc illis in usu perpetuo fore, quibus ob Gallicam luem ulcera emerferint depascentia, contumaciaq;: ossa uerò cariota sint, ac putrilagine consumpta, & tumores in ossæm penè duritiem occaluerint: & quibus denique perpetuus articulorum cruciatus, diuturnusq; capitis dolor inhaerit, eoq; magis, quò patiens iunior extiterit, fortior, & natura robustior. Huic illud succedere existimamus, quod medium obtinet locum: si quidem hoc & odoratius est, & acrius eo, quod nigrius, ac crassius inuenitur: neq; illud quidem ab re, quandoquidem id minus est ætate confectum, & maiore humoris copia redundat. Quocirca commodissimè hoc uti poterunt, qui natura delicatioribus sunt, & temperamento imbecilliores, atque etiam ij, in quorum artus huiusce luis furor nondum grassari cœperit. Postremo illud minus cæteris præstat, uiribusque infirmius habetur, quod nigrius, crassius, & annosius reperitur. Namq; quælibet consensescens planta (quemadmodum etiam cunctis animalibus euenit) continuo exarescit, humidoq; priuatur. Cuius rei certissimum est argumentum, quòd in annosarum arborum truncis maior appareat nigredo, quàm in alijs uel iunioribus, uel ætate tenellis: nigredo enim siccitatis indicium est, quin etiam deperditi caloris innati, & humiditatis naturalis: id quod tam in plantis, quàm in animalibus locum habet. Nihil tamen secius illud diligenter animaduertendum est, quòd Guaiacum albicanti prorsus colore præditum, recens, incorruptumq; sit: quippe cum cæteris exilius sit, citius ac facilius exarescit, & ob humoris redundantiam uelocius cariem sentit, atq; fræcescit. Quam ob causam satius quandoq; foret uestustiore recenter cæso uti, quàm iuniore, quod multo ante tempore fuerit ab arbore decisum. Sunt quoq; recentiorum nonnulli, de quorū numero unus est Alphonsus Ferreus, qui de ligni guaiaci decocto elegans admodum opusculum edidit, qui tantum Guaiacum illud præferunt, quod è plantarum ramis ætatis mediæ desumptum fuerit. Quorum opinio non planè refellenda uidetur: nam quicumque rem naturalibus expenderit rationibus, ramos antiquioris à caudice mediocris ætatis parum differre cognoscat: item ramos huius à caudice iunioris. quippe plus humoris ad se trahit ramorum auctrix facultas, quàm caudicis. Idcirco non alia de causa planta reiuuenscunt, cum earum rami implantantur, seruntur, & propagantur, nisi quòd illud idem humidum innatum intra se continet, & eodem uigent temperamento, quo qui adolefcunt: etenim surculi, atq; rami sunt caudici, perinde atq; filij, & propterea animalibus ætate tenellis non absimiles. Atquè mihi longè magis iunioris caudicis placere usus: siquidem in hunc immediatè à terra humor, & alimentum defertur, ac præterea quoniam is fortasse nullum adhuc fructum protulerit: quandoquidem foetus à plantis, ut etiam ab animalibus, multum uirium aufert. Præstantissimum itaq; lignum Guaiacum illud erit, quod ex iuniori caudice recenter cæsum fuerit, tam exterius, quàm interius albicans, raris carens, densum, ponderosum, minime cariosum, odoratum, gustui & acre, & subamarum. Cæterim quoniam nostra ætate æquè cortices, atq; lignum in usum ueniunt, eandem in ijs rationè seruandam censeo, ut quinam meliores, præstantioresq; sint, dignosci possint, quàm nos in eligendo optimo ligno in medium attulimus, ut scilicet illi eligantur, & probatissimi habeantur, qui à præstantiori caudice detracti fuerint. Importatur Guaiacum tam ex occidentalibus, quàm orientalibus Indijs: nam & Hispani è suis regionibus nouiter repertis, & Lusitani ex Calicut, Taprobana, & Iaua insulis, & Mauritanis, Aegyptij, Arabes, ac Persæ à mari rubro per canelorum carouanas (ut aiunt) Guaiacum ad nos conuehunt: quoniam & ex Aethiopia, ut quidam narant. At cum omnibus compertum sit, ea in medicamentorum genere longè magis cætera præcellere, quæ ex orientali plaga comportantur, ob id omnino censendum fuerit, Hispanicum uiribus esse imbecillius, quàm quod ex Lusitania, uel Alexandria in Italiam importatur. Guaiaci planta (ut ij referunt, qui eam in syluis se uidisse testantur) ad fraxini proceritatem, & ad hominis mediocris habitus crassitudinem plerunq; assurgit. Folia fert quadantenus plantaginis æmula, dura, ac breuia. Flores eius produntur lutei: fructus uerò iuglandis magnitudine, qui esu aluum subducit: cortex annosus niger, iuuenibus uerò subrutilus. Porro si Guaiaci uires, ac qualitates rectè perpendantur, procul dubio liquidò constabit, ea præstare posse, quæ in arcenda Gallica lue requiruntur: nam cum id ex partibus admodum calidis, ac tenuibus consistat, itemq; siccis, habeatq; sibi resinæ plurimum admistum, nimirum etiam potest suis uiribus ea efficaciter exiccare, attenuare, liquefacere, atq; expurgare, quæ humores infecerunt: quin etiam sudorem eiere. Huc accedit etiam, quòd parte resinosa, quam possidet, contagioni, atq; putredini mirifice resistit: quæ quidem incommoda hanc pestem comitari solent. Cæterim eo tempore, quo primum in Italiam Guaiacum inferri cœpit, necnon etiam multis post annis, non sine summo timore dabatur potandum. Etenim ferebatur illi manifestum necis periculum imminere, qui rectam exquisiti uictus rationem per panis, & uinæ passæ modicum non seruasset, quique non perstitisset in curatione ad quadragesimum diem usque in tenebris inclusus, ita ut ne aëris qui-

Guaiacum lignum præstantius.

Guaiaci corticis electio.

Guaiaci planta.

Guaiaci facultates.

dem claritatem inspiceret, nedum pedem e cubiculo efferret: ijs insuper carnum esu, & uini potu interdictum erat, non secus atque ueneno. Verum enim uero cum sepius euenisset, ut ante constitutum tempus quidam ob tenuissimam uictus rationem ita imbecilles, ac uiribus destituti conspicerentur, ut penè spiritus, & uita deficerent, ij ne in tam manifestis uitæ discrimine uersarentur, à consanguineis, & asidentibus persuasi, caporum, gallinarumq; iura, ac contusas carnes in cibum sumere, tantum inde percipiebant iuuamentum, ut uitam quasi deperditam recuperarent. Quo postea medici experimento edocti, uanam illorum doctrinam ridentes, qui tam grauem ægris legem imponebant, paulo pleniori uictu uti iusserunt, nempe iuuenum gallinaceorum carnis, ac maiore panis portione. At nullus tamen adhuc ausus erat uinum exhibere. Quare à me sepius animaduersa, ego primus (ni fallor) inter Italos medicos rationibus non obscuris adductus tentare uolui, posset ne uinam dari ex Guaiaci maceratione ijs maiori cum iuuamento, qui Gallica lue correpti essent. Quod cum mihi in frigidis morbis feliciter cessisset, quam ex aqua tantum lignum decoquere, id potissimum me adduxit, ut hanc uini potandi rationem ad commune omnium commodum literis, posteritatisq; memorie mandarem. id quod feci pluribus iam annis elapsis, quo scilicet tempore Dialogus noster de morbo Gallico Bononia excusis prodijt in lucem, ubi eodem anno Carolus v. inuictissimus Imperator à Clemente VII. Pontifice maximo imperiali diademate feliciter est coronatus. Ex quo postea factum esse audiui, ut plerique medici ex illis nostris lucubrationibus, breui temporis tractu plurimum laudis, ac glorie sibi comparauerint, utpote qui uinum Guaiaci ad suam praxim uertissent, prospero admodum successu. Licet fuerint, qui alijs persuadere conati sint, suum illud esse inuentum: qui ut rem facilius prætexerent, omnibus huiusmodi uini preparationem distulabant, & occultabant: uel id facerent, ut rem ita plurimi facientes, inde maiorem quæstum consequi possent. Sed cauendum profectò est à quibusdam impostoribus, qui cum sint earum rerum ignari, quæ ad medicæ facultatis contemplationem spectant, dum lignum, uel eius cortices ex uino decoquunt, cyclaminum, bryoniam, ptyusam, colocyntidem, & turpetum admiscunt, atque alios mille cacodæmones, qui eos de medio tollant. Quippe nulla habita temperamenti, ægritudinis, temporum anni, sexus, nec ætatis ratione, singulis diebus huiusce decocti tepidi cyathum omnibus indifferenter præbent potandum. Quo fit, ut si sorte quadam unum quandoque persant, decem postea iugulent, tanquam improbi carnifices. Verum ut quisq; horum manus euitare, atque effugere possit, operæpretium uisum est, uini Guaiaci conficiendi rationem sibiungere, ac subinde hauriendi modum addere. Sumito igitur ligni Guaiaci præstantissimi lima in scobem tenuissimam atriti, aut tornatili instrumento minutim concisi libras quatuor: corticum eiusdem libras duas: cardui benedicti libram unam & semis: adianti, aspleni, florum utriusq; buglosi, cuiusque libram: castæ odoratæ drachmas sex: seminis anisi seſcunciam: sacchari libras quinq;. Deinde coniſciantur omnia in cado uinario mundo aptæ capacitatis, desuper affusis uini albi quàm optimi & feruentis, libris centum, & quinquaginta, mox diligenter uas operculetur, omniaq; sic macerari triduo dimittantur. Post triduum uerò linteo percolentur, asserueturq; huiusce macerationis uinum in alio uase ad ægotantium potum. Siquidem bibitur hoc tam in prandio, quàm in cæna secundi Guaiaci decocti loco: non mane, neq; uesteri serapij uice, quemadmodum temerè multi facere consueuerunt. Hoc idem uinum longè etiam melius, & maiore quantitate uindemiarum tempore confici potest, admistis ligno, cortice, cæterisq; alijs, recentibus uuis albis in mustum compressis: ibiq; tandiu dimissis, quousq; mustum efferuescere desinat, & pellucidum, clarumq; reddatur: ueruntamen multiplicanda sunt omnia, quæ conueniunt medicamenta, pro uuarum quantitate. Præter huius uini potum cibus associandum, bis in die mane scilicet, & uesteri tribus, aut quatuor horis, antea quàm sumatur cibus, ægotantibus exhibeo decocti ligni ex aqua secundum communem medicorum usum senas uncias, admistis uncijs duabus liquoris hoc modo parandi. Sumito primum adianthi, lupi salictarij, fumarie, aspleni, senæ, singulorum manipulos tres: radicem centaurij magni, glycyrrhizæ, filiculæ, utriusq; buglosi, singularum uncias quatuor: seminis anisi, melantbij, florum satiui, & erratice buglosi, omnium santalorum, casia, quam cinnanomum uocant, singulorum drachmas quinq;. Hæc ex aquæ libris uiginti quatuor decoquantur ad tertias, demum colentur. Sumito deinde præstantissimæ senæ libras duas, conijctoq; in uas fictile oris angustij, demum percolatum decoctum feruens superimponito, ac inde obturato fictilis ore puluinari anserinis plumis facto, igniq; prius calefacto fictile inuoluto, et loco calido collocato, itaq; per diem, ac noctem reponito. Postridie uerò manibus sena premitur, mox dilutum percolatur: cui adijciuntur diluti rosarum efficaciter aluum subducētis libras sex, sacchari libras octo: efferuescunt deinde simul subiecto igne, quousq; tertia pars euanescat. quo factò additur electissimi Rhabarbari minutim concisi uncia, ac ita iterum feruent omnia donec iulapij modo consistat liquor. Postremò percolatur linteolo, & uase uitreo reconditur. At si ægotantes multa pituita redundent, decocto præscripto optimi turpeti uncia utiliter addi potest. Superest uictus ratio, quæ ægro talis præscribenda est, scilicet ut tam in prandio, quàm in cæna edat panis ternas tantum uncias, sitq; is similaceus, ac probè in clibano coctus: item totidem carnis pullorum gallinaceorum, perdicum, attagenarum, turdorum, ac auicularum in pluis, uineis, ac montibus uictantium, assatæ potius, quàm lixæ: quin & uuæ passæ modicum. Bibat autem oportet præscripti uini æquam cum cibo mensuram. Quòd si quis purum id bibere non posset, diluatur aqua, quæ in phialis uitreis addita Guaiaci uncola breui temporis spatio efferbuerit. Tempus autem huic curationi aptissimum profectò uer est martio, aprili, & maio mensibus. quòd si hoc tempore fieri non possit, fiat mense septembri in autumno: nam sicuti æstiuus ardoribus, & exurente iam sirio non modò diuturna pharmaca, sed ne quidem breuia tolerant homines; ita nec brumali tempore, dum ingenti frigore seuit hyems. Interea ægris sine metu noxæ indulgere licet, modò cæli serenitas adsit, ut quandoq; in proximis hortis, ac uiridarijs solatij causa læto gradu deambulent: quippe quoniam eiusmodi hortorum amœnitate animus plurimum leuari solet. In hac etiam curandi ratione quosdã magis, alios minus perseuerare oportet, pro morbi necessitate, & salutis mensura. Hæc ergo ratione uinum Guaiaci exhibitum nõ modò medetur cuiq; acerrimo Gallicæ pestis incommodo; sed etiam diuturnis articulorum, capitis, neruorum, uentriculi,

Vini Guaiaci
conficiendi, &
exhibendi ra-
tio.

tricoli, iocineris, lienisq; morbis pituita genitis mirifice succurrit. Nec minus etiam podagra laborantibus opem fert, modo diuturna admodum non fuerit aegritudo. Porro in hoc illud etiam observandum est, quod ego Guaiaci uinum ijs tantum potandum exhibeo, quibus pituita redundet: uel saltem non exuperet bilis. Siquidem biliosis secundum, ac tertium ligni ex aqua decoctum, uini loco semper cum cibis præbendum censui, ut communiter ab alijs fieri solet. Non desunt prætereà hoc tempore, qui radicem illam, quam alij CINAM, alij Chinam uocant, Guaiaco præferant, etsi Vesalius admirabilis humani corporis fabricæ professor oppositum senserit. Huius radicis iandudum apud Hispanos inualuit usus contra podagras, maximeq; apud inuictissimum Imperatorem Carolum v. cui merito præclarum laudem acceptam referre potest. Aduehitur hæc (ut audio) tam à Lusitanis, quam ab Hispanis ex regionibus æquinoctiali proximis, legiturq; in litoribus maris è terra euulsa. nam in paludibus exorta, ac inde maris fluctibus rapta, in litus reiecitur. Radix est fungosa, perinde ac arundinacea, leuis, colore rufescente, Rhodiæ radicis admodum æmula. Præfertur recens, firma, & quæ neque teredinem, neque cariem senserit, & quæ magis rubescat. Damnat eam acriter Vesalius, ut dixi. Sed quibus ualidis rationibus id faciat, compertum satis non habeo, præsertim cum illud certò sciam Cæsarem inuictissimum nunquam ea toties usum fuisse, nisi ex ea plurimum adiuuenti percepisset. Sunt & qui radici illi, quam nuper aliqui SALSAM, aliqui Spartam parillam nuncupare cœperunt, tum guaiaci, tum etiam ipsius chinæ uires, & facultates tribuant. Hæc ebulli tam ad unguem emulatur radices, ut quandoque crediderim Spartam parillam, & ebulum esse idem: tamen id asserere non ausim, cum hæcenus eius folia non uiderim. Sed iam ad Ebenum redeamus, atque de nominibus agamus. Eius nomen Græcum est Ἐβένος, ueluti & Latinum ebenus: Arabicum, Abanus, seu Abenus: Italicum, Ebano. Quod uerò Latini Lignum Guaiacum, Lignum sanctum, aut Lignum Indum uocant, Italis, Legno santo, Guaiaco, & Guaiacane appellatur: Germanis, Frantzosem holtz: Hispanis, Legno santo, & Legno dellas antilhas: Gallis, Lin saint.

Chinæ radicis consideratio.

Salsæ parillæ consideratio.

Nomina.

Родов. ROSA.

CAP. CXII.



ROSA refrigerat, & astringit, sed sicca magis astringit. Succus recentibus folijs exprimitur, defectis forfice unguibus (sic appellantur candidæ foliorum partes) reliquum in pila premi, & teri debet in umbra, donec cogatur, & ita ad oculorum circumlitiones recondi. Siccantur etiamnum folia rosarum, continuo uersata, ne muceant, neque situs in ijs insideat. Aridis rosis, & in uino decoctis expressus liquor, facit ad dolores capitis, aurium, oculorum, gingiuarum, sedis recti intestini, ac uulua penna illitus, aut infusus. Eadem sine expressione tusa, præcordiorum inflammationibus, humidis stomachi uitijs, igni sacro illini prodest: siccis, ac tritis femina asperguntur. Misceri solent uulnerarijs antidotis, atque compositionibus, quas antheras uocant. Folia uruntur in calliblephara. Flos, qui in medijs rosis inuenitur, siccatus, gingiuarum fluxionibus efficaciter inspergitur. Capita pota citam aluum, & cruentas reiectiones listunt.

Родидес. ROSEI PASTILLI.
CAP. CXIII.

PASTILLI, quos rhodides uocant, hac ratione conficiuntur. Rosarum uiridium, quæ nullo antea humore madefactæ extabuerint, drachmæ quadraginta, Indicæ nardi drachmæ decem, myrrhæ drachmæ sex, tritæ digeruntur in pastillos, qui trium obolorum pondus æquent: siccati que in umbra in fictili non picato, atque obturato reconduntur. Alij adijciunt costi drachmas duas, iridis Illiricæ totidem, & uinum Chium cum melle miscent.

Mulieribus monilium uice collo circumdato usui sunt, ad retundendum graue sudoris uirus. Tritis etiam utuntur ad illitiones, & diaphsmata, quæ fiunt ad sudores coercendos, ita ut à balneis inarescant corpora, dein frigida aqua abluantur.

MULTA quidem sunt Rosarum genera, quæ in usum medicum ueniunt. At uulgatissima in Italia sunt, albicantes, puniceæ, & quæ ex albo rufescent, quas uulgò appellant incarnate. Præstantissima, quæ puniceo colore rubent: proxima laus ijs, quæ in rufum candicant: uilissima albicantes, in quarum tamen genere eæ odoratissima excipiuntur, quæ Hetruscis Danaescenæ, & alijs Moschette uulgò dicuntur. Siquidem non modò ceteras excellunt, quòd odore admodum suaui fragrent, sed quòd etiam magis aluum subducant, id quod indicat earum inuicidissimus odor.

Rosarum cõsideratio.

1 3 Rosa

Rosarum suc-
cus, & dilutū.

Rosarum ge-
nera ex Plin.

Partes in ro-
sa, earumque
uires.

Quorundam
lapsus.

Rosæ diuersis partibus constant. quo fit, ut pro diuersis tam internis, quam externis particulis, diuersum quoque tem-
peramentum sibi asciscant. Primum itaque terrestribus, & aqueis partibus, quæ tamen in ipsis mediocriter se habent,
substantiam, & adstrictoriam facultatem acceptas referunt. Ab æreis uero & subdulcem, & odoratum saporem
assumunt. Ex his demum, quæ ignis naturam sequuntur, amarorem concipiunt, ac etiam coloris rubedinem, quæ sci-
licet rubicundæ spectantur. quo fit, ut plus insit caloris puniceis, quam subrubentibus. In recentibus adstrictioni
præstat amaritudo, in siccis uero minime: eaq; propter compertum est, earum deiciendæ alui facultatem, quam
priors Græci non animaduertunt, tantum ex amaritudine prouenire, eum recentes aluum subducant, sicce uero
nequaquam. Succus medicamentis componendis expetitus, præstantior est puniceis elicitur, item ex subrutilis, ue-
rum huic infirmior facultas. Dilutum Græcis ἀπὸ ῥοζῶνα, è quo rhodopharmacum aluum innoxie deiciens con-
ficiunt, plerumque ex subrubescensium maceratis aqua folijs paratur: etsi hac in re ijs Damascenæ Hetruscis uocata
longè præstent: quippe ex earum uicenis deuoratis folijs facile quidem, & citra noxam subducitur aluus. Rosarum
succus reserat, discuit, abstergit, & deicit: quapropter & bilem trahit, & sanguinem biliosum expurgat. Idem
felle suffusus, & uentriculi, iocinerisq; obstructionibus opem mirificè præstat. Cor item corroborat, eiusq; palpi-
tationi salutare est remedium: nam illos deicit humores, qui cordi officiunt. Facit & ad biliosas febres, cuiusmodi
sunt cuiusuis generis tertianæ. Ad hæc rosarum dilutum, ex quo conficitur rhodopharmacum, quod pharmacopole
Sirupum rosatum solutiuum appellant, in eorum medicamentorum genere recentiores medici recensent, quæ quoniam
absque aliqua noxa aluum subducant, suo more Benedicta nuncupant. Albicantes deinde rosæ (Damascenas ta-
men exceptas uelim) non alium in medicina sibi uendicant usum, quam ut ex se aquam stillent: siquidem ijs deictor-
ria uis, qua pollent puniceæ, ac subrutile, multo infirmior inest. Quamobrem uidetur Manardus Ferrariensis,
uir alioqui doctissimus, immeritò id Mesui uitio uertisse. Nam albæ, quas Damascenas appellamus, etsi maiore deici-
endi uicacitate præstent; credendum tamen est, de his non intellexisse Mesuem, quod eas illi facile incognitas fuisse
se existimem; uerum de ijs albis tantum, quibus passim rosæta florent. Cuius rei illud maximo argumento esse potest,
quod Damascenæ Hetruscis uocata nuper in Italia florere ceperint, quodq; eas ueteribus cognitâ fuisse (quod
sciam) memoriæ prodiderit nemo: nisi fortasse eas credamus esse, quæ Plinio spineolæ appellantur. Sanè rosæ ma-
gnificandæ sunt, summoq; in pretio habendæ, non modo quod uiridarijs, & hortis sint ornamento, ac aspectu per-
quam iucundo; sed etiam quod in præclarissimis medicamentis conueniant, quibus humane uitæ succurritur. Syl-
uestres maiore adstringendi facultate sunt præditæ, quam satiuæ, sed minori fragrantia redolent, atque deiciendæ
alui ne tantillum quidem facultatis retinent. Idcirco Theophrastus libro, & cap. VI. de historia plantarum: Syl-
uestres, inquit, rosæ domesticis asperiores tum uirgis, tum folijs constant: florem præterea ferunt, quo ab illis odore,
colore, atq; magnitudine superantur. hæc Theophrastus. Cæterum quedam etiam rosæ nascuntur in Italia, quæ aureo
colore fulgent, sed odore sunt admodum ingrato, atq; insuauis. Rosarum differentias longa historia profequitur Plin-
ius libro XXI. cap. quarto, ubi sic inquit. Contra rosæ genera nostri fecere celeberrima, Prænestinam, & Can-
panam. Addidere alij Milesiam, cuius sit ardentissimus color, non excedentis duodena folia. Proximam ei Trachi-
niam, minus rubentem. Mox Alabandicam uiliorem, albicantibus folijs. Utilissimam uero plurimam, sed minutissimis
spineolam. Differunt enim multitudine foliorum, asperitate, leuore, colore, odore. Paucissima quina folia, ac deinde
numerosiora. Cùm sit genus eius, quam centifoliam uocant, quæ est in Campania Italia, Græciæ uero circa Philip-
pos, sed ibi non suæ terræ prouentu. Pangaus namq; mons in uicino fert, numerosis folijs, ac paruis: inde accolæ tras-
ferentes conferunt, ipsaq; plantatione proficiunt, non autem talis odoratissima est, nec cui latissimum, maximumq; fo-
lium: breuiterq; indicium est odoris scabritia corticis, Cyrenis odoratissima est: ideoq; ibi unguentum pulcherrimū.
Carthagine Hispaniæ hyeme tota præcox. Refert & cæli temperies: quibusdam enim annis minus odorata proue-
nit. Præterea locis siccis, quam humidis, omnis est odorator. Seri nec pinguis uult, nec argillosis locis, nec ri-
guis, contenta raris; proprieq; ruderatum agrum amat. Præcox Campana, sera Milesia, nouissimè tamen desinit
Prænestina. Rosa ex spina nascitur. Germinat primo inclusa granoso cortice, quo mox intumescente, & in uirides
alabastris fastigiato, paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantis complexa luteos apices.
hactenus Plinius. Partes in Rosa sex antiqui adnotarunt, quæ omnes sunt & scitu dignæ, & in medicina utiles;
etsi pauci habeantur seplastarij, qui separatim eas reponant. Primum quidem duæ partes inueniuntur in folijs: quæ
altera est, ubi calyci folia inseruntur, unguinum modo albicans, ob idq; rosarum unguis hæc extremitates appellantur:
altera uero foliorum reliquum. His aliæ duæ succedunt, in ijs flosculis, qui ueluti minuta femina tenuissimis capillis
annexi flauescunt in rosarum umbilico: horum enim partem faciunt granula, partem uero capilli. Postremo quæ
reliquæ sunt, in ipso Rosarum alabastro continentur, una scilicet in cacumine, altera in fundo. Folia cor, uentri-
culum, iecur, & retentricem insuper facultatem corroborant: dolores ex caliditate prouenientes leniunt, & inflam-
mationes auferunt. Ungues etsi propriam à scriptoribus non receperint dotem; inseruntur tamen utiliter lotionibus,
& chysteribus ad inhibendas fluxiones. Flosculi medijs cum suis capillis gingiuarum defluxiones cohibent, qui etiam,
auctore Plinio, alba sceminarum profluvia mirificè imbibent. Calyx deniq; quem caput etiam aliqui dicunt, cum reli-
qua parte basis, alui fluores, & cruentas excreationes sistit. Cæterum præter has, quæ in florentibus rosis consistunt,
tres etiã in fructu comperiuntur partes, ubi rubescit is, & maturitatem sensit, uidelicet, substantia carnis, se-
men, & lanugo conclusa: quibus non obscura inest adstringendi uis. Idcirco & ipse remedio sunt contra alui fluo-
res, & sceminarum abundantiam qualencunq; item contra gonorrhæam, in qua præcipue pollent. Sunt, qui flo-
sculos capillis appensos, qui uero alabastris, antheram esse existimant. Sed re uera hæc in re planè hallucinantur:
etenim anthera Celso, Galeno, & Paulo nusquam simplex est medicamentum, sed quædam ex pluribus rebus compo-
sitio, cuius frequens erat usus apud antiquos ad oris ulcera: item ad pedum rimas, digitorumq; piergia. Cuius etiam
parandâ

parandi rationem adnotatam reliquit Galenus lib. vi. de compositione medicamentorum secundum locos, de oris ulceribus differens. Ex Rosis ut ignis sit aqua pluribus, ac diuersis instrumentis: ueruntamen ea ceteris præstantior, ac odore fragrantior habetur, quæ per balneum calentis aquæ uitreis organis elicitur, cuiusmodi & aliæ sunt, quæ eodem modo ad uniuersum medicinae usum confici solent. Quandoquidem inter has, & illas, quæ plumbeis instrumentis lignorum, uel carbonum igne extrahuntur, tanta deprehenditur differentia, quanta inter plumbum, & aurum deprehendi potest. Quippe quæ sunt in balneo calentis aquæ uitreis rostratis organis, ab herbis, & floribus, à quibus manant, nec sapore, nec odore differunt, adeo ut non solum proprias plantarum qualitates secum referant, sed ne etiam tantillum quidem tum fumi, tum rei adustæ respiciant. Quod quidem in ijs non inuenias, quæ uulgo plumbeis, & æreis instrumentis eliciuntur: has enim nunquam, uel rarissime gustaueris, quin tibi fumidum uirus, nidoremque reddant. Quæ res non modo ægris ingentem molestiam afferunt, & nauseam plerumque mouent, sed & plurimum noxæ pectori, uentriculo, iocineri, uisceribusque omnibus inferunt: quod à metallicis organis, à quibus distillant, malam eorum qualitatem sibi uendicent, ut libro tertio in absinthij commentatione, annuente Deo, latius explicabimus. Quæ tamen si uiribus aquas qualescunque sublimatas (ita enim stillatitias uocant) præcellant; eæ tamen, quæ calentis aquæ seruore (ut supra diximus) fiunt, cum proprios tum odores, tum sapes herbarum, ac florum, à quibus extrahuntur, secum trahant, iure quidem decoctis non modo ipsas equipollere, sed etiam præstare crediderim: non tamen, quod uiribus præcellere dixerim, sed quod gustui suauiores, & uisui iucundiores habeantur: quod non parum solatijs egrotantibus affert. Nos quidem alijs aquis non utimur, quam his, ad quas eliciendas nobis organum affabre parari fecimus, cuius ope hæc stillatitias, ac præstantissimas aquas suo tempore conficimus. Quarum aliæ sapore constant amaro, aliæ uero acri, aliæ acido, aliæ denique insipido pro uarijs simplicium medicamentorum qualitatis, à quibus eliciuntur. Quapropter seplasiarij, & medici, quos magis decet humanam charitatem colere, quam aurum & argentum, dent operam, ut iam plumbea, & ærea organa aboleantur, & balnea, de quibus diximus, in eorum locum succedant. quippe in hoc etiam (quanuis plus laboris, minus uero emolumenti suscipiant) & Deo, & hominibus simul rem gratam facere poterunt. Ceterum Fuchsius medicus nostræ ætatis clarissimus in libro de compositione medicamentorum, quem nuper edidit, uicè cauendum præcipit in succis stillatitijs eliciendis, ne eius uasculi fundum, in quo stirpes continentur, aquam in cacabo bullientem attingat, sed solo uapore ab ea eleuato incalascat. Quæ in re secutus potius uidetur fuisse Manardum uirum de arte medica præclare meritum, qui ita scriptum reliquit in suis epistolis, quam rei experimentum. Verum ipse non possum omnino eorū sententiæ subscribere, ut qui iudicem non esse semper ea exquisita ratione procedendum in herbis distillandis, quod certo sciam nihil referre, quando etiam uasculum herbas recipiens in aquam in maiore uase bullientem immergatur. Nam etsi aquæ, quas illi uolunt ex herbis uapore tantum ab aqua bulliente eleuato extrahi, ceteris præstantiores habeantur; tamen quæ ex herbis eliciuntur uasculo impositis, quod aqua bulliens circumluat, parum certe, aut fere nihil illis bonitate cedunt. quod mihi compertum est in ijs aquis, quas sæpissime libuit utroque modo elicere & experiri. Attamen aliquis illud discrimen esse dicet, quod illo modo aquæ ex herbis extrahantur, quæ tenuiores partes retinent, quod uaporis illius caliditas imbecillior sit, quam ut possit totam herbe substantiam conficere: hoc autem modo aquæ eliciantur, quæ omnes herbarum partes secum referunt. Hæc sanè differentia, quæ facile concedi potest, non est, meo iudicio, tanti momenti, ut illa regula perpetuo sit obseruanda, hæc uero euitanda: quin potius facit, ut hæc mihi uideatur probanda, illa uero reiicienda tanquam cautio nimis religiosa. Rosarum uires collegit Galenus lib. vii. simplicium medicamentorum, sic inquit. Rosarum uis, atque facultas superioribus libris pluribus uerbis exposita est, nempe quod ex aquea substantia calida mista duabus alijs qualitatis, adstringenti uidelicet, & amara, composita sit. Quinetiam cuius sit natura utraque, amara scilicet, & adstringens, in horum commentariorum quarto declarauimus. Flos earum magis etiam ipsi rosis adstringit, ac proinde sanè etiam exiccatorius est. Rosa, quam ita Latini uocant, Græcis ῥόδον dicitur: Arabibus, Nard, Naron, seu Vard: Italis, Rosa: Germanis, Rosen: Hispanis, Rosas: Gallis, Vne rose.

Aqua rosarū præstantior.

Fuchsi opinio non probata.


Rosarum facultas ex Gal.

Nomina.

Λύκειον. LYCIUM. CAP. CXIII.

LYCIUM, quod aliqui pyxantham uocant, arbor est spinosa, ramis trium cubitorum, aut longioribus: folijs buxi, denis: fructu piperis, nigro, læui, amaro, densoque: cortice pallido, non dissimili lycio madefacto: radicibus multis, obliquis, lignosis. Nascitur plurimum in Cappadocia, Lycia, & plerisque alijs locis. aspera loca amat. Succus extrahendi ratio hæc est. Rami cum radicibus tuis, & antè per multos dies macerati coquuntur, tum abiectis lignis, itidem liquor coquitur, donec mellis crassitudo fiat. Adulteratur id lycium, adiecta decoctioni amurca, aut absinthij succo, aut felle bubulo. Innatans spuma inter coquendum exempta, oculorum medicamentis additur: reliquo ad alia utuntur. Simili modo sit lycium semine expresso, & insolato. Optimum, quod uri potest, restinctumque rubentem spumam ostendit, glebis intrinsecus nigris, intus, cum fregeris, rufis, odore minimè uiroso, cum amaritudine astringens, crocino colore: cuiusmodi Indicum est, ceteris præstans, & efficacius. Lycium adstringit, caliginem oculorum discutit: genarum scabiem, pruritus, ueteresque fluxiones sanat: facit ad purulentas aures, exulceratas gingiuas, tonsillas, labiorum fissuras, fedis rimas, attritusque illitum: cæliacis, dysentericis, potum, inditumque conuenit: datur sanguinem excreantibus, & tuisi ex aqua: contra rabiosi canis morsus in catapotio deuoratur, aut in aqua bibitur: flauos facit pilos: reduijs, ulceribus, quæ serpunt, aut putrent, medetur: fœminarum profuua

LYCIUM.



Lycij confi-
deratio.

Lyciū in Ita-
lia nascens.

Lycij uires
ex Galeno.

Buxi confide-
ratio.

Quorundam
opinio repro-
bata.

fluuia appositum fistit: rabioforum istibus ex melle po-
tum, aut uice catapotij deuoratum, auxiliatur. Tradunt
Indicum fieri Lycium, ex frutice lonchitide appellato.
Ea spinarum generi ascribitur, ramos rectos habens, ter-
nūm cubitorum longitudine, maioresve, rubo crassio-
res, à radice numerosos: fractus cortex rubescit: folia o-
lea familia. Herba in aceto decocta proditur lienis inflā-
mationibus, & regio morbo mederi, & fœminarum pur-
gationes elicere. Aseuerant etiam crudam in potu, eos-
dem effectus præstare: semen cyatho dimidio potum, pi-
tuitam expurgare, uenenis quoque auxilio esse.

LYCIUM medicamentum, quo hodie officinæ passim utuntur,
nimirum notis illi plurimum reclamant, quod nobis hic reddi-
dit Dioscorides. Siquidem illud officinarum igni admotum non ac-
cenditur, nec intus rufescit, nec ullam gustantibus affert amaritu-
dinem. quæ omnia certo sunt indicio, id omnino imposturis, & ad-
dulterijs non uacare. Tradidere, quidam hoc ab impostoribus fieri
à ligustri fructu, alij id tribuunt periclymeni baccis, alij sanguineæ
urgæ corymbis, alij porrò ex his omnibus simul contusis elici
ci produunt, ac inde insolari. At legitimum, & quod sincerum sit,
quoquomodo se res illa habeat, compertum est, hoc æno ex Lycia,
unde illi nomen, ad nos non importari. Veruntamen & in Italia
lycij arbor nascitur: quandoquidem (ut Brasauolus testatur) in
Liguria alpibus frequens illa uisitur. Eadem & in Dalmatia pro-
uenit, unde nuper eius ramuli suis baccis omisti mihi allati fuerūt:
quippe (ut mihi retulerunt) uia, qua ex Zara tur Nonam, ubiq;
utrefcit. Sed, quæ maxima tum seplasiariorum, tum etiam medico-
rum incuria, ac negligentia est in ijs exquirendis, quæ ad artem
medicam spectant, plerunq; fit, ut ne illud quidem, quod nobis spō-
te natura tribuit, cognoscat, nedum recipiatur in usum. Lycij


nices Dioscoridi explet amurca in eupreo uase decocta, aut etiam rbus decoctus, quousq; eius liquamentū mellis cras-
situdinem acquirat. Lycij meminit Galenus lib. vii. simplicium medicamentorum sic inquitens. Lycion, siue pyxa
canthon, arbor spinosa, ex qua lycium, quod uocant, conficitur: id uidelicet medicamentum liquidum, quo ad sugil-
lata utuntur, & sedis, orisq; phlegmonas, ulcerationesq;, tum herpetas, putredines, & ulcera contumacia, & au-
res pure fluentes, & intertrigines, ac paronychias. Est autem facultatis exiccatorix, compositum ex diuersi gene-
ris substantijs, quas Ætrogvæis Græci uocant: altera quidem tenuium partium digerente, atq; calida: altera terre-
stri, & frigida, ex qua adstrictionem obtinet. Porrò hæc qualitas pusilla medicamento inest, digerit uerò, & desicc-
cat non parum, nempe in secundo recessu, in calore autem medijs, & symmetris proximam est. Proinde ad diuersos
affectus hoc utuntur medicamine, ut abstergente quidem ad ea, quæ pupillas obtenebrant: ut contrahente uerò, ac-
tiorum uerò Indicum ad omnia ualentius est. Et primo de antidotis, non facile adulterinam lycium à legitimo digno-
sei idem memoriæ prodidit. hæc Galenus. Caterum quoniam Pyxacanthe, quo nomine lycium ab aliquibus appel-
latur, mihi Buxum, quæ Græcis βύξο; dicitur, in memoriā redegit, non omittendum duximus, quin de ea etiam ali-
quid dicamus. Buxus itaq; nobis notissima est planta, quod plurima in Italia proueniat, folio myrti minore, cras-
sitate uiridior, ac subrotundior: uiret perpetua coma, eaq; propter topiario operi accommodatissima: flore herba
cæo: semine rufescente, omnibus animantibus inuiso. Crassissima in Corsica, flore non ferendo: quæ causa amaritudi-
nis mellis. Frigidis gaudet, & apricis. Materies buxo honorata, raro crispanti, nec nisi radice: cæterò lenis quies
materia, silentio quodam, & duritie, ac pallore commendabilis. Eadem spississima, & densissima, atq; ponderosissi-
ma, adeo ut in aquis non fluitet, nec cariem sentiat. Hæc etsi nullius sit in medicina usus, ut ueteres prodidere; nō
desunt tamen & recentioribus, qui uelint non aliud esse Italix buxum, quam Indis lignum, quod guaiacum appellant:
ea tantum ratione ducti, quod pluries experimento compertum sit, eius decocto etiam feliciter eos sanatos esse, qui Gal-
lica lue affecti erant. Quod etsi experientie concedi possit, illud buxi lignum præstare: attamen quod buxus in Ita-
lia nascens, & guaiacum ab Indis petatum una, & eadem sint planta (ut in secunda centuria Amatus Lusitanus asse-
rere uidetur) nunquam profecto crediderim. Siquidem guaiacum pingue, resinofumq; uisitur: materie intus nigra
ebeni serè modo: quin & sapor huic amarior, & acris. quibus omnibus notis siccam buxi materiem carere constat.
Quinetiam guaiaco (ut narrant ij, qui ab Indis ad nos redeunt) folia insunt plantaginis, breuiora, crassiora, durio-
raq;: lutei flores, & fructus inglandis magnitudine. Buxus uerò folia fert myrti, breuiora: flores herbaceos, & fru-
ctum myrto nusquam grandiorum. Quo fit, ut omnino existimem eos hallucinari, qui putant, buxum quæ in Italia na-
scitur, idem esse cum Indico guaiaco, ut nuper sensisse uidetur Lusitanus loco antedicto. Sed quam ab eo ieiunè, ne
dicam imprudenter auctum sit de simplicium medicamentorum cognitione, eorum facile iudicium futurum spero, qui
non

non mediocriter in re herbaria uersati fuerint, & huius scripta legent: atq; etiam legere non grauabuntur apologia, quam nos aduersus illum scripsimus, cui plurima errata attexuimus, que in eiusdem in Dioscoridem enarrationes adnotauimus. Lycium Latini similiter atq; Græci λυκίον nominant: Arabes, Hadbadh, Hadad, Kilulem, siue Felzakarag: Itali, Licio. Quæ uerò planta Græcis πύξος, Latinis Buxus appellatur: Italis, Boffo.

Ακασία.

ACACIA.

CAP. CXV.



ACACIA in Aegypto nascitur, spina instar arboris, fruticosa, non se in rectum attollens. Florem habet candidum, & semen lupino simile in folliculis: ex quo succus expressus ficcatur in umbra, niger ex maturo semine, subrufus ex uiridi. Eligatur modicè rufus, & odoratus, ut in hac arbore esse potest. Aliqui exprimunt ex folijs, & semine succum. Manat & gummi ex ea spina. Vis ei ad spissandum, refrigerandumque efficax. Succus oculorum medicamentis utilis: ualet ad ignem sacrum, vlcera quæ serpunt, perniones, pterygia, & oris vlcera: procidentis oculos reprimat: mensium abundantiam sistit, prociduum vuluam cohibet: citam aluum supprimit, aut potus, aut subter inditus: capillos denigrat. Lauatur oculorum medicamentis, trito in aqua, mox effuso, quod concreuerat, donec pura extet aqua: & ita cogitur in pastillos. Vritur etiam in cruda fidelia, donec fictile fornacibus percoquatur: torreturq; in carbonum halitu perflata. Spinæ decoctum solutos artus fotu committit. Præfertur eius spinæ gummi, quod in vermiculorum speciem contrahatur, & uitri modo perluceat, ligni expert: proximum est candidum: sordidum uerò, ac resinofum inutile. Cutis meatus obstruit, & medicamentorum, quibus admiscetur, acrimoniam hebetat: ambustis ex ouo illicitum, pustulas non patitur erumpere. Alterum Acaciæ genus in Cappadocia, Pontoque prouenit, Aegyptiæ spinæ similitudine, longè minus, tenerius, humile: aculeorum uallo munitur, folia habens rutæ: semen lenticula minus fert autumno, in loculis connexis, ternum, quaternumue capacibus. Succus eius adstringit, viribus inferior, & ocularibus medicamentis inutilis.

ARBOR, quæ Dioscoridi Acacia uocatur, Theophrasto Spina simpliciter dicitur lib. III. cap. III. de plantarum historia, ubi de ea ita scriptum reliquit. Spina ex eo nomen accepit, quod tota arbor aculeis horret, excepto caudice: nam & super germina, foliaq; aculeos gerit. Magnitudine excellit, materies quippe duodenorum cubitorum: testis idonea cæditur. Eius duo genera sunt: quedam enim candida, quedam nigra: & altera imbecillis, facileq; putrescens: nigra autem robustior, atq; incorrupta, ob id in nauium fabrica ad costas, uentrisq; compagine ea utuntur. Erecta non ualde assurgit. Fructum fert in siliqua, leguminum modo, quo incolæ coria perficiunt uice galie. Flos & pulcher aspectu, ut coronas ex eo facerent: & medicamentis perutilis, qua de causa colligi à medicis solet. Fit & gumma ex ea: manat hæc tum arbore percussa, tum sponte sine ulla plaga: cum autem cæsa fuerit, anno tertio protinus resurgit. Copia huius arboris largè habetur, & sylua ingens circa agrum Thebanum est, ubi & robur, & persea, & olea quoq; eo loco emigrat, non aquis fluuij riguo (distat enim plus, quam trecetis stadijs) sed suis fontibus, quæ circa eum tractum permulti exiliunt. Materies arboris dura, & cæsa colorem celtis utiq; repræsentat. hæcenus Theophrastus. A quo Plinius non dissentiens, ipse quoq; eius historiam memorie prodidit lib. XXI. cap. XII. cuius sic uerba sonant. Est & acaciæ spina. Fit in Aegypto alba, nigraq; arbore, item uiridi, sed longè melior è prioribus. Fit & in Galatia tenerrima, spinosiore arbore. Semen omnium lenticulæ simile, minore est tamen & grano, & folliculo. Colligitur autumno, quoniam ante collectum nimio ualidius. Spissatur succus ex folliculis aqua cælesti perfusus, mox in pila tuis: exprimitur organis, tum densatur in sole mortarijs in pastillos acacia dicta, arboris uidelicet suæ nomine. Fit & ex folijs per se minus efficax. Ad coria perficienda semine pro galla utuntur. Fortiorum succus, & Galatiæ acaciæ nigerrimus improbat: item qui ualde rufus est. hæc Plinius. Succus è recensenti semine expressus, ac postea longa insolatione concretus Græcis nomine suæ arboris Acacia nuncupatur. In cuius defectu supponunt tum officinæ, tum medicorum uulgi succum è syluestribus prunis expressum in tenues quasdam plaentulas in sole densatum: siquidem legitima acacia ad nos non affertur. Vbi acacia defecerit, licet (si Dioscoridi credimus) eius uice tum rhois arbusculæ folia, tum lentisci foliorum succum, tum etiam hypocistidem medicamentis immiscere. Quamobrem his potius seplastarij uti deberent, quam suppositio syluestrium prunorum succo. Scire etiamnum conuenit, gummi, quod ab arbore acaciæ manat, ideo Serapioni Arabicum nuncupari, quod ab Arabia regione

Nomina.

Acaciæ hist. ex Theophr.

Ex Plinio.

Acacia officinarum.

Gummi Arabicum.

gione

gione Aegypto contermina suo tempore importaretur. Sed animaduertere oportet, quod Arabicum uulgaris usus gummi longe quidem ab illo differt, quod ab acacia colligitur: namq; illud non contractis uermiculis simile, sed in grumis uersicoloribus conspicitur, quorum alij succinum, alij topatium, alij chrysopatium, alij beryllum colore, & nitore referunt. Quod autem nobis gummi Acaciae desit, illud argumento esse potest, quod ipsa quoq; legitima acacia haereticus, quod sciam, non desertur. Nam si hoc, quo utimur, sincerum, legitimumq; acaciae esset gummi, procul dubio ipsa quoq; acacia ad nos conueheretur, cum longe magis in paranda theriaca, alijsq; componendis medicamentis expectatur, quam gummi. Hinc itaq; facile quisq; conijcere potest, gummi ex Aegypto spina defluens ab eo sane plurimum differre, quod Arabici gummi nomine officinarum uulgus habet. Hoc igitur uulgare gummi illud equidem esse existimauerim, quod Graecis gummi simpliciter uocatur. In quam sententiam me adduxit Galenus: siquidem libro VII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Gummi lacryma est congelata, concretaq; in truncis arborum ipsam fundentium, uelut resina quoque in multis uisitur plantis, quae resinam fundere possunt. Ceterum quod exicatoria, emplasticaq; sit facultati, constat. haec Galenus. Ex cuius uerbis palam est, gummi sic in uniuersam Graecis appellationem, nostrum gummi esse uulgò Arabicum dictum. Quod quidem (quantum sensuum iudicio consequi possumus) ex pluribus arborum gummi miscellaneum est. Cuius rei manifesto indicio sunt cum grumorum formae diuersitas, tum colorum uarietas. Huc etiam accedit, quod Galenus unica nomenclatione omnia earum arborum gummi comprehendit, quae resinam non proferunt. Quamobrem omnino explodenda uidetur eorum sententia, qui ubi Graeci gummi absolute scriptum reliquerunt, illud gummi intelligendum esse contendunt, quod est spina Aegyptia manat. Non desunt praeterea, qui gummi spinae Aegyptiae illud esse opinentur, quod gummi Dragaganti, hoc est, tragacanthae officinis appellatur, propterea quod effigie contractos uermiculos referat, quo nihil certè melius illi competere posset. Sed tamen hoc etiam illud non est, ut suo loco dicemus. Galenus lib. VII. de compositione medicamentorum per genera, Acaciae gummi ἰσχυρὸν καὶ ἰσχυρὸν uocat: hoc fortasse argumento, quod scripserit Theophrastus (ut supra dictum est) ingentem huiusce spinae sylvam esse in agro Thebano. Sed cum ad nos non perferatur acacia (ut paulò antè scriptum) nec etiam eius gummi importari credendum est. Gummi Acaciae meministi Iacobus Syluius uir sane aetatis nostrae ingenio & doctrina celebris, suo de natura simplicium medicamentorum libello, his uerbis. Gummi acaciae non meministi Galenus in Acacia libro sexto simplicium, uti nec acaciae mentionem facit paulò post in Acantha Aegyptia, seu Arabica, quo nomine solo Dioscoridi uocatur. Vnde colligas licet, acaciae, & acantham Aegyptiam, seu Arabicam, diuersas esse in Aegypto spinae arbores. haec ille. Sed mea quidem sententia, Syluius manifestè aberrasse deprehenditur: quandoquidem Galeno acantha Aegyptia arbor utiq; non est, sed herba est carduorum genere, quemadmodum & Dioscoridi libro tertio, ἀκανθὰ λευκὴ, hoc est, spinae albae similis, quam Mauritani suchaa appellant. Quocirca eo capite acaciae meminisse Galenum omnino fuisse absurdum. Ceterum alteram Acaciae, quam in Cappadocia, Pontoq; prouenire tradit Dioscorides folijs rutae, quamq; hic depictam damus, accepimus hoc anno à quodam ex ijs, qui rei herbariae dant operam. Et quoniam ea Dioscoridis historiam perbellè representare uisa est, non potuit animus non inclinari ad credendum hanc secundam esse Acaciae. Est enim aculeis horrida, folio rutae, femine lenticula minore, in siliquis terminè quaternumue capacibus, quod autumno profert, gustu etiam adstringente: color siliquis aureo quodam fulgore resperfus, adeò ut in sole auri modo pelluceat. Acaciae uires adnotatas reliquit Galenus lib. VI. simplicium medicamentorum, ubi sic inquit. Acaciae & planta ipsa acerba est, & fructus, & succus, qui lotus quidem & imbecillior, & minus mordax redditur, utpote acrimoniam quandam per lotionem deponens. Porro si parti alicui sane illinatur, protinus eam & sicciorem, & contractam efficiet, nullum quidem caloris sensum inuehens, sed nec frigoris admodum ualentem. Vnde constat medicamen id esse frigidum, & terrosus, immixta quaedam etiam essentia aquea. Et sane coniectura est, non esse simile, uerum quaedam in sese dispersas habere partes tenues, & calidas, quae in ipsa ablutione segregentur. Estq; & hoc tertij ordinis exiccantium, & secundi refrigerantium, ubi quidem clotum fuerit, illotum uerò primi. Nomen, quod ἀκανθὰ habet apud Graecos, idem, quod est Acacia, retinet apud Latinos & Italos. Ea autem Arabicè Aethabie appellatur.

Quorundam lapsus.

Iacobi Syluij opinio reprobata.

Acaciae alteri genus.

Acaciae uires ex Galeno.

Nomina.

Ἄγνος. VITEX.

CAP. CXVI.

VITEX, siue lygos, frutex est in arborem assurgens. Nascitur in fluminum ripis, asperisque locis, ac torrentium alucis: ramos gerit longos, fractu peruicaces: folia oliuae, sed molliora. Duo genera eius: una harum album florem mittit cum purpureo: altera tantum purpureum, & semen, ut piper. Excalfactorias uires habet, & astrictorias. Semen eius potum uenenatis ictibus, aquae quae cum tem subijt, lienosisque auxiliatur: lac euocat: menses ciet, drachmae pondere in uino potum: genituram exoluit: caput tentat, & soporem affert. Decoctum herbae, & seminis in defensione, mulieribus uuluae malo opportunis opitulatur: item inflammationibus. Purgationes mouet semen cum pulegio potum, etiam suffitu, uel appositu: capitis dolorem dissoluit illitum: instillatur cum aceto, & oleo capiti in lethargo, & phrenitide. Folia suffitu, aut substratu fugant uenenata: illita quoq; serpentium moribus auxiliantur: testium duritias, cum butyro, & folijs uitium emolliunt. Rimas sedis semen cum aqua illitum mitigat: & cum folijs medetur luxatis, uulneribusque. Virgam qui manu teneat, dum iter facit, negatur intertriginem sentire. Agnum, quasi dicas castum, uocant Graeci, quoniam matronae in Thesmophorijs Atheniensium castitatem custodientes, folijs huius cubitus sibi sternunt. & lygon, quasi uimen, propter inuictam ferè ramorum flexilitatem.

VITEX,

VITEX.



VITEX, siue Salix Amerina, quam uulgius herbariorum Agnum castum appellat, arbuscula est in Italia uulgaris notitia. Duo eius genera recenset Plinius lib. XXIII. cap. IX. Maior in arborem salicis modo assurgit: minor ramosa, folijs candidioribus, lanuginosis. Prima album florem mittit cū purpureo, quæ & candida uocatur: nigra, quæ tantum purpureum. Nascuntur in palustribus campis. Non multum à salice utilium usu distat uitex: foliorum quoq; aspectu, nisi odore gravior esset. Græci byzon uocant, alij agnon, quoniam matrone in Theoprophorij Atheniensium castitatem custodientes ijs folijs cubitus sibi steruant. Vitex, ut scriptum reliquit Galenus lib. VI. simplicium medicamentorum, caliditatis, & siccitatis classem tertiam sortita est, uerum ea est multum tenuis substantiæ, tum gustu acris simul & adstringens: ipsas tamē uitices ad medicinam habet inutiles: cæterum folia, semenq; calida, siccaq; facultate sunt, substantia uerò tenui. Nam & utentibus ita apparet, & gustantibus acris simul & subadstringens percipitur tum folium, tum flos, tum semen. Edendo tamen etiam semen est, uerum tam perspicuo calfacit, ut capiti hoc nomine dolorem pariat. At si frigatur (nam & sic editur cum bellarijs) minus caput tentat. Porro flatu uentris discutit & cum non frictum, & multo magis cum frictum fuerit. Cohibet præterea semen impetus in uenerem tum frictionis expers, tum etiam ipsam expertum. Folia item, floresq; ipsius fruticis id ipsum præstare possunt. Itaq; non tantum esca, potaq; ad castitatem conferre creduntur, uerum etiam substrata. Hinc est, quod Athenis in Theoprophorij, hoc est, sacris Cereris, mulieres totum sibi fruticem substernunt: hinc illi quoq; nomen inditum agni, hoc est, casti. Ex quibus omnibus manifestum est, si quidem memoria teneamus, quæ superioribus commentarijs sunt dicta, agnum calfacere, simulq; exiccare, tum omnium maxime flatu discutere. Porro quod exactè tenuium sit partium, facultas eius indicio est. Nam quod caput tentat, non magis à multitudine uaporum ab eo prognaturum, quam à caliditate eius, ac subtilitate partium fieri rationabile est. Nam si flatuosum spiritum procreare posset, sanè & uentrem inflaret, & uenerem stimulare, perinde ut eruca. Verum cum non tantum non excitare, imò etiam reprimere queat, fuerit profecto secundum rutæ maxime facultatem tum in exalfaciendo, tum in resiccando: non tamen illi par est, nam utroq; paulò est inferior: siquidem ruta tum magis est exalfactoria, tum magis desiccatoria. Differt etiam qualitatibus simul, ac facultatibus mixture. Nam agni semen, ac germina modicam ferunt adstrictionem: at ruta ubi aruerit, exactè amara est, & acris; ubi uerò humida, subamara. Non tamen austeritas, aut acerbitas illi inest: aut si cui uideatur inesse, ea utiq; omnino obscura, scio, uidebitur, nec par ei, quæ est in agno. Quocirca & ad iccur, & lienem indurata, & obstructa agni semen potius, quam rutæ competit. Sed hæc ad curandi iam methodum pertinent, quam ut omnino non attingam de medicamentorum pronuncians facultatibus, fieri non potest: uerum celeriter ad rem propositam reflectere, uiri est utiq; temperati. Magisq; etiam id ipsum in sequentibus medicamentis efficere conabor, hoc est, ubi ex quibusdam paucis euidentibus generalem facultatem collegero, particulares postea actiones omittam. Nam in præsens id solum nouisse sufficit, quod agnus calidus est & siccus facultate, idq; non mediocriter, sed tertio excessu, tum admodum tenuium partium. Hæc qui norit, ac postea methodum curandi didicerit, ipsemet inueniet, quo pacto menses hinc cieat, quo pacto partes induratas digerat, quo pacto lassitudinem soluens, seu acopum, & exalfatorum ex eo unguentum præparetur. hæcenus Galenus. Huius plantæ nomen Græcum est ἄγνος ἄγι λύγος: Nomen.

Vitices confederatio.

Vitices uires ex Gal.

40
50
60
70
80
90
100
110
120
130
140
150
160
170
180
190
200
210
220
230
240
250
260
270
280
290
300
310
320
330
340
350
360
370
380
390
400
410
420
430
440
450
460
470
480
490
500
510
520
530
540
550
560
570
580
590
600
610
620
630
640
650
660
670
680
690
700
710
720
730
740
750
760
770
780
790
800
810
820
830
840
850
860
870
880
890
900
910
920
930
940
950
960
970
980
990
1000

Ἰρία. SALIX.

CAP. CXVII.

SALIX vulgo nota est. Cuius semen, folia, cortex, & succus spissandi vim habent. Trita folia cum exiguo pipere, & uino pota, ileosis subueniunt: sumpta per se, & cum aqua præstant mulieribus, ne concipiant. Salignum semen in potu sanguinem expuentibus prodest. Cortex eisdem præbet effectus, corticis cinis admisto aceto maceratus, illitu clauos, & callos tollit. Ex folijs, & cortice succus cum rosaceo in calyce punici calfactus, aurium doloribus auxiliatur. Decocto eorum podagras foueri uilissimum: surfures purgat in corpore. Excipitur succus, qui manat ex ea, cum floret, exciso cortice: in plaga enim concretus humor inuenitur, qui ad purganda, quæ obstant oculis, suam uim præbet.

QVANVIS

Salicis confi-
deratio.

S A L I X.

Salicis uires
ex Gleno.

Nomina.

strabitur. Porro arboris cortex similem facultatem obtinet tum floribus, tum folijs, nisi quod temperaturæ sit sic-
cioris, uelut omnes cortices. Sed hunc quidam comburunt, eiusq; cinere utuntur ad omnia, quæ ualenter desicca-
re oportet. Nam clauos quos uocant, callos Græcis *ῥύλοις*, myrmeciasq; tollunt, aceto acri ipsam macerantes.
Nonnulli autem dum floret salix, corticem eius incidunt, & succum quandam colligunt, utunturq; ad ea, quæ
pupillas offuscant, extergente uidelicet, simulq; tenuium partium medicamine. Vti uero illo ad multa alia quis pos-
set, siquidem talis fuerit. Vitex ita Latinis dicta, Græcis *ῥέα*: Arabibus, Bulef, Bhulles, Saffaf, aut Cha-
lif nominatur: Italis, Salice, & Salcio: Germanis, Vuelden, & Felbinger: Hispanis, Salce, aut Salgueiro:
Gallis, Saulz.

Ἀγριλάια.

SYLVESTRIS OLEA.

CAP. CXVIII.

SYLVESTRIS oleæ, quam aliqui cotinon, id est, oleastrum appellant, alij Aethiopicam oli-
uam, folia astringunt: trita autem & imposita ignem sacrum, ulcera quæ serpunt, epinyctidas, car-
bunculos, reduuias, nomasq; cohibent: crustas emarginant cum melle illita: quinetiam sordida
ulcera repurgant: inflammationes, panosq; cum melle imposita discutunt: eutem à capite uulsum
conglutinant: oris ulceribus, & priuatim infantium commanducata medentur. Succus, & deco-
ctum eisdem habent effectus: sanguinis eruptiones, ac muliebri profluuium, admotus succus inhi-
bet: uux oculorum, pustulisq; prodest: ulcera, & ueteres defluxiones sistit: quapropter in colly-
ria additur, ad palpebrarum erosiones perquam utilis. Exprimitur succus tuis folijs, affuso uino,
aut aqua, siccatusq; sole in pastillos digeritur: sed longè ualidior ad recondendum succus habetur,
qui cum uino, quàm cum aqua expressus est. auribus subuenit, siue ulcerentur, siue pus effluat. Fo-
lia conuenienter cæliacis cum farina hordeacea illinuntur. Vruntur cum floribus folia, ut spodij ui-
cem cinis præstet, in cruda olla, oblito ore luto, usque dum figlinum percoquatur: restincta que ui-
no, & rursus subacta, eodem modo uruntur: postremò cerusæ modo elota coguntur in pastillos.
Huiusmodi cinerem in medicamentis oculorum, constat spodio non cedere, sed eisdem uiribus
præditum esse putandum est. Foliorum fatiux oleæ eadem uis intelligitur, sed aliquantò inferior:
unde ocularibus medicamentis ob suam mitiorem uim conuenientior est. Sudor ligni uirenti accen-
so manans, illitu sanat lichenas, surfures, & scabiem. Oleaginum semen illitum medetur surfuri-
bus, & ulceribus, quæ depascunt, uorantq;: quod autem intra nucleum est, ex adipe, & farina sca-
bros ungues excutit. Colymbades trita, & ambustis illita, pustulas gigni prohibent: sordida ulce-
ra

40

50

ra

OLEA SYLVESTRIS.

OLEA SATIVA.



ra purgant. Muria succus collutas gingivas contrahit, & motus dentium firmat. Oliua flava, & recens stomacho utilior est, uentri difficilis: nigra autem, & matura corruptioni opportuna est, stomacho aduerfatur, oculis non conuenit, capitis dolorem mouet: arefacta illitu depascentia ulcera fistit, & carbunculos emarginat. Oleum syluestris oliuæ gingiuis putri uligine laborantibus coluitur, dentium mobilitates stabilis: calfacti fatus gingiuis fluxione laborantibus utilis est: lanam enim specillo circumligatam oleo madefacere oportet, & gingiuis admouere, donec albæ spectentur.

40 Δάκρυον αἰθιοπικῆς ἐλαίας. LACRYMA AETHIOPICAE OLEAE.
CAP. CXIX.

LACRYMA, quam Aethiopica olea stillat, scammonio similis quadantenus est, fulua, stillis, exilibus constans, mordax. Quæ autem ammoniaci, aut gummi similitudinem refert, colore nigricans, nec gustu mordens, superuacua est. Nostrates oleæ, oleastrique similem lacrymam sudant, quæ commodè ad oculorum hebetudines illinitur: cicatrices, albuginesque illitu emendat: urinam, & menses ciet: cauis dentium impressa ad dolores efficax est. Inter uenena scribitur, partus pellit: lepras, & impetigines sanat. Appellatur autem Aethiopica, & agrestis olea.

50 Ἀμόργη. AMURCA. CAP. CXX.

AMURCA expressæ oliuæ recrementum est. Decocta in cupreo uase ad crassitudinem mellis adstringit, cæteros præbens lycij effectus. Insuper dentium dolori, & uulneribus cum aceto, uino, aut mulso commodè illinitur: additur in medicamenta ocularia, & meatus inductu suo obstruentia. Vetustate meliorem fieri constat. Vtiliter infunditur sedis, genitalium, ac uulua exulcerationi. Si uerò cum omphacino recoquatur ad mellis crassitudinem, cariosos dentes extrahit: iumentorum scabiem cum decocto lupini, & chamæleonte illitu sanat. Cruda, & recenti amurca podagras, articulariosque dolores foueri, utilissimum: peruncta in uillosa pelle, & hydropicis imposita, tumoris molem reprimit.

Oleæ sylue-
stris confide-
ratio.

Oliuarum ge-
nera plura.

Oleæ, & quer-
cus odium.

Aethiopicæ o-
leæ lacryma.

Gummi elemi.

Amurca olei.

Oliuæ uires
ex Galeno.

Nomina.

CVM oliuæ, oleum, oleæ Aethiopicæ lacryma, & amurca ex una tantum arbore proueniant; non ab re duximus de his omnibus simul pertractare, & ita singulis partibus unica commentatione, quantum opus erit, satisfacere, & quicquid ad eas spectat, simul perstringere. Nascuntur syluestres oleæ copiose in agro nostro Senensi, alijsq; Hetrurie locis: nascuntur & in Dalmatiæ tractu, & in quam plurimis Adriatici insulis. uerum domesticis longè minores, folijs breuioribus, aculeatisq; ramis. Earum bacca etsi numerosa fecunditate uincant; magnitudine tamen satius cedunt: quin & ori sapidiores existunt. Cuius rei certo sunt testimonio turdi, merulae, ac sturni: quippe quonia syluestres oliuas libentius deuorant, quam satiuas. Incolæ, qui aucupijs delectantur, agrestes oleas summo studio, ac industria ab auibus tuentur: nempe quod confecta satiuarum uindemia, auiculae ad has aduolant, ubi mense decembri, & ianuario uisco innumera capiuntur, praesertimq; turdi. Pauci admodum sunt in Hetruria, qui oleastri baccas legant, ut oleum inde exprimant: nam ea demum magna satiuarum copia est, quæ facit, ut inibi omnino paruipenduntur syluestres. Oliuarum genera decem in antiquorum notitiam peruenisse reperio, paucias uidelicet, algianas, licinianas, sergias, neuias, culminias, orbites, regias, circites, murteas: etsi Virgilius trium generum tantum meminerit, quemadmodum etiam plura non nouit hac nostra ætate Hetruria, praesertimq; noster Senensis ager. Primum harum genus eas nostri faciunt, quæ licet à minoribus olearum plantis proferantur; sunt tamen spectata forma, & magnitudine Bononiensibus non quidem inferiores. His tantum muria asseruatis utuntur in cibis: quandoquidem oleo minus aptæ sunt, quod multo plus amurcæ, quam olei fundat. Proximæ tamen colore, tum magnitudine præstantes, quamuis prædictis longè minores sint; sunt tamen omnium aptissimæ ad olei conficiendi usum. quippe quod oleum ex eis expressum, sit non modò flauum, dulce, pellucidum, ac cæteris præstans; sed etiam copiosum. Gignuntur hæc à procerissimis oleis, prægrandibus, iuglandium nucum instar, ramos in altum, latumq; amplissimè fundentibus. eas rura nostra Oliuastre uulgò uocant. Tertij uerò, ac postremi generis eæ deniq; sunt, quæ passim in uniuersa Italia nascuntur, & omnium uulgariissimæ habentur. Laudatissimæ oleæ Bononiensibus, & nostratibus crassiores muria asseruata Romam, Venetias, & ad alias complures Italiae clarissimas urbes, ubi magnificæ, opiparæq; parantur mense, ex Hispania importantur. Cæterum olea, & quercus tam pertinaci odio inter se distident (si rei agrarie scriptoribus fides est adhibenda) ut altera prope alteram depacta breui tempore pereat. Olea item si primo germinatu à capra depascantur, adeo sterilesunt, ut nullo remedio in posterum prolificæ fiant. At si alia de causa raras admodum, uel nullas proferant baccas, nudatas earum radices à circumstante terra hyberni algoribus opponere, certissimum est remedium. Syluestris, seu Aethiopicæ oleæ lacryma, licet multis polleat uiribus; eius tamen in Italicis officinis nullus est usus: neq; quod ea ad nos afferatur, adhuc compertum habeo. Sunt, qui hanc putent illud esse gummi, quod medici recentiores, & officinæ gummi elemi appellant. Verum illud certo argumento est, oleæ Aethiopicæ lacrymam gummi elemi non esse, quod gustatu mordax non sit, neq; linguam uellicet: tum etiam, quod omnibus perspicuum sit, eam lacrymam (etsi improprie gummi appelletur) non in gummi quidem; sed uerius in resinarum genere esse recipiendam: cum igni exposita statim colliquescat, & diffundatur, quemadmodum & resina, quæ è pinu, picea, & alijs resinam fundentibus plantis colliguntur: licet nobis prorsus ignota sit planta, à qua in oriente defluit. Siquidem nullum gummi genus (quod ego sciam) igne colliquescit, nisi addito aceto, uel uino: quin potius statim comburitur. Est & alia oleæ maris rubri lacryma, ex qua (ut Theophrastus inquit lib. IIII. cap. VIII.) medici sistendo sanguini medicamentum componunt. Cæterum quamuis ætate nostra obscura admodum sit gummi Elemi origo; eius tamen uires clarissimæ apud chirurgicos, & uulnerarios medicos reperiuntur: nam in caluariæ fracturis, ac uulneribus mirificè unguentis, & emplastris additur, adeo ut præstantissimum sit in his sanandis medicamentum. De Amurca olei postremo nil aliud dicendum est, nisi quod sit admodum utilis (ut memoria prodidit Casuto) apothecarum, & officinarum fabricis, ubi lanci, uel sericeei panni reconduntur. Nam si calci admisceatur, & ex ea inde parietes incrustentur, oblinanturq; item laquearia, & pauimenta non modò parietes contractos, uel aduentitios humores nunquam collacrymant, & situm minime contrahunt; sed nec blatte, nec aranei, nec cuiusuis generis uermiculi ibidem gigni possunt. Oliuæ uires prodidit Galenus lib. VI. simplicium medicamentorum, sic inquit. Oliuæ rami quantum habent adstrictionis, tantæ & frigiditatis participes sunt. Fructus uerò, si quidem ad unguem maturuit, moderatè calidus est: sin immaturus est, magis tum adstringit, tum refrigerat. Olea satiuæ, sic Latine, ut ἐλαία ἡμερος Græcè uocatur: Arabicè, Zaiton, seu Caiton: Italicè, Oliuo domestico: Germanicè, Oelbaum; Hispanicè, Oliuo, & Azeytuno: Gallicè, Oliuier. Syluestris autem Græcis Ἀγριελαία, ἢ κότινος appellatur: Latinis, Oleaster, & Olea syluestris: Italis, Oliuo saluatico: Germanis, Vuilder oelbaum: Hispanis, Azebuche: Gallis, Oliuier sauuage.

Δρῦς, QUERCUS. Βάλανος, GLANS, Φηγός, FAGVS.

Κείνος, ILEX. CAP. CXXI.

QUERCUS omnis adstrictoriam uim habet, præsertim liber, qui cortici, & ligno intercedit: quinetiam tunica putamini glandis subiecta. Decoctum ex ijs datur dyfentericis, cæliacijs, sanguinem excreantibus. Trita in pello sceminis fluxione uulua laborantibus subijcitur. Glandes eosdem effectus exhibent: urinam ciunt: capitis dolorem, & flatus in cibum sumptæ pariunt: resistunt esitatae uenenatorum icibus. Decoctum earum, & corticis cum lacte uaccino potum, prodest contra toxica. Intritæ crudæ inflammationes illitu leniunt: ad duritias, quas cacoëthe uocant, & malefica ulcera cum falsa axungia conueniunt. Iligneæ glandes uiribus quernas antecellunt. Fagus, & Ilex quercus generi assignantur, & consimile munus obeunt. Iligneæ radices cortex cum aqua

QVERCVS.

FAGVS.



I L E X.



aqua coctus, dum mollitus intabescat, & tota nocte illitus, denigrat capillos, prius cimolia terra purgatos. Folia omnium tusa, & trita tumoribus profunt, & imbecillas membrorum partes corroborant.

SUNT & alie glandiferi generis arbores, præter Quercum, Ilicem, & Fagum: inter quas numerantur Cerrus, Suber, Aesculus, & alie nonnullæ, quæ suo more rura nostra appellant, quarum omnium exacte rationem reddere potest uniuersa Hetruria. Quippe quod & in maritimis nostris Senensibus, & Faliscorum agro, ac etiam Romano tractu, omnia hæc glandiferarum genera adeo numerosa in uastissimis syluis proueniant, ut glandibus innumerabiles porcorum greges incolæ ibi quotannis saginent. Verum ne aliquis existimet, harum non meminisse Dioscoridem, quod fortasse eas non cognouerit, sciendum est, eum, meo quidem iudicio, de quos nomine comprehendisse in uniuersum omnes glandiferas arbores, non solum quod sciret, una uoce omnia illa genera contineri posse, sed etiã ut breuitati consuleret: de quos enim apud Græcos nõ modò quercum particulatim significat; sed uniuersim quancunque glandiferam arborem. Quo fit, ut dixerit ipse: Δεὸς τῶν ὄσων συνήλων ἔχει δὲ ὅλα, id est, Quercus omnis adstrictoriam uim habet, ac si dixisset, arbor omnis glandifera adstringit. Porro mirum est (ut Theophrastus est auctor lib. III. cap. VIII. & IX. de plant. historia) quod alia plurima præter fructum ferat quercus. Nam gallam gignit paruulam, atq; alterã resinofam, & nigrã: quæ & aliud specie ueluti morum, sed durum, & fractu admodum difficile: id tamen rarum. Ad hæc aliud effigiẽ colis representans. Cum uerò perficitur, durum quid parte emicante, & perforatum, & tauri caput quodammodo emulans in a profert,

Glândiferarum arborum cõsideratio.

Quercus quæ proferat.

profert, quod præruptum nuclei oleæ speciem intus ostendit. Fert & quod quidam pilum appellant. Id pilula est comam gerens lanaceam, mollem, nucleo durior, qua in lucernarum luminibus utuntur. Flagrat etenim probe, ut galla nigra. Fert & alteram comigeram pilulam, ceterum quidem inutilem, uerno autem tempore succo melligeno inficitur tum tactu, tum gustatu. Inq; ramorum alis pilulam aliam gignit sine pediculo, concavoq; sessilem, peculiarem certe, uersicoloremq;. Nam eminentes quosdam umbilicos candicantes, uel passim uariantes nigris maculis habet: partem mediam grani tinctura infectam, splendidamq; ostendit, aperta, nigra, & putricans cernitur. Lapillum quoque puniceum magna ex parte gignit, quanquam raro. Item aliam eò rariorem pilulam è folijs conuolutam, compressam, atque oblongam. Super folijs uerò tergo adherentem pilulam fert candidam, aquosam, dum tenera est: hæc etiam interdum muscas intus continet, ueniensq; ad incrementum iustum in modum leuis paruula gallæ indurescit. Fungos omitto, qui è radicibus, & iuxta radices erumpunt: communes enim eos cum cæteris habet arboribus. Quin etiam uiscum taceo, quippe eum in alijs quoq; proueniat. Sed nihilominus (ut dictum est) ferax hæc arbor habetur plurimarum. hæcenus Theophrastus. Ceterum non dubitandum est, quin omnes ij partus suos habeant usus, suisq; polleant uiribus. Stillatitia aqua, quæ in balnei calentis aquæ uitreo organo à tenellis quercus folijs primo ipsarum exortu decerpitis elicitur, iocineris defluxiones sistit, renum calculos comminuit, & mulierum alba profluvia cohibet. Ad hæc eius echinata pilula sicca, ac tritæ uim apprimè adstrictoriam possident: eaq; propter efficacissimo sunt remedio contra omnes alui fluxiones. In summa præstant, ubi suppressimè sit opus. Fagus quoq; glandiferis arboribus adnumeratur, tametsi fructus effigies glandibus prorsus reclamet. Hic enim extrema parte calyculo includitur rotundo, quadantenus echinato, hispido, ac scabro: interius uerò triangulari forma nuclei sunt, qui tenui, & leui cute, castanearum modo, in atrum rubescens obteguntur. Horum sapor dulcis, & subadstringens. Glires hoc pabulo maxime delectantur, ac pinguescunt. Quamobrem cum eius aduenit maturitas, innumeri capiuntur glires in Carniola, Sicilia, & Carinthiæ syluis: quippe ijs in locis incolæ mane inspexeris, qui saccos gliribus plenos frant una tantum nocte captis. Delectantur fagi fructu etiam mures: siquidem è longinquis regionibus natura ducti gregatim syluas ingrediuntur. Item & sciuris gratissimus est cibus, ac etiam turdis, merulis, alijsq; compluribus uolatilibus. Quin & obsessos hostibus homines in oppido Chio ea tantum glande uictitasse, Cornelius Alexander est auctor, donec se obstatione liberassent. Fagi folia esitata labiorum, gingiuarumq; utijs mirifice opitulantur: tusa, illitaq; torpentia membra corroborant. Glandis fagineæ cinis renum calculis utiliter illinitur. Ilex insuper arbor est in Italia notissima, spectataq; proceritatis, cortice in rusum nigricante. Materies eius densa admodum est, ac robusta, in atrum rubescens. Folijs laurinis, ac perpetuis uiret: sed quæ externè candicent, scabræq; sint; internæ uerò uirescant, læuesq; cernantur: quin & in toto ambitu adeo serrata sunt, ut spinarum speciem præ se ferant. Glandes profert quernis minores, quæ & in reliquis minus præstant. Iligneus carbo Hetruscis in pretio est, non modò quòd ignem diu foueat, sed etiam quòd (ut aiunt) uapore caput minime tentet. Hæc præter glandes, pilulas quasdam rubentes gignit, quæ tritæ cum aceto uulneribus recentibus, & cruentis oculis utiliter imponuntur. In Ilicis genere (ut memoriæ prodidit Theophr. lib. III. cap. XVI. de plant. historia) est arbor illa, quam Arcades Smilacem uocant, ilici similis (ea autem non est taxus, quæ etiam smilax dicitur, quoniam de taxo capite x. eiusdem libri disseruit Theophrastus) folio tamen non aculeato, sed molliori, profundiori, differentijsq; pluribus distinguendum: nec materie, ut illa, solida, spissaq; sed soluta, molliq; in opere. Meminit huius Gal. lib. VI. cap. III. de cõp. med. secundum locos in columellæ remedijs, sic inquit. His fortiora sunt myrti, ac baccarum eius decoctum, & ex acerbis cotoneis malis, & uirgultorum tenerorum ilicis, arbuti, smilacis, ac fagi. Super quo loco dubitat Cornarius, quomodo fieri potest, quòd smilax (taxum, uel eius speciem intelligit) quæ ab omnibus uenenosa describitur, ponatur à Galeno inter gurgulionis remedia. In dubij uerò solutione nil aliud determinat, nisi quòd, cum non ubique (sic ipse putat) taxus sit uenenosa, ex eo genere sumi debeat, quæ lethali caret at noxa. Sed si Cornarius Theophrastum sibi alioquin familiarem cõsulisset, qui smilacem quandam (ut paulò ante ostendimus) in arborem ilici similem refert, rectius, meo quidem iudicio, & paucioribus rem hanc explicasset. SVBER deniq; arbor est fructu, et folio ilicis, perpetua similiter coma uirens, quanquam id negat Theophrastus, sed crassissimo cortice uestitur, atq; ilici magnitudine cedit, ut ij quidem attestari possunt, qui Baccano Romam profecti sunt: eo enim in itinere innumera Suberum plantæ uisuntur. Hæc cortice exuta minime arefcit, quemadmodum reliquæ arbores: quandoquidem natura haud ignara, quòd sepius cortice expolianda esset, materiem duplici cortice munuit. Inter plures, ac uarios corticis suberei usus, qui in rebus domesticis celebrantur, ille præcipuus est, & uulgaris, quòd sutoribus maxime sit expetita ad crepidas conficiendas.

Fagi consideratio.

Ilicis consideratio.

Smilacis consideratio.

Cornarij lapsus.

Suberis consideratio.

SVBER.



ciendas. Quin & globis ex ea factis utuntur piscatores, quod ea nunquam aquis mergatur, sed supernatet sustinēdis retibus, plumbeis glandibus in altum ductis. Ideoq; Plinius lib. xvi. cap. viii. scriptum sic reliquit. Suberi minima arbor, glans pessima, raraq;: cortex tantum præcrassus, ac renascens, atq; etiam in denos pedes undiq; explanatus. Vfus eius anchoralibus maxime nauium, piscantiumq; tragulis, & eadorum obturamentis: præterea in hiberno scæminarum calceatu. quamobrem non infacete Græci mulieres cortices arborum appellant. Sunt qui Suberem scæminam ilicem uocent, atq; ubi non nascitur ilex, pro ea subere utuntur, in carpentarijs præcipue fabricis, ut circa Elin, & Lacedæmonem. Nec in Italia tota nascitur, nec in Gallia omnino. Et eodem libro, cap. xl. inquit. Eius materies tardissime uetustatem sentit, sicut robur, larix, castanea, iuglans. hec Plinius. Est & alia arbor glandifera, quam, quod folia ferat suberis, corticem uero, & ligni materiem cerro non ab similem, Hetruria uulgò appellat Cerrosu-
 20 guaro, quasi Cerrisubere dicat. Id quod etiam fecisse uidetur antiquitas: quandoquidem Theophrasto loco superius citato ea Phellodrys dicitur. Suberis cortex tritus ex aqua calida potus sanguinem fluentem ex utralibet parte sistit. Eiusdem cinis ex uino calido sanguinem excreantibus magnopere laudatur. Galeno tam quercus, quam quarundam aliarum glandiferarum arborum medicinae commemorantur libro vi. simplicium medicamentorum, his uerbis. Quercus partes omnes adstringentis qualitatis participes sunt. Sed plus tamen habet, quæ in trunci cortice membrana subest, tum quæ sub glandis ipsius calyculo, ea uidelicet, quæ fructus carnem conuestit. Quamobrem ad profluuium muliebre, & sanguinis exuitions, tum dysenterias, & diurnos uentris fluxus commodam esse credunt. Maxime uero ea utuntur decocta. Valentijs tamen adstringunt, fagus, & ilex, seu quis eas species esse roboris uelit, seu toto genere diuersas. Quin & folia harum plantarum tenella illita non instrenue desiccare ualent, minus autem quæ sunt alterius roboris, nimirum quanto minus fortita sunt adstrictionis. Siquidem ego quandoque
 30 glutinasse me uulnus memini salce instictum, cum nullum adesset ad manum medicamen præter ipsius quercus folia: triui ea in leui petra, & uulnus, omnemq; uicinum locum contexi. Eandem uim folijs habet & fructus roboris, eoq; medici nonnulli ad incipientes, & crescentes utuntur phlegmonas. nam quæ iam uehementes sunt, adstringentia respuunt. Sed talia ad curandi potius rationem, quam præsentem tractatum attinent. Cæterum in præsentia nouisse, quod eatenus adstringentem, quatenus dictum est, facultatem quercus obtineat, sufficit: ac proinde desiccandi, atq; adstringendi: exaealfaciendi autem paulò infra media, in genere scilicet eorum, quæ (ut sic dicam) tepida sunt. Arbor, quæ dēvs Græcis, Quercus Latinis appellatur: Chullot, Hullet, aut Beluth, Arabibus: Quercia, Italis: Eychbaum, Germanis: Robre, Hispanis: Chesne, Gallis. Quæ uero Φαγός Græcè, Fagus Latinè dicitur: Arabicè, Chinos, aut Chiachas: Italicè, Faggio: Germanicè, Buochbaum: Hispanicè, Haia: Gallicè, Faus. Quæ deniq; Græca uoce τριπύος, Latina Ilex nominatur: Arabica, Barbes, siue Carmas: Italica, Elice:
 30 Hispanica, Anzina, & Anzinheira.

Phellodrys.

Glandiferarū arborū uires ex Galeno.

Nomina.

Κάστανεα. CASTANEA. CAP. CXXII.



SARDIANAE glandes, quas aliqui Castaneas, aut lopima, aut glandes Iouis appellant, adstringunt & ipsæ, similesque effectus præbent: præsertim tunica, quæ carnem, & corticè media intercurfat. Caro his, qui ephemerum biberunt, conueniens est.

CASTANEAES nuces sunt in tota Italia uulgò notissimæ: item & earum arbores haud quaquam incognitæ. Antiqui castanearum complura fecerunt genera, nominibus plerunque inditis à locis, unde importabantur. Sed duo tantum in Hetruria habentur genera, satiuum scilicet, & syluestre. Mitiores facillè purgantur, harumq; illæ principem locum tenent, quas uulgus Marroni appellat: quippe quod cæteris sint maiores, sapidiores, speciosioresq;. In montanis, ubi quotannis aliarum frugum annonæ deficit, incolæ castaneis per hyemem uictitant. Nanq; eas in cratibus fumo prius exiccatis ab utroque cortice repurgant, moluntq; in farinam, ac deinde cogunt in panem. Materies arboris ædificijs, atque alijs domesticis utensilibus admodum apta est: siquidem non modò ex ea fiunt trabes, tigna, asseres, & pedamenta; sed & eadorum costæ, & eorum cinctus: uerum ignarijs inepta. Montibus, & opacis gaudet magis, quam campestribus, & æprieis. Castaneæ uehementer sistunt tum alui, tum uentriculi fluxiones, idq; maxime sicca: quin & sanguinem excreantibus profunt. Tritæ cum sale, melleq; subactæq; rabidorum canum morsibus utiliter imponuntur: & cum hordeacea polenta, & acetato illite manmarum duritias discutunt. Venerem excitant, eo quod flatum gignant. Largius in cibis sumptæ capiti dolorem inferunt, inflant, aluum adstringunt, ac ægrè concoquantur. Attamen quæ cineribus obruta torrentur, uulnerato prius in la-
 m 3 tere

Castanearum consideratio.

Castanearum uires.

Castanearum uires ex Gal.

Nomina.

tere cortice, crudis, & elixis innocetiores redduntur, praesertim si cum pipere, & sale, uel saccharo edantur. De castaneis differens Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus, sic inquit. Castaneae omnium glandium sunt praestantissimae. Sunt qui hos fructus λοπιμους appellent: hi nanq; & soli inter fructus agrestes alimentum memorabile corpori praebent. haftenus Galenus. Illud porro in his uerbis animaduertendum, quod Castaneae, quanuis eas Galenus plurimum nutrire prodiderit; non tamen in cibis commendantur, si comedantur frequenter. Nanque, ut idem auctor est libro de tenui uictus ratione, sint illae in aqua coctae, sint tostae, sint etiam frictae, semper estantibus noxam inferunt, multoq; magis, si crudae edantur. Quod etiam libro de cibis boni, & mali succi moriae mandauit. Castaneae ita Latinis uocatae, Graecis κασανα, σαροδιαναι βαλανι, ἢ διος βαλανοι, ἢ λοπιμα dicuntur: Arabibus, Sadianalach, Castal, & Stebulot: Italis, Castagne: Germanis, Kesten: Hispanis, Marones: Gallis, Castaignes.

ΚΑΚΙΣ. GALLA.

CAP. CXXIII.



Gallarum consideratio.

Cornarij opinio reprobata.

GALLA fructus est quercus. Aliqua omphacitis appellatur, parua quidem, sed articulorum manus modo rugosa, solida, nullo foramine peruia. Altera plana, leuis, perforata. Eligi debet omphacitis, quae efficacior est. Vtriusque uis uehementer adstringere. tritae ex crescentia in carne, fluxiones gingiuarum & uuae, atque oris ulcerationem cohibent. Nucleus dentium caueris inditus, dolorem sedat. Crematae carbonibus, donec igne flagrent, & uino, aut aceto, aut acida muria extinctae, sanguinem supprimunt. Decoctum quibus insidere expedit, efficax est, & contra uulvas procidentes, fluxionesque. Capillos denigrant, aceto, aut aqua maceratae: dysentericis, coeliacisque cum uino, aut aqua tritae conuenienter illinuntur, aut bibuntur: obsonijs addi debet, aut integrae in aqua praecoqui, in qua nonnihil excoquendum est, quod his affectibus conferat. In summa his utendum ad adstringenda, aut sistenda, aut siccanda, quae opus sunt.

GALLAE uulgo notissimae sunt, easq; ferunt arbores omnes (ut Plinius auctor est) quae & glandem. Nascuntur sole de geminis exeunte: & si aestu nimio excipiuntur, arescunt protinus, nec amplius adolefcunt. Quercus in Italia praeter glandes duo Gallarum genera ferunt. Minores quae rugosa cute spectantur, fullonibus, & coriarijs expetita, quae Graecis omphacitides dicuntur. Maiores uero, quae leuiore habentur. Caeterum neque in hoc Cornario adstipulandum esse iudico, quod suis in Galenum commentarijs tam primo, quam sexto libro de compositione medicamentorum secundum locos, acriter contendat, nil aliud omphacitidem gallam esse Dioscoridi, & Galeno; quam calycem illum, quo glandes in arboribus continentur.

Hoc tantum argumento ductus, quod Paulus capite de dysenteria in quodam clysteri scribat: ομφακιδος κεκλωμενης. εστι δε το κοιλον, εξ ου εκτεφουκεν η τῆς δρυος βαλανος, ο περι οἱ ευροεις χεσονται. id est: omphacidis uisae. est autem cauum illud, ex quo glans quercina enascitur, quo coriarij utuntur. Vbi ipse non omphacidis, sed omphacitidos putat legendum, uulgatam lectionem immutans. Ex qua postea non aliud omphacitidem gallam (ut diximus) esse existimat, quam cauum illud, in quo glandes inseruntur, quod recentiores cupulam uocant. Statuitq; nunquam a sua opinione recedere, nisi quis plane corruptum apud Paulum locum docuerit, aut ομφακιδος ab eo substantiue pro eo, quod calycem Plinius dixit, & uulgo cupula glandis uocatur, dictum ostendat. sed equidem non possim non admirari, quod is, quem alioquin suorum scriptorum testimonio, acutissimi ingenij, sanissimiq; iudicij uirum semper existinaui, in re tam, meo iudicio, clara, tam facile aberrauerit. Nam si Paulus non putasset, quod ομφακιδος Graecum uocabulum ob suu raritatem permultis fuisset obscurum, quem admodum & Cornario fuisse uidetur, ei certe non fuisset opus per circumlocutionem illud declarare, ut fecit, cum inquit. Est autem ομφακιδος cauum illud, ex quo glans querna enascitur, quo coriarij utuntur. Quod praeterea Paulus pro omphacitide galla glandium calycem non acceperit, illud manifesto argumento esse potest, quod ipse libro septimo de gallis, non autem de glandibus disserat, duosq; gallarum genera constituat, quarum alteram omphacitidem appellat; alteram uero magnam, flauo colore, uiribusq; inferiorem esse scribit. Quod etiam antea Dioscorides, & Galenus fecere. qui omphacitidem gallam glandium calycem esse nusquam, quod sciam, tradidere: quod non ignorauerint (ut Cornarius ignorasse uidetur) & genere, & specie a gallis differre glandes. Adde, quod Galenus, Dioscorides,

rides, & Paulus nusquam, quod equidem legerim, nisi sunt hoc uocabulo *ὀμφακίτις* pro galla, nisi adiectiue, & cum suo subst. antio *νακίς*. Quare concludendo putauerim, in Paulo legendum esse, *ὀμφακίδος*, non *ὀμφακίτιδος*, ut contendit Cornarius: quin etiam crediderim Græcis glandium calycem *ὀμφακίδα* proprie appellari. Tamen si Cornarius, & Andernacus, qui in Paulo uocem illam acerbam uiam interpretatur, Græcæ linguæ peritissimi, hæc nō cognouisse, neq; animaduertisse deprehendantur. Illud peculiare sibi maiores gallæ uendicauerunt, ut quotannis aut annonæ fertilitatem, aut sterilitatem, aut pestilentem auram prænuncient: nam si rumpantur integræ, & quæ perforatæ non sunt, aut muscam, aut araneum, aut uermiculum exponent. Si musca uolat, futuri belli; si reptit uermiculus, annonæ penuriæ; si currit araneus, pestilentium morborum præsagium est. Neque cuiquam mirum uideatur, quod ex omnibus gallis ista exoriantur animalcula: etenim ego huius rei sæpius periculum feci, nullamq; unquam sic consecutus, prius non perforatam, quæ ex tribus animalibus unum intra se non contineret: nam foramine conspecto facile indicium summi potest, iam animal exiisse. Dicamus igitur licet, quercum & fructum, & animal gignere. Cuius rei haud ignari ueteres illi patres, non sine causa quercum dixerunt Ioui summo esse dicatam. Gallarum uires memorie prodidit Galenus lib. VII. simpl. medicamentorum, sic inquitens. Gallæ, quæ omphacitidis nuncupatur, admodum acerbum est medicamen, pleraq; sui parte essentie terræ, & frigide: perquam desiccatur, & repercutit fluxiones: ad hæc constringit, contrahitq; partes laxas, ac languidas: omnibusq; fluxionum affectibus strenue resistit. Esto uero tertij in desiccando, secundi autem in refrigerando ordinis. Altera autem galla, flaua illa, & magna, laxa q; & ipsa desiccatur quidem, sed tanto minus, quanto minus acerbæ qualitatis est particeps. Cocta itaq; ipsa per se, ac deinde trita, cataplasma est non instrenuum sedis phlegmonarum, ac prociuentiarum. Porro coquenda est, si modica opus sit adstrictione, in aqua: sin uebementiore, in uino. Ac si augere insuper adstrictionem sit opus, uino utare austeriore. Hanc rustici nostrates *ὀνοκκίδα*, quasi uini gallam dicunt, nominant. Deniq; gallæ combustæ sanguinis reprimendi facultatem acquirunt, ac nimirum etiam calorem, & acrimoniam ex uisione assumunt: suntq; ipsæ, quæ ignem expertæ non fuerint, tum subtiliorum partium, tum maiore desiccandi potestate. Ceterum cum ad sanguinis suppressionem præparare eas uoles, carbonibus impositas, dum inde quæq; candeant, aceto, aut uino extinguere oportebit. Quercus fructus *νακίς* Græcè dicitur: Gallæ, Latine, pariter & Italicè: Hafs, aut Hafus, Arabicè: Galloepffel, & Eychoeppfel, Germanicè: Galba, & Bugalba, Hispanicè: Noix de galle, Gallicè.

† Hoc loco Græci codices habent *νοκκίδα*: Qua uoce constat, iudicio meo, Dioscoridem gallæ omphacitidis figuram designasse, cum prius magnitudinem expressisset. Attamen ex interpretibus Marcellus manifestè eam etiam ad magnitudinem retulit. Ruellius autem, cum eam tuberosam interpretetur, ipse quoq; magnitudinem inuasisse uidetur. Quocirca nobis satius uisum est, omphacitum rugosæ parti articularum in digitis, cum extenduntur, similem reddere: quod non solum id inuariat Græcum uocabulum; sed multo etiam magis omphacitides ipsæ apertissime demonstrant.

Gallarū præ-
sagium.

Gallarū uires
ex Galeno.

Nomina.

R H V S.

Ῥόϊς. RHVS.

CAP. CXXIIII.



RHVS, quæ obsonijs aspergitur, ab aliquibus erythros appellata, semen est coriarij fruticis, sic uocati, quoniam coriorum infectores eo utuntur ad inspissandas pelles. Arbuscula est in petris nascens binum ferè cubitorum altitudine: folijs oblongis, subrubentibus, in ambitu ferratis † ilicis modo: acino uuarum gracilium, denso, magnitudine terebinthi, quadantenus lato: cuius corticosa tunica perquam utilis est. Folia uim habent adstringendi, & acaciæ effectus præbent. Decoctum capillos denigrat: dysentericis infunditur, & in potus eorum, infususq; adijcitur: instillatur auribus purulentis, gangrænas, & pterygia cohibent folia ex aceto, aut melle illita. Liquamentum fit ex aridis folijs, ad crassitudinem mellis in aqua decoctis, ad eadem, ut lycium, conueniens. Semen eisdem effectus exhibet: cœliacorum, dysentericorumq; obsonijs inspergitur: fracta, desquamata, liuidaque illitum ex aqua, ab inflammatione vindicat: linguæ asperitatis cum melle abstergit: candida seminarum profluvia sistit: hæmorrhoidas sanat, cum querno carbone intrito admotum. Aqua, in qua semen maduit, decocta cogitur, coitq; efficacior quodam modo ipso semine. Gummi defert, quod dentium cauis imprimitur, ad dolores finiendos.

RHVS Græcorum, cui (ut scribit Plinius libro XXIIII. cap. XI.) Latinis non est inditum nomen, Sumach officinis uulgo uocatur, uocabulo nimirum à Mauritanis accepto, ut in alijs quam

Rhois confi-
deratio.

quam

quam plurimis ab illis fieri solet. Hac in condimentis pro sale utebantur antiqui: idcirco Dioscoridi in ipsius capitulis fronte, Rhus dicitur, quæ obsonijs aspergitur. Cuius usus, ut audio, & apud Syros, & apud Aegyptios in hunc usque diem perdurat, ubi rhus provenit præstantior. Nascitur & in Italia Apennino monte pluribus in locis, ijs omnibus planè notis, quæ illi à Dioscoride tribuuntur. Huius aridis folijs hircorum, caprarumque pelles illæ spissantur, crispantur, concinnanturque, quas vulgò Somachi nuncupant. Cæterum illud non videtur prætereundum, quòd est Galenus tum alibi, tum præcipuè lib. VI. de compositione medicamentorum secundum locos, plura Rhois nomina, & genera explicasse videatur, ut qui id modò Syriacum appellet, modò Ponticum, modò obsoniorum, modò coriarium, modò rubrum; non tamen propterea censendum est, Rhois arbores inter se genere, uel specie differre. Quandoquidem nobis constat, unum tantum genus Dioscoridi hoc loco descriptum esse, quemadmodum & Galeno libro VIII. simpl. med. Atqui hac in re scire conuenit, quòd Rhus obsoniorum nil aliud est, quam semen: coriariorum uerò nil aliud, quam folia, & fruticis ramusculi. Nostræ enim sententiæ subscribit Dioscorides, qui scriptum reliquit. Rhus semen est exiguæ plantæ, qua coriarij ad inspissandas pelles utuntur. Quod etiam Galenus confirmat loco citato. Rhus uerò rubens nil aliud esse comperitur, quam eius semen immaturum, cui maior adstringendi uis inest, quam maturo, cuius acini quadantenus nigricant. Syriaca præterea, atque Pontica rhus, etsi in alijs nascatur regionibus, à quibus nomèn inuenit; nihil tamen genere distat ab Italica, atque Iberica, nisi illa magis, hæc uerò minus uribus præstet. Ideoque Monachos illos, qui in Mesuem commentarios edidere, longè hallucinari crediderim: nempe qui sibi persuaserint, Rhoem Ponticam alterius esse generis ab ea, cuius extitit usus apud antiquos in obsonijs. Qua in re & Plinius decipit esse uidetur, cum de coriario particulariter scripserit, ipsumque diuiserit ab eo, quo in ciborum condimentis anti-
 quitus utebantur. Fuchsius uerò medicus singularis eruditionis, non contentus duobus Rhois generibus Plinii imitatione, tertium adinuenit. Etenim is in libro de componendis medicamentis, quem secundo loco edidit, Rhoem Syriacum non solum differre scribit ab eo, qui tum culinis, tum corarijs expetitur; sed peculiarem quidem Syriacæ arbusculæ succum esse censet, quòd Galenus lib. VI. de compositione medicamentorum secundum locos succum rhois Syriaci in quoddam medicamentum addat. Sed errat Fuchsius in hoc, mea quidem sententia. quandoquidem non uideo, quomodo ex mentione succi rhois Syriaci à Galeno facta, colligi possit, rhoem Syriacum esse genus separatim. nam ego potius adducar ut credam, ita eum cognominatum fuisse à Galeno, quòd apud Syros cæli & soli illius temperie proveniat cæteris præstantior. Et quauis Theophrasto lib. III. cap. XVIII. Rhus duplex reddatur, mas scilicet, & femina, quòd alia sterilis, alia fructifera sit; non tamen ob hoc posteritatis memoriæ prodidit, quòd altera cibus, altera corijs nasceret, sed ambas ad coria inscienda destinauit: quòd coriarij folia, & ramusculos tantum accipiunt, non autem semen. Rhoem, quæ in Cornelio Celso ros Syriacus deprauatè legitur, Mannâ, quæ ex Syria nobis aduehitur, esse putauit Petrus Crinitus Florentinus capite septimo libri ultimi de honesta disciplina, falsus uocum simi-

Monachorū
error.

Fuchsij opin.
damnata.

Petri Criniti
lapis.

VIBURNUM.



Viburnum.

Rhois uires
ex Galeno.

litudine, quòd ros, quæ dictio rhus Græcè legenda est in Celso, ac ris rorem significare crediderit: etenim manna ros quidam est. Veruntamen eius sententiam acriter explosit Manardus Ferrariensis libro epistolarum suarum primo. Theodorus in Theophrasto, Rhois uocabulum fluidam interpretatur, quòd nomen Græci etymum secutus sibi Latine finxit: quippe (ut Plinius est auctor) rhus Latinum nomen non habet. Id quòd mihi errandi præbuit ansam, cum iandudum pro certo existimauerim, fluidam Theophrasto eam arbusculam esse, quæ uulgo Lantana uocatur, è cuius radicibus uiscum quidam conficiunt. Verim cum accuratius Græcè Theophrasti codicem perlegissem, Theodoriq; nouum uocabulum non sine bile examinarem, erroris mei causam facile deprehendi. Quo factum est, ut iam fateri libeat, fluidam Theodori nil aliud Theophrasto designare, quam Rhoem, & ob id Lantanam sic à uulgaribus uocatam, ut prius credideram, non esse. Quæ tamè (ut mea fert opinio) potius VIBURNUM imitatur, quòd maxime lenta, obsequiosa, flexuq; inuicta sit. Tale enim esse uiburnum Virgilius in Bucolicis cecinit hoc carmine.

Quantum lenta solent inter uiburna cupressi.
 Exit hæc ramulis digitali crassitudine, bicubitalibus, folijs ulmeis, incanis, & pilosioribus, quæ paribus internodijs aduersis pediculis coniugatim adherent, per ambitum tenuissime serrata. Florem edunt album, umbellæ modo coherentem: à quo acini prodeunt lentum modo pressi, qui primo statim exortu uirides, deinde rubri, demum uerò nigri spectantur: radice per summa cespitum usgante. Hanc Ruellius rhoem existimat, cum tamen alia Dioscoridi, et Galeno rhus sit planta, Hetruscis notissima, quòd plurima oritur eo Apennini tractu, qui Hetruriam respicit. De Rhoè hæc, quæ sequuntur, nobis scripta reliquit Galenus lib. VIII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Rhus fruticosa planta adstringit, dessecat. Nam & coriarij ad desiccandum, & adstringendum

10

20

30

40

50

gendum pelles planta utuntur: ac proinde *βυρσοδάκτυλον*, hoc est, excoriaria appellata est. Porro medicis in usu sunt in primis fructus eius, & succus multum auster & qualitatis. Consentaneus est usus particularis ipsi gustus sensui. Fuerit itaq; & hoc medicamen ex tertio ordine exiccantium, ex secundo uero refrigerantium. Pōus ut Græcis, ita etiam Latinis Rhus nominatur: Sumach, Aduiron, Rosbar salsificos, seu Rosaidicos, Arabibus: Rhu, & Somacho, Italis: Sumach, & Sumagre, Hispanis.


Nomina.

† In uulgatis Græcis codicibus hic legitur *ρωσδακτος*, hoc est, ilicis modo. Hæc dictio qua ratione ab interpretibus Ruellio, & Marcello omissa fuerit, certe nescio. Sed mihi quidem uisa est non omittenda, quod non modo eam quoque Oribasius legat, sed quod etiam Rhus folijs pulchrè Ilicem æmuletur.

40 Φοίνιξ.

PALMA.

CAP. CXXV.



PALMA in Aegypto gignitur. Ea medio maturitatis vigore, autumno decerpi solet, Arabici myrobalani similis, pomatis cognomine, colore viridi, & odore mali cotonei: quod si ad maturitatem peruenire sinatur, phœnicobalanus fiet. Palma acerba est, & adstringens: contra alui, sœminarumque profluvia, in uino austero bibitur: hæmorrhoidas sistit: vulnera glutinat illitu. Phœnicobalani recentes plus siccis adstringunt: capitis dolorem afferunt: copiosiores in cibo inebriant. Sicciores sanguinem excreantibus, stomachicis, & dysentericis utiles in cibo: illinuntur cum cotoneo, & cerato œnanthino uesicæ uitij. Caryotæ, præsertim esu, faucium asperitati medentur. Thebaicarum decoctum potu æstuationem sedat: vires recreat cum hydromelite ueteri sumptum: cibo idem faciunt. Fit ex eis uinum ad eadem conueniens. Decoctum per se potu, & gargarizatione magnopere adstringit, & cohibet. Nuclei palmarum, cæterorum more, cremati in crudo fictili, & uino restincti, cinere loto, spodij uicem efficiunt, miscenturque in calliblephara. quod si non iustam uisionem acceperint, denuo cremandi. Vim adstringendi habent, & spiracula cutis obductu suo claudunt: contra oculorum uiam, & pustulas, palpebrarum defluuia, cum nardo effectum præbent: corporis excrescentias cum uino reprimunt: ulcera ad cicatricem perducunt. Sed inter primas utiles ex palmis humilibus Aegyptiæ.

40

Φοίνιξ ἐλάτη.

PALMA ELATE.

CAP. CXXVI.

PALMA, quam aliqui elaten, aut spathan appellant, fructus palmarum adhuc florentium inuolucrum est, calyxque: quo in spissamenta unguentarij utuntur. Optima habetur odorata, adstringens, ponderosa, præclusa, intus pinguis. Vis ei adstrictoria: sistit ulcera, quæ depascunt: laxatos artus committit: trita miscetur cataplasmatibus, & malagmatis: prodest præcordijs, imbecilli stomacho, & iocineri affecto, mista conferentibus cataplasmatibus. Eius decoctum subinde detersum, capillos denigrat: datur bibendum congruè renum, uesicæ, & uiscerum uitij: uulua, ac uentris fluxiones sistit: scabiem cum resina, & cera sanat, si uiginti diebus recens apponatur. Inuolutusque in ea elate fructus, quem suo amplexu fouet, elate etiam uocari solet, & ab aliquibus borassus. Adstringit, & spathæ effectus præstat, non sic unguentis expetitus. Alba medulla caudicis recens in cibo, aut decocta, eadem facit, quæ borassus.

50

TAMETSI in compluribus Italiae ciuitatibus, nempe in hortis, uiridarijs, & monachorum claustris dictis, reperiantur Palmæ insigni magnitudine, ac speciosa proceritate; cum tamen climatis nostri temperies earum naturis inclementior sit, fructum nobis non proferunt, sed steriles consenscunt. In Hispania tamen maritimis quibusdam locis fructu edunt, uerum immitem, et qui nunquam maturescat. Quæ in Creta proueniunt, fructum sanè percoquant, sed magis admodum Cypriæ. Principem locum tenent, & palmulas omnium præstantissimas ferunt, quæ in Iudæa proueniunt, & inter has maximè (ut inquit Galenus) quæ in Hiericunte nascuntur. Venetias palmarum fructus, qui nonnullis palmulæ, aliquibus cariotæ, quibusdam uero dactyli dicuntur, ex Syria, & Alexandria Aegypti aduehuntur, ac etiam ex Neapoli illuc prius ex Numidia importati. Ex recentibus ab arbore statim decerptis, quibus Italia caret, uinum fieri auctor est Plin. lib. XIII. cap. XVI. quo Parthi, & Indi utuntur, ac cæteri, qui orientalem plagam incolunt. Et ut idem refert lib. XIII. cap. IIII. Palmæ fœminæ fructum non proferunt, nisi prope

Palmæ consideratio.

MARCI

marem conferantur: quo exciso, aut exciccato, uideæ postea sterilefcunt. Nec tamen ob id putandum, quod mares fructum non ferant. Quandoquidem scribit Theophrastus lib. II. cap. VIIII. de historia plantarum, quod ex fructiferis (plures enim sunt, quæ fructum non ferunt) tam mares, quam feminae fructus edunt. Quorum plures sunt differentie, quoniam alij sine osse, alij duro osse, alij molli proueniunt. Colore quoq; inter se discrepant: alij enim candidi, alij nigri, alij flau: ad summum non pauciores, quam ficorum colores, neq; absolutè pauciora genera statuunt. Ad hæc differre magnitudine, figuraq; uolunt: quosdam enim rotundos esse in modum malorum: magnitudineq; tantos, ut quatuor tantum in spicam teneantur, alios minutos cicerum magnitudine. Saporibus item plurimum differre inquit, sed optimum tam inter nigros, quam inter candidos, genus, quod regium uocant, cum magnitudine, tum uirtute, sed rarum id esse. Quædam non fructu modo, uerim & arbore ipsa, longitudine, formaq; reliqua distant: non enim magnæ, excelsæq;, sed breues fecundiores, quam cæteræ, trimæ protinus fructificantes. Tales etiam in Cypro, in Syria quoq;, Aegyptoq; palmæ proueniunt, quæ quadrimæ, aut ut plurimum quinquennes fructificant, hominis altitudine assurgentes. Genus aliud est in Cypro, quod & folium amplius habet, & fructum multò ampliorem, discrimineq; peculiari discretum, magnitudine mali punici, figura oblongum: non tamen sapidum, tanquam cæteræ; sed rardicibus similem, ut non deuoretur, sed succo tantum expresso expuatur. hæc de palmis historia ex Theophrasto.

Muse plantæ historia, & uiers.

Sunt præterea, qui palmarum generi adscribant plantam in Aegypto, Cyproq; nascentem, quam Veneti inde redeuntes MVSAM appellant, & Musas similiter fructus. Adolefcit hæc (ut referunt) ad quimum, semimic cubitorum proceritatem è stolonibus alterius sata: folio est arundineo, quod tamen perquam longo, latoq; ambitu se diffundit, adeo ut in longum trium cubitorum mensuram quandoq; excedat; in latum uerò sesquicubitum spatietur, lata, crassaq; per medium excurrente costa. Torrescunt folia æstate sui natura, uel etiam fortasse solis ardore, adeo ut mense septembris eorum costæ prorsus nudæ cernantur, decidente foliorum materia, quod admodum sit tenuis. Caulis squaroso foliorum cortice uestitur, palmæ, uel arundinis modo. Ramos habet nullos, sed caudice tantum consistit. E uertice germen emergit materie molli, longitudine ferè cubitali, à quo alia ab origine, ad summum prodeit germina ternum, quaternumue digitorum inuicem distantia: è quibus circumminent fructus, parui cucumeris magnitudine, qui per maturitatem quadantenus flauescunt, cortice fici, qui eodem modo digitis detrahitur. Substantia pulpæ consistit melopeponum modo, nullo intus osse, neq; semine. Primum gustantibus fructus insipiditatem quandam præ se ferre uidentur, adeo ut primo statim gustu non placeant, uerim qui esui assuescunt, ijs indies magis delectantur: quippe qui quadam occulta saporis suauitate allecti, quæ nisi tractu temporis cum palato init gratiam, nunquam saturi uideantur. Ita Musam mihi describere qui ex Aegypto, & Cypro ad nos reuertuntur. Sed quænam antiquis Musa fuerit planta, quid referam non habeo. Inclinat tamen animus eam esse, quæ Theophrasto in palmarum genere recensetur: quæ idem in Cypro nasci tradidit, folio cæteris ampliore, & fructu longè maiore, magnitudine mali punici, & figura oblongo. Musæ ex Arabibus Serapionem inuenio mentionem fecisse inter simplicia, ubi de eius uiribus in hunc sensum differuit. Musa exalfacit in medio primi abscessus, humectat autem in eius fine. paucum præbet alimentum. Priuatim prodest thoracis, pulmonis, ac uesciæ ardoribus. aluum emollit. Verum liberalior eius usus stomacho aduersatur, ac iecur obstruit. Quamobrem si quis, cum frigidi sit temperamenti, ea copiosius uescatur, subinde aquam mulsam, oxymel, aut gingiber conditum sumat necesse est. Foetum in utero alit, renibus opitulatur, urinam ciet, & uenem stimulat. hæc Serapio. Palmas plurimas gignunt maritima nostra an uallis Almæ campestribus, sed pumillas, & quæ cubitalem mensuram nunquam excedant. Paulò his maiores & illæ habentur, quæ ex Sicilia Neapolim inuehiuntur, quas uulgò, uocabulo ab Arabicis accepto, Cefaglioni appellant, de quibus supra in Bdellij commentario abunde diximus. Palmæ genus India profert (ut Iosephi Indi nauigationes perhibent) è cuius truncis, excisis consultò ramis mense augusto, distillat liquor, quem incolæ uasis excipiunt, ebibuntq; suauiter uini uice: ueruntamè nisi excoquatur, post triduum in acetum acerrimum desciscit. Eaq; propter illum decoquunt, ut nos defrutum, sitq; hoc modo, uelut mel suauissimum, quod postmodum ex aqua resoluunt, & diebus uiginti artificio quodam percolant, donec optime sit defecatum, atque pellucidum: quo artificio iucundissimus redditur potus, diuq; perennat. Porrò Palmulæ, quas Dioscorides Thebaicas uocat, quantum ex pluribus auctoribus comperi, adeo tractu temporis insolata siccescunt, ut molitæ cogantur in panem. Est & aliud ab his palmularum genus, quod officinæ Mauritanos secuta TAMARINDOS appellant, Græci uerò à saporis acrimonia oxyphœnica: siquidem Mauritanii per Tamarindos dactylos significant: quare Tamarindorum uocabulo idem intelligunt, quod nostri palmulas Indicas. Indici igitur dactyli producuntur (ut inquit Serapio) à quibusdam plantis, quæ folijs longis, acuminatisq;, salignis similibus uident: licet à nonnullis existimentur Tamarindi fructus agrestium palmarum. Sed equidem malim adstipulari Serapioni, quam illis; præferim cum non constet è ueteribus, qui de Tamarindis quicquam memoriæ prodiderit. Ex ijs, qui ad nos importantur, nulli, uel pauci admodum integri reperiuntur. Nam plerumq; contriti, & in massam quandam compacti deferuntur, quam si disseceris, flauos nucleos inuenies, uarias formas referentes. Præstant, qui in obscuro rubescunt, molles, recentesq;, & qui neruosis quibusdam uillis facti inueniuntur. Adulterantur ab impostoribus pruinis, sed deprehenditur fraus tum colore, tum etiam gustu: quippe nec admodum sunt acidi, nec tam saturato colore nigricant. Refrigerant, ac desiccant (ut scribit Mesues) ordine secundo, tametsi Auerroi tertio adscribantur. Aluum ciet, quapropter poti bilem facile soluunt: item & præassatos humores leniunt, & insaniam, & furorem mulcent. Dantur obstructis, aqua intercute affectis, arquat, & lienosis utiliter. Faciunt & ad scabiem, lepras, uutiligines, & lichenas: quin & contra omnes cutaneas exulcerationes, quæ à sanguine præassato emersere. Officiunt tamen frigidum uentriculum habentibus: sed noxa tollitur, admistis maci, mastiche, cassia, aut Indica nardo. Aegrè munus obeunt suum, sed roborantur, si admisto caprino sero, aut sumariæ, aut lupi salictarij succo bibantur. In summa palmarum uaria, ac diuersa sunt genera. Quare curiosum remittemus ad Theophrastum loco superius citato,

Tamarindorum confid.

Tamarindorum uiers.

MALVM PVNICVM.



Punici mali
confid.

Cytinus, &
balaustium.

Malicorium.

Mali punici
uires ex Gal.

Nomina.

uorauerit, nullam eo anno lippitudinem passurum. Eli-
quatur hypocistidis exemplo. Malicorium asperum est
mali punici putamen, quod aliqui fidion appellant. Id
spissandi vim habet, & quos cytini, prebet usus. Deco-
ctum radicis, potu latus ventris tinea pellit, & easdem
euocat. Balaustium syluestris punice flos est, cytino
similis. Cuius complura genera reperiuntur, candidum,
fuluum, colore rosaceo. Succus ex eo exprimitur, hyp-
ocistidis modo: cui adstrictoria uis inest, eadem facies,
quæ hypocistis, & cytinus.

PVNICA mala in pluribus Italiae locis uulgò, sicut etiam
Latinè Granata dicuntur, à multis intus conclusis granis: quan-
quam non desunt, qui ita appellari uelint à Granata Hispanie re-
gno, quòd imbi numerosa proueniant. Sed quomodocumq; se res
habeat, nusquam non cognita sunt in Italia: siquidem imbi & in
hortis, & in iunctis, & in uridarijs, eorum frequentissima uisun-
tur arbores. Triplici (ut etiam scribit Dioscorides) distinguuntur
specie: quippe quòd alia dulcia sint, alia acida, alia uinosa. Vino-
lenta ea sunt, quæ uulgò Vaitani uocat Hetruria, quæq; aliubi Schia-
ui, & alibi di mezo sapore Italico sermone appellantur. At
Plinio lib. XIII. cap. XVII. quinque enumerantur species, dulcia
scilicet, acrida, mista, acida, & uinosa. Verum hæc omnia Diosco-
rides in tria redegit fastigia: utpote qui uni dulcia; alteri acrida,
& acida; tertio uerò generi mista, & uinosa adscripserit. Hæc
omnia Italia habet, & celebrat: sed & fructus, & acinorum ma-
gnitudine, tum liquoris copia excellunt dulcia, et uinolenta. Aci-
da mitescere, & dulcia fieri tradunt, si sullo, aut humano sterco-
re foueantur arboris radices, & uetere urina sepius irrigentur.
Cæterum ne fructus in arbore debiscat, remedio sunt lapides tres,
cum seritur arbor, ad radices collocati: quin etsi iam consista sit,

& fructum ferat, eadem ratione emendatur. Sed & hoc item præstabitur, si scilla secundum radices conseratur. Si
flore[m] arbor non continet, urinam ueterem eum pari aquæ mensura temperare, & ter per annum radicibus infunde-
re, efficacissimum est remedium. Eundem præstabis effectum, si arboris florentis truncum plumbeo concluderis, circu-
lo, uel anguis corio inuolueris. Seruantur punica mala incorrupta anno toto, si cum frere matura fuerint, petioli, qui-
bus pendent, intorqueantur in arbore: uel si postquam decerpta fuerint, argilla ex aqua resoluta undiq; oblinantur,
at deinde pluribus diebus insolentur. Sunt & qui, ut diu integra perennent, ea in fruentem aquam immergant, sta-
timq; eximant, & sole sicca exponant, octo dierum spatio. Vini ex omnibus conficiendi ratio hæc est. Acini ma-
turi diligenter à corijs, & membranis purgati prælo committuntur, ac exprimuntur: mox uinum saccis ad id accom-
modatis percolatur, & in uasculis reponitur, quousque fæx residat: defecaturq; deinde, & clarum reponitur, affu-
so desuper oleo, ne corrumpatur, uel acescat. Sunt & qui sine oleo illud in cadis afferunt, sed id per æstatem facillè
acescit. De flosculi nomine inter se discrepant auctorum sententiæ. Dioscorides florem satiuæ punice & cytinum ap-
pellat, balaustium uerò syluestris. Plinio lib. XIII. cap. VI. primus tam satiuæ, quam syluestris partus flores ere inci-
pientis cytinus uocatur; balaustium uerò flos utriusq; in ipso erumpens cytino. Laudatissimi satiuarum flores colore
per quam rubro ex Creta, & Cypro hoc æno Venetias importantur, aspectu quidem specioso, & uiribus cæteris præ-
stantiores. Sed & mangonio fiunt in Italia peregrinis non dissimiles, non tamen usque adeo præstantes. Immatu-
rus punici cortex ideo Malicorium antiquis dicebatur, quòd eo, ut Rhu ad perficienda coria uterentur. Dulcia puni-
ca, quæ apyrena alio nomine uocantur, uentriculo inutilia haberi, dentes gingiuasq; lædere, auctor est Plinius; et si
rectius forte id Dioscorides acidis attribuat. Puluis mali punici in olla noua operculo indito in furno tosti, potus fluen-
tem aluum efficaciter sistit. Syluestris uerò acinorum osiculi utiliter bibuntur triti ad aquam, quæ cutem subierit,
siccandam. Cortice punici ex uino decocto, & imposto perniones sanantur. Punica, & myrtus, (si rei agrariæ au-
toribus credimus) mutua consuetudine mirum in modum oblectantur, ita ut etiam reddantur fertiliores, si altera in
alteram inseratur. Malorum punicorum uires prodidit Galenus lib. VIII. simp. med. sic inquit. Malum grana-
tum omne adstringentem qualitatem obtinet, non tamen in omnibus ea exuperat. Sunt enim inter ea quædam acida,
quædam plus dulcia, quam austera: & sanè quæ ab unoquoq; eorum procedit utilitas, secundum uincem eueniat
qualitatem necesse est. Dictum autem in quarto horum commentariorum est super dulci sapore, austero, & acido.
Itaq; ex illis de malorum punicorum differentia liceat colligere. Porrò acini magis, quam succus tum adstringunt,
tum exiccant, his etiam magis putamina: uocantur autem fidia. Ad similem illis uim habent cytini. Malum, quod
Græcis ποτά, Latinis Malum punicum appellatur: Arabibus, Kumam, Ruman, seu Roman: Italis, Melagrano, &
Pomo granato: Germanis, Granatoepffel: Hispanis, Granadas, & Romanas: Gallis, Pomme de granade, et My-
grenes.

Mugosim.



MYRTVS fatiua nigra utilior est medicinae, quam candida, & in hoc genere multo magis montana: semen tamen imbecillius parit. Vis & myrti, & feminis adstringit. Semen uiride, aut aridum in cibo datur sanguinem excreantibus, & uesciae erosionibus. Succus uirentibus baccis expressus, eosdem effectus exhibet: stomacho utilis, urinam cit: prodest contra phalangij morsum, & scorpionis ictus in mero. Seminis decoctum capillum tingit. Ius decocti in uino ulcera in extremis membris nata sanat: oculorum inflammationes illitum cum poline polentae lenit: contra agilopas illinitur: crapulam arceat praesumptum uinum, quod feruesfacto aliquantum eius semine exprimatur: aliam enim acorem contraheret. Praestat idem feminis effectus: utile procidetiae uulnarum in defectionibus, sedis uitij, & foeminae fluxione uuluae laborantibus: purgat furfures, ulcera capitis manantia, atque eruptiones papularum: fluentes capillos continet. Additur quoque in medicamenta, quas liparas uocant, uti oleum, quod ex folijs eius factum est. Decoctum foliorum ad defectiones balnearum conuenit, & contra laxatos artus, & male solidescentes: eo fracta ferruminationi repugnantia utilissimè fouentur: uiriliginem emendat, purulentis auribus infunditur, & capillos denigrat. Succus eorum eadem efficit. Trita folia, & ex aqua illita humidis ulceribus, & partibus omnibus fluxione laborantibus, coeliacisque profunt: & admixto omphacino oleo, aut exiguo rosaceo cum uino, ad ulcera serpentia, ignem sacrum, testium inflammationes, epinyctidas, & condylomata. Arentium foliorum farina utiliter inspargitur paronychij, ptery-

gij, & contra alarum, feminumque perfusiones: cardiacorum sudores cohibet. Folia cruda, seu cremata cum cerato, ambustis, paronychij, pterygijisque medentur. Exprimatur folijs succus, adfuso uetere uino, aut aqua caelesti, cuius recentis usus est: nam exiccatus planè cariem sentit, & uires amittit. Myrtidanum dicitur, adnatum inaequabile, uerrucosum, intumescensque, & concolor: quod perinde quasi manus, myrti caudicem amplectitur. Magis quam myrtus adstringit. Tufum addito austero uino reponitur, coactumque in pastillos siccatur in umbra: multo efficacius & folio, & semine, cerato, pelsis, infectionibus, cataplasmatibus admixtum: ubi adstringendum ali-

quid est.

MYRTVS arbor frequens in Italia nascitur. Cuius duo produntur genera: satiuum, quod in candidum, & nigrum diuiditur: & syluestre, quo uniuersa ferè Tyrrheni litora uirescunt, ac redolent. Siquidem in agro nostro Senensi in maritimis, ac in uniuerso Liguria tractu, Romano, atque Neapolitano ubique Myrti sponte proueniunt. Satiuae in arbores facile adulescunt, ramis flexilibus, ac lentis: rubro cortice: folijs longiusculis, perpetuoque uirentibus, punicea emulis; quanquam in nigris nigriora, in candidis candidiora spectantur. Flores omnibus insident candidi, odorati: ideoque aqua ex ijs confecta odoris suauitate unguentarijs plurimum expetitur. At cum nostras aequè sit odorata, atque olfactu iucunda; eam tamen odoratissimam existimauerim, quae ex Aegyptia myrto elicitor: siquidem & odoratissimam, & iucundissimam in Aegypto nasci Myrtum memoriae prodidit Theophrastus. Satiuarum utrunque genus baccas fert oblongas, agrestes oleas quadantenus referentes, multo sanè syluestribus maiores: etsi contrarium asseueret Marcellus. Quippe experientia compertum est, quod ubicunque satiuam Myrtum colitur, grandiores, uegetioresque baccas edit, quam syluestris: cultura enim Myrti mansuescunt, & longè magis humore replentur, utpote & aliae satiuae stirpes omnes: quod quidem indomita tellus syluestribus denegat. Ceterum, ne quis decipiatur, hic lectorem admonendum esse duxi, cum de syluestri Myrto loquor, non me de rusco intelligere, qui & Dioscoridi, & Plinio syluestris, & acuta myrtus appellatur; sed de uera syluestri myrto, quae sua sponte in litoribus sine cultu oritur: quae item in mediterraneis, in collibus, syluis, ac campestribus prouenit. Haec tametsi praeter ruscum à Dioscoride non fuerit expressa; cum tamen dicat initio capituli, Myrtus satiuam, & reliq. his uerbis & syluestrem eiusdem generis myrtum tacite dari fatetur. Porro inter syluestres alba quoque, & nigra reperitur, quemadmodum & inter urbanas. quandoquidem ipse quam plurimas syluestres myrti plantas uidi in mille locis, quibus maturae inerant baccae, non sanè nigrae, sed in purpuram albicantes. Myrti montes non anant, quin & frigidis odere tractus: tamen cum in mediterraneis, nempe in hortis, uiridarijs, uinetis, & campis maximè proueniunt; tum

Myrti consideratio.

Marcelli lapsus.

n in

Myrtidanum
Myrti alia ge-
nera.

in maritimis præcipue, atq; amœnis stagnorum, & lacuum ripis à natura nullo studio editæ, mirificè proficiunt, uita-
tamq; lætam agunt. Quod Dioscoridi Myrtidanum nominatur, uulgò notissimum est, ubi scilicet myrtus frequens
nascitur. Sunt & alia ueteribus Myrti genera, nobis quoq; non ignota, nempe Tarentinum, & exoticum: quo-
rum Plinius meminit lib xv. cap. xxxix. his uerbis. Satuarum genera topiarij faciunt. Tarentinam folio minuto,

MYRTVS TARENTINA.



MYRTVS EXOTICA.



- Myrti usus.** nostratem patulo, exoticam densissimo, senis foliorum uersibus. Hæc non est in usu: ramosa utraque alia. Myr-
ti nostratis in Hetruria coria ubique perficiuntur: quippe quod ea pelles densentur, crissentur, atque crassescant.
Myrti baccis ultimam maturitatem adeptis, nostrates mulieres utuntur ad ciborum intinctus, qui cum assatis carnis-
bus esitati maximam cum palato incunt gratiam. Ideoq; Plinius loco supra citato ita scriptum reliquit. Succorum
natura præcipuam admirationem in myrto habet, quando ex una omnium olei, uinûq; bina genera fiunt. Item myrti-
danum, ut diximus. Et alius usus baccæ fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illius obtinens uicem.
Quodam etiam generosi obsonij nomine inde tracto, quod etiamnum myrtatum uocatur. Eademq; origine aprorum
sapor commendatur, plerunq; ad intinctus additis myrtis. hæc Plinius. Myrtæ etiam condimentum languidos uentri-
culos roborat: idcirco & cœliacis, & dysentericis utile: quin & scaminarum fluxiones, qualescunq; sint, ua-
lenter inhibet. Myrti frondes, itemq; baccarum semen tritum contra fungorum strangulationes mirificè præ-
stant. Myrtus (ut memoriæ prodidit Galenus libro septimo simplicium medicamentorum) ex contrarijs sub-
stantijs planta consistat: uincit tamen in ea frigidum terrenum. Habet uerò etiam tenue quiddam calidum: unde ua-
lenter desiccet. Porro tum folia, tum germina, tum fructus, tum succus, non parum inter se in adstrictione disident.
Ceterum quod ramis, & trunco adnascitur tuberosum, quam quidam myrtada nuncupant, quanto dictis siccius est,
tanto & desiccet, & adstringit uehementius. Quidam id tundentes reponunt, postea uino subigentes in pastil-
los formant. Folia item arida uiridibus plus desiccant: miscetur enim uirentibus humiditas quædam. Porro suc-
cus non tantum ex uirentibus folijs exprimitur, sed & fructu. Restrangendi uim hæc omnia habent tum foris im-
posita, tum intro sumpta in corpus, quod scilicet nondum ullam deleteriam, aut purgatoriam substantiam habeant
admistam. Planta, quæ $\mu\upsilon\pi\sigma\iota\upsilon\alpha$ Græcis, Latinis Myrtus nominatur: Arabibus, Acs, Ala, siue As: Italis, Myr-
to: Germanis, Vuelsch heydelbeer: Hispanis, Murta, aut Raia: Gallis, Meurte.

Κεράσια: CERASIA.

CAP. CXXIX.

CERASIA aluo uilia sunt, si uiridia fumantur: eadem siccata illam si stunt. Gummi, quod cera-
si resudarunt, cum uino diluto, tussi uerustæ medetur: colorem commendat, uisum exacuit, appe-
tentiam inuitat: idem ex uino potum calculosis auxilio est.

NULLA

CERASIA.



NVLLA hodie arbor est in Italia, quæ uulgo notior sit Cerasis. Has scribit Plinius libro xv. cap. xxv. nouas, & peregrinas, nec antea uisas è Ponto secum primum aduexisse in Italianam Lucullum, postquam debellato Mithridate is uictoria positus Romam uenit. Sed postea tanta agro Italo amoenissimo cum hac arbore intercessit affinitas, & consortium, ut non solum ageris satuarum plantas seruauerit, propagauerit, & adauxerit; sed & ueluti ex eius humore (quæ summa fuit inter se societas) grauida terra facta, sine aliquo semine in campis, in montibus, & syluis numerosissimas plantas procreauerit, & ediderit. Satuarum speciosissimi fructus, qui Cerasa, & Cerasia Latinis etiam appellantur, diuersorum sunt generum: quo fit, ut diuersa quoque sortiantur nomina. Inter hæc illa principem sibi locum uendicant, quæ Hetruscis uulgo Marchiane, & duracine uocantur: tametsi horum alia maiora, alia minora, alia saturato colore rubeant, alia uerò potius albicent. Quæ autem Plinio Iuliana, nobis uerò uulgo Acquainole, hoc est, aquea dicuntur, in nullo sane habentur pretio: quandoquidem adeò sunt tenera, & fragilia, ut nisi sub arbore sua comedantur, facile gestatu colliduntur, & marcescant: quin et ob aqueæ partis redundantiam insipida sunt, oriq; ingrata. Quæ autem, quòd admodum nigricent, Corbine nos uulgo uocamus, Plinius uerò actia, & cæciliana, cion sint duriuscula, & dulcia, gustatu habentur non inuicunda: uerum tamen quòd manus, dentes, ac labra atro colore inficiant, discumbentesq; deturpent, mensis raro apponuntur. In cerasiorum genere numerantur & illa, quæ Romæ Visciole, Senis Amarine, & in alijs compluribus Italiae locis Marasche uulgo nuncupantur, à sapore (ut puto) dicta, quòd non inuicundi amaroris tantillum respiciant. Horum porro uaria notantur genera, quæ etiam omnia sibi acidum asciscant saporem; hæc tamen eius plus, illa uerò minus habent. Rura Tridentina ea Marasche uulgo nominant,

Cerasorum consideratio.

Cerasioru genera.

quæ minus acida gustu deprehenduntur, quorum genus quoddam est, quod ori admodum gratum habetur: quippe quòd in ijs acido dulce sit admixtum, ob idq; illa palato maxime placeant. Quædam præterea inibi Marine, & Marinelle cognominantur, quæ & minora, & rotundiora sunt, & breuiori pediculo appensa, gustu nihil ferè prædictis reclamante. Est & horum tertium genus, quæ uulgo illud Verule nominat, longiore pediculo, bacca etiamnum cæteris crassiore, gustu acerbo, & admodum acido, colore perpetuo rufescente, nec unquam in atrum uergente. etsi cætera, ubi plene maturuerint, in atrum rufescant. Omnia hæc cerasiorum (ut ita dicam) Amarinorum genera aptissima sunt, ut insolentur, & ut saccharo condiantur. Quinetiam sapore cõmendantur ad intinctus consiciendos, quibus non modò sanis edulia iucundissime conduuntur; sed etiam ægotantibus, præsertimq; biliosis febribus uexatis. Siquidem illis non modò sitim extinguunt, sed oris insuauitatem emendant, & cibi appetentiam conciliant. Syluestre horum genus nulla adhibita cultura Ananiensibus in Tridentino agro sponte prouenit, nihil prorsus tum colore, tum etiam sapore ab illis distidens, quæ inibi, ut diximus, Verule uulgo uocantur. Hæc breui pediculo pendent in arboribus admodum pumilis, tantæq; breuitatis, ut rare, uel potius nullæ dodrantalem æquent mensuram. Quo factum est, ut crediderim (etsi id pro comperto asserere non ausim) hæc eadem esse, quæ Plinio Macedonica dicuntur. Syluestria, quibus plerunq; uescuntur aues, raro in cibis admittuntur, præterquam à rusticis, tum quòd plus ossis, quàm carnis habeant, tum etiam quòd cum quadam acerbitate amara sentiantur. Degenerant cerasi quocunq; simo radicibus admoto, id usque adeò oderunt, & horrent. Contra proficiunt, si sui ipsius putamina falce concisa circum radices sepeliantur, ibiq; marcescant. Præcoces illa fructus ferunt, quibus ante florum exortum calx uiua radicibus circumponitur: uel quibus aqua calida sæpius pedes irrigantur, etsi postea paruo temporis tractu inarescant. Galenus habita Cerasiorum omnium generis ratione lib. vii. simpl. med. ea hisce paucis perstrinxit. Cerasus arbor fructum fert non paris adstrictionis in omnibus particulatim plantis participem. Nam & in horum, sicut etiam malorum granatorum, & malorum, quibusdam austera qualitas, in quibusdam uerò dulcis, in nonnullis autem acida exuperat. Quinetiam ipsorum dulcium ea, quæ nondum cocta sunt, ac matura, quædam admodum acerba sunt, quædam similiter moris acida. Sed in moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat, in cerasijs non semper. Ergo quæ dulciora sunt, magis quæ in intestinis sunt, subducunt, sed minus utilia stomacho sunt. contra austera. Quæcunq; uerò acida sunt, ea pituitosis, excrementosisq; stomachis conueniunt: siquidem austervis magis desiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porro ipsius arboris gummi communem omnibus uiscosis, & mordacitate carentibus medicamentis facultatem obtinet, quæ & ad arterias exasperatas accommodata est. Proprie autem (si quidem uerum est quod quidam scribunt) calculis uexatos cum uino potu adiuuat. Nam sic illi tenuium partium quædam facultas inest. Cerasorum fructus, qui Græcis Κεράσια, Latinis item Cerasia, et Cerasa dicuntur: Arabibus, Sarasie: Italis, Ciregie: Germanis, Kirsen: Hispanis, Cerezas: Gallis, Cerise.

Syluestria cerasia.

Cerasioru uires ex Galen.

Nomina.

Κεράτια.

SILIQVAE.

CAP. CXXX.

Siliquarū con-
sideratio.Siliquarum ui-
res ex Gal.

Nomina.

SILIQVAE recentes stomacho aduersantur, al-
uum soluunt: eadem siccatæ sistant, stomachoque uti-
liores fiunt: urinam ciunt, sed præcipuè, quæ uinaceis
condiuntur.

SILIQVAE, quæ Græcis κεράτια dicuntur, in Italia
officinis uulgò Carobe, & Carobole appellantur. Nascuntur
arbores, quæ Siliquas ferunt, in regno Neapolitano, præsertim
in Apulia, ac etiam in Campania, ut optime sciunt ij, qui Fun-
do Itrum, & hinc Molan iter faciunt: siquidem in illa ob Leui-
gatos lapides inibi stratos laboriosa admodum uia, quam Appiam
uocant, frequentissimæ conspiciuntur. Incole has plantas Sale-
qua uulgò nominant, uocabulo nimirum à Siliqua detorto. Ar-
bores in spectatam satis proceritatem attolluntur, ramis in lati-
tudinem potius, quàm in longitudinem protensis: cortice ciner-
ritio ad caruleum inclinante, loti arboris instar. Folio uirent
fraxineo, latiore tamen, duriore, rariore, ac magis circinnato.
Florent discedente hyeme, aut uere iam appetente: fructifi-
cant uerò æstate, & autumno. Siliquæ recenter ab arbore de-
cerptæ ingrato displicent sapore, sed tractu temporis in cratibus
expansæ, & siccatæ, adeò mitescunt, ut & dulces euadant ad-
modum, & gustui suaves fiant. Aliud siliquarum genus, quod
ficum Aegyptiam cognominant, scriptis tradiderunt Theophras-
tus, & Plinius: de quibus mihi differendum non proposui, tum
quòd Italis nusquam (quantum equidem sciam) nascantur, neq;
cognoscantur; tum etiam quòd nullum habeant usum in medici-
na. Siliquas in cibis damnauit Galenus lib. 11. de alimentorū
facultatibus, his uerbis. Ceratia, quorum tertia syllaba per, s,
literam & scribitur, & pronunciat, nihil cum cerasijs per, s,

scriptis habent similitudinis. Est autem prauis succi edulium, ac lignosum: unde necessariò sequitur, ut concoctu sit
difficile: nihil enim quod lignosum est, facile coquitur. Præterea incommodum illud ipsis inest non paruum, quòd
non celeriter deiciantur. Proinde satius esset, ea ad nos non importari à regionibus orientalibus, in quibus nascun-
tur. Sed de uiribus, quas & arbor, & ipse habent in medicina, idem Galenus differens lib. vii. de simplicium
medicamentorum facultate, sic inquit. Ceratonia exiccantis est, & adstringentis facultatis, sicut & fructus eius,
quæ ceratia uocant, nonnihil etiam dulcedinis continent. Accidit autem istis quiddam simile cerasijs. Nam si humi-
da sumas, magis uentrem subducunt: sicca uerò magis sistant: utpote cum humiditatem expirent, & quod essentia
est crassioris, tantum reliquum habeant. Κεράτια Græcè, Latine Siliquæ uocantur: Arabicè, Charnub: Ita-
licè, Carobe & Carobole: Germanicè, S. Iohanes brot: Hispanicè, Alfaroabas: Gallicè, Carouge.

Μάλα.

M A L A.

CAP. CXXXI.

FOLIA, flores, & germina cum omnis mali, tum maximè cotoneæ adstringunt. Pomis acer-
bis adstringendi uis inest, maturis uerò longè secus. Ex ijs uerna bilem gignunt, neruos omnes læ-
dunt, inflationes pariunt. Cotonea stomacho utilia, urinam ciunt: uerum tosta mitiora habentur.
Profunt cœliacis, dysentericis, purulenta extulsientibus, cholericis, præsertim cruda. Macerato-
rum liquor commodè in stomachi, aut uentris fluxionibus, potui datur. Succus crudorum assump-
tus orthopnoicis salutaris est. Decocto fouentur uulua, & sedes, si procidant. Cotonea, quæ melle
condiuntur, urinam mouent: mel autem sibi constringentem illorum uim, & inspissantem adscis-
cit. Quæ cum melle coquantur, stomacho, atque ori gratiora sunt, sed minus inspissant. Cruda
cataplasmatibus adijciuntur, ad cohibendum aluum, aut si stomachus æstuet, aut in uomitiones effun-
datur, ad mammarum inflammationes, præduros lienes, & condylomata. Fit uinum ex ipsis tuis,
expressisque: sed quòd perduret, quindecim sextarijs succi unus mellis adiungitur, alioquin in aco-
rem degenerat. Prodest ad omnia, quæ dicta sunt. Fit & oleum ex ijs, quod melinum uocauimus:
quo utimur, quoties adstringenti oleo est opus. Eligi oportet uera, quæ sanè sunt rotunda, parua,
& odorata. quæ uerò struthia dicuntur, magna quidem sunt, sed minus utilia. Flos & uiridis, & sic-
cus cataplasmatibus imponitur: ijs conueniens, quæ adstrictionem desiderant, inflammationibus oculo-
rum, reiectionibusq; sanguinis: contra citam aluum, & mensium impetus, in uino bibitur. Melime-
la uentrem molliunt, & ab eo animalia expellunt: stomacho negotium exhibent: æstuationem fa-
ciunt. ea multis dulcia mala uocantur. Epirotica mala, quæ Latine orbiculata dicuntur, stomacho uti-
lia: sistant aluum, urinas euocant: malis tamen cotoneis inualidiora. Syluestria mala similia sunt
uernis,

Μηλιά. MALVS.

Κυδώνιος μηλιά. COTONEA MALVS.

20



30

30

Περσική μηλιά. PERSICA MALVS.

Αρμενιανή μηλιά. ARMENIACA MALVS.

40



50

η 3 Κίτρος



LIMONIA MALA.

Malorum cō
sideratio.

uernis, & adstringunt. Sanè in hunc usum immatura omnia opus sunt. Persica poma matura tam stomacho, quàm uentri utilia sunt: acerba aluum cohibent, sed sicca uehementius. Decoctum è siccis alui, stomachique fluxiones sistit. Armeniaca, quæ à Latinis præcocia dicuntur, minora sunt supradictis, & stomacho utiliora. Medica mala, persicæ, aut cedromela, quæ Latini citria uocant, nemini non cognita. Arbor ipsa 40 omnibus anni temporibus pomifera, alijs deciduis, alijs subnascentibus. Malum oblongum est, rugosum, colore aurum imitans, cum grauitate odoratum. semen habet pyri. Id in uino potum uenenis resistit, aluum mouet: oris suauitatem commendat, decocto eius coluto, aut succo: æstur in malacia mulieribus. Vestiaris impositum ab erosionis uitio uestes uindicare existimatur.

IN MALORVM quoq; genere Dioscoridi recensentur 50 Persica, Præcocia, Cotonea, & Citria: quippe quod eandem effigiem, & formam representare uideantur: sed nos primum de uulgaribus malis agemus, reliqua subinde sigillatim prosequemur. Eorum itaque (ut Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus posteritatis memoriæ prodidit) uarij, ac multiplices sunt sapes, quos etiam uaria sequuntur functiones. Alia nanque austerum, alia acidum, dulcemue saporem gerunt. Sunt etiam quæ ex ijs mistum habeant, ita ut appareant & dulcia stant & austeræ. Quædam præterea cum dulcedine manifestè acida sentiuntur: ad hæc alia cum acore acerba. Inuenias autem nonnunquam & quæ tres simul sapes planè referant, scilicet,

scilicet, & acidum, acerbūq; nonnihil. Ceterum mala quidem, quæ adstringunt, succum habent frigidum, ac terreum. Quæ uero acida apparent, frigidum quidem succum habent, uerum tenuium est partium. Mediæ autem temperaturæ sunt dulcia, quæ ad calidius uerunt. Quemadmodum quæ omnis qualitatis sunt expertia, insipidæ, ac ueluti aquosa, ad frigidius inclinant. Malis igitur uteris pro uincientium saporum facultatibus: austeris quidem, cum uentriculus uel propter calidam intemperiem, uel ob multam humiditatem fuerit imbecillus: acerbis autem, cum hæc aucta admodum fuerint: acidis, cum crassum succum, qui non magnopere frigidus sit, suspicaberis in ipso esse collectum. Siquidem succus frigidus non acida, sed æria postulat. Vtraq; certe & acida & æria succos crassos incidunt: in eo tamen differunt, quod hæc quidem cum refrigeratione; illa autem cum calfactione id præstent. Porro dulcis malorum succus, cum sine acrimonia, & crassitie, hoc est, cum solus exquisitè fuerit, celerius, quantum in ipso est, distribuitur. Quod si acrimoniam, aut crassitiam habuerit, citius subducitur. Ceterum optima etiam genere mala uitanda sunt, antequam in arboribus maturuerint: quippe quoniam concoctu sunt difficilia, & frigida, tardeq; permeant, & praua sunt succi: ad hæc succum habent frigidum, & leuiter crassum. Quæ uero belle matura in hyemem, & uer proximum asseruant, ea morbis sepe numero perquam utilia sunt, aut farina aqua subacta circumlita, aut calidis cineribus medioriter assata, aut pulchre in aquæ bullientis uaporibus percocta. Dare autem ipsa conueniet statim post cibum, aliquando etiam cum pane, ad uentrem, & stomachum roborandum, ijs qui cibum fastidiunt, tardeq; concoquunt, quiq; uomitu, diarrhœa, ac dysenteria infistantur. In hunc quoq; usum apta sunt acerbæ: nam parata, ut modò dixi, mediocrem retinent adstrictionem. In Hetruria principatum obtinent, quæ Appia, & Mele rose uulgò uocantur: quandoquidem hæc duo genera, cum suauiter oleant, gustuq; arrideant, cum naribus, et palato maximam ineunt gratiam. Eaq; propter uon longè cum aberrare putauerim, qui dixerit Appia esse Dioscoridi melimela: Rosea uero, quæ eidem epirotica, & Latinis orbiculata dicuntur. Quæ uero adeo rubent, ut cruore perfusa uideantur, & acido gustu sunt prædita, non alia de causa ita rubescunt (si rei agrariæ auctoribus credimus) nisi quod ex mali, & mori nigre infusio ne suam traxerint originem. Cornarius sua tantum, ni fallor, opinione ductus, putat in suis commentarijs in Galeni libros de compositione medicamentorum secundum locos, Cestiana poma esse aurantia, siue aurantia mala, quæ in Citrei mali genere ab omnibus recensentur. Nec eum potuit à sua sententia reuocare Plinius, qui libro xv. capite xiiii. apertissimè scribit à Cestio cestiana, à Matio matiana, à Manlio manliana, à Claudio claudiana, & ab Appio appiana mala per inuentorum nomina, à quibus habuerunt originem, Romanis fuisse cognominata. Quocirca eo loco scriptum reliquit Galenus ex auctoritate Apollonij, quod in capitis dolore ex ebrietate cestiana mala sic in urbe Romana appellata, in cibis cocta conferunt, quod austeræ sint facultate: non ut somniasse uideatur Cornarius, aurantia, quæ præterquam quod Apollonij, & Galeno incognita fuisse censentur, nusquam gentium, quod equidem sciam, coacta exhibentur. Quò fit, pæc omnium dixerim, ut qui suæ ceruicis duritiæ consulunt, suas sepius reprobare sententias audiant. Malos, quæ fructus suos tanquam steriles, dare recusant, secundas effeceris, si plumbeo circulo earum caudicem altitudine pedis à terra strictim concluderis ante florum aduentum, & cum mala ceperint adulescere, soluto uinculo eas libertate donaueris. Mala Cotonea primum in Italiam aduecta fuerunt à Cydone Creta oppido, unde de Græcis cydonia dicta sunt. Horum tria in Italia inueniuntur genera. Palma illis, quæ peculiariter Mala cotonea cognominantur, pressa, incisuris interfecta, colore ad aurum inclinato, lanuginosa, et longè ceteris odoratiora. Proximum locum sortiuntur, quæ maiore admodum corporis mole proueniunt, Dioscoridi, & Galeno struthia uocata: Hetrusci hæc pyra cotonea uocant: quippe quod forma magis pyra, quam mala referant. Pulpa, ac succo ceteris præualent, colore tamen, suauolentia, ac uiribus cedunt. Postremò Plinio militana sunt, quæ nonnullis notha dicuntur, quod tantum proueniant ex cotoneis malis, quæ struthis insite fuerint, uel ex struthis, quæ cotonearum surculos receperint. Hæc malis grandiora, pyris uero, siue struthis minoræ uisuntur: forma uero, ac facultate inter utrumque media. Ceterum sanè hæc omnia, præcipuè mala, maxime officinis expetuntur in medicine usum. Nempe quod ex omnibus præter unum, miuam, oleum, & quod Dyacidonium uocant, conficiantur & iminctus, & congelati liquores: quæ omnia non egris modò apta sunt, sed etiam sanis utilia æque & grata. Galeni æuo (ut ipse testatur in libris, quos de alimentorum facultatibus conscripsit) Cydonite placenta, quam officinæ Diacydonium nunc cupant, ex Iberia, & Syria Romam conuehebatur, ex melle tantum, & cotoneorum carne confecta, tam ad cibi, quam medicamenti commodum. Quæ saccharo, uel melle condita reponuntur, perfecte matura legi debent, aliàs indurescunt lignorum instar, ita ut dentibus confici nequeant. Quæ cruda per hyemem asseruantur, seorsum à pensilibus uis reponenda sunt, quod uicis suo acerrimo sapore adeo uitiunt, ut eæ statim marcore conficiantur. Persicorum quoque plurimæ reperiuntur species. nam quedam rubent, alia aureo colore fulgent, alia uirescunt, alia candida sunt, alia sanguinea, alia duracina, alia cotonea uocantur. Ad hæc quedam habentur dulcia, quedam acida, quedam uinosa, quedam amarifcula, & quedam etiam austera. Prima laus in cibis duracinis, sic ex re dictis, quod caro tam pertinaciter hereat ossi, ut nullo pacto ab eo auelli queat. Præcipua autem in hoc genere illis laus, quæ ab aurei coloris nitore, odoreq; perquam incundo Cotonea cognominant. Secundas sibi uendicant partes, quæ cortice detracto sanguineum succum fundunt, non propterea modò quod sint gustu reliquis suauiora; sed etiam quia magnitudine, & colore sunt speciosa. Proxima sunt, nec prædicto generi fortasse cedunt, quæ à nucis similitudine Nucipersica cognominantur: hæc enim eum colore, & sapore non refragentur persicis cotoneis, tum etiam non ingrata dentibus duritie, gustum mira afficiunt uoluptate. Est & genus aliud Persicorum in Hetruria, ac in alijs Italie locis agricolarum mangonio factum, quæ ideo Persica amygdala appellant, quoniam persicorum osium uice dulces amygdalarum nucleos includunt. Ceterum sanè multis contendit Cornarius, in suis commentarijs in secundum Galeni librum de compositione medicamentorum secundum locos, ubique corruptum esse Plinij codicem, ijs in locis, in quibus de duracinis persicis tractat: quin & Pauli, & Palladij, & Constantini

Cornarij opinio reprob.

Malorum cotoneorum confederatio.

Persicorum confid.

Cornarij opinio reprobata.

Constantini Caesaris libros corruptos esse, ubi in ijs de duracinis persicis aliquid scriptum reperitur. Quando quidem is, ubi in horum monumentis de duracinis persicis factam fuisse mentionem legitur, ibi de rhodacenis, non autem de duracinis legendum esse censet. Verum cum inibi nulla uel ratione, uel auctoritate nitatur, quibus id comprobet, sua tantum ductus opinione uidetur: atque ob id facile pronunciaffe, horum omnium codicibus (quod tamen absurdum esset credere) mendum subesse. Quamobrem in hoc potius Cornarium hallucinatum, quam libros deprauatos esse crediderim. Quinimo uirum alioquin doctissimum admiror, quod rem per se claram obscuram reddere conatus sit, quodq; non intellexerit, quid Plinio, & Palladio duracina, quid Paulo $\delta\omicron\rho\acute{\alpha}\nu\iota\alpha$, quidue Aëtio, & Constantino, ac alijs quibusdam Græcis $\rho\omicron\delta\acute{\alpha}\nu\alpha$ extiterint. Nam si animaduertisset, hæc inter se & nominibus, & re ipsa differre, facilius, meo quidem iudicio, rem dubiam explicasset, nec omnes in uniuersum auctorum codices deprauatos pronunciaffet: cum, ut equidem arbitror, eorum nullus his in locis sit uitiatu. Paulo enim $\delta\omicron\rho\acute{\alpha}\nu\iota\alpha$, ut uulgata habet lectio, non $\rho\omicron\delta\acute{\alpha}\nu\alpha$ Cornarij modo, legendum semper existimaui, quod ipse eo loco de præcocibus, & armeniacis tantum malis differat, non autem simpliciter de persicis. Siquidem, ut Cornarius ipse fatetur, Rhodacene non est alia, quam malus persica, quemadmodum Rhodacena nil aliud sunt, quam mala ipsa Latini persica uocata. id quod & nos sine ulla controuersa probamus. Sed Paulo $\delta\omicron\rho\acute{\alpha}\nu\iota\alpha$ (ut diximus) genus est præcocis, siue armeniaci mali, ut ipse declarat his uerbis. $\tau\omicron\delta\ \delta\epsilon\ \pi\rho\alpha\kappa\omicron\mu\iota\alpha\ \tau\epsilon\ \chi\epsilon\iota\ \delta\omicron\rho\acute{\alpha}\nu\iota\alpha,\ \kappa\alpha\iota\ \acute{\alpha}\rho\mu\epsilon\iota\alpha\ \kappa\rho\epsilon\iota\tau\ \iota\omicron\nu\alpha\ \tau\omicron\delta\ \nu\ \pi\rho\epsilon\kappa\omicron\mu\omicron\nu\ \omicron\upsilon\tau\epsilon\ \gamma\omicron\rho\ \omicron\acute{\epsilon}\nu\ \epsilon\tau\alpha\iota,\ \omicron\upsilon\tau\epsilon\ \acute{\omega}\sigma\omega\tau\omicron\varsigma\ \delta\iota\alpha\phi\epsilon\iota\tau\epsilon\tau\alpha\iota.$ id est. Præcocia, doracia, & armenia persicis præstant: neque enim acescunt, neque similiter corrumpuntur. Quibus palam est in Paulo potius $\delta\omicron\rho\acute{\alpha}\nu\iota\alpha$, quam $\rho\omicron\delta\acute{\alpha}\nu\alpha$ esse legendum, quod tantum persica malus Græcis $\rho\omicron\delta\acute{\alpha}\nu\alpha$ uocetur, non autem armenica, doracia, & præcox: quarum fructus, tametsi à quibusdam inter persica numerentur, quod forma tantum ijs similes uideantur; non tamen uera sunt simpliciter persica, quæ proprie Græcis nonnullis $\rho\omicron\delta\acute{\alpha}\nu\alpha\ \mu\iota\lambda\alpha$ in uniuersum uocantur, ut ipse etiam Cornarius testatur. Quippe nugaretur ineptè Paulus, si uellet, quod rhodacena persicis præstarent, cum nil aliud sint rhodacena, quam persica. His itaque rationibus liceat nobis dicere, $\delta\omicron\rho\acute{\alpha}\nu\iota\alpha$ Paulo nec $\rho\omicron\delta\acute{\alpha}\nu\alpha$, nec duracina designare, sed præcocis, siue armeniaci mali genus sibi peculiare. Sed iam ad Plinium uenio, cui duracina persica persicorum species sunt, quibus palma inter omnes, non autem genus, quemadmodum & duracina cerasa, & uuae etiam duracina inter uarias cerasorum, & uuarum species eodem Plinio, & Palladio describuntur. Quod maxime arguit, aliud eisdem designare duracina, aliud uerò Græcis $\rho\omicron\delta\acute{\alpha}\nu\alpha$, quod uerbum hoc uniuersaliter de omni persico prædicetur, non autem de aliqua particulari specie. Neque, ut ait Cornarius, uocat nostra ætas quedam persica mala duracina, quod esse cæteris duriora sint, sed antiquos secuta, quod pulpe consistentia gustui gratiora sese offerant, & longiori tempore perdurent. Quod quidem palam facit Plinius lib. XIII. cap. III. cum ait. Duracina uua sine ullis uasis in uite seruabilis est: tanta est contra frigora, æstus, tempestatesq; firmitas. Hanc & Columella prætulit in cibis. Postremo quod rhodacene arbor, persicam arborem in uniuersum significet, cum Cornarius ipse id firmiter asserat, opus sanè non esset, hoc pluribus comprobare. Sed ne fortassis putaret sibi ipsi non esse adhibendam fidem, Aëtium consulat, Constantinum Cæsarem, & Symeonem Sethi inter recentiores Græcos. Siquidem ij pluribus in locis manifestè demonstrant, nil aliud per Rhodacenam se intellexisse, quam ueram, legitimamq; persici plantam. Persicorum omne genus damnauit Galenus libro II. de alimentorum facultatibus, ut prauis succi, & quæ facile corrumpantur, ac noxam uentriculo inferant: quapropter Persica primis mensis semper edenda præcipit. Quare ego certe nescio, ex quorum scriptis deprompserit Plinius, quod innocua expetantur ægris. Nisi fortasse & ipse pro persico perseum deceptus acceperit, quemadmodum fecere recentiorum nonnulli. Persici flores esu aluum deiciunt, itemq; uomitiones cient, sed non absq; labore, ac detrimento. Non defuerunt, ut Marcellus Florentinus, & Simphorianus Campegius in historialibus Galeni campis, qui existimauerint eandem plantam esse persicam, & perseam, de qua agit Dioscorides in huiusce primi uoluminis calce. Quæ (ut tradunt) ea profectò est, quæ in Perside exitiosa nascitur, etsi translata in Aegyptum cæli illius clementia mortiferam in salutarem uerterit naturam, adeo ut in cibos recepta, tam sanis, quam morbosis prorsus habeatur innocua. Huius historiam latius prosequitur Theophrastus lib. IIII. de plantarum historia (ut infra suo loco dicemus) quæ si quis perlegerit, hanc à nostris persicis plurimum disidere comperiet. Manifesto etiamnum argumento sunt Dioscorides, & Galenus, quod hæc plantæ inter se differant: quandoquidè ij de his ut forma, & genere differentibus seorsum suis scriptis tradiderunt. Armeniaca præterea, quæ Latini, ut in Dioscoride legitur, præcocia nominant, & Græci bericocia pronunciant, nos in Hetruria Græcos imitati uulgò Bacoche, & Moniache corruptis uocabulis appellamus, ac si diceremus Bericocia, & Armeniaca. Plura eorum uisuntur genera magnitudine potius, quam genere differentia. Quod euenit non modò cæli clementia, & terræ admodum frugifera dotibus; sed & cultorum mangonio: namq; multiplicata insitione maxime proficiunt. Porrò omnia, ubi maturitatem senserint, aureo colore splendent. Idcirco Romanis uulgò Grifomele, quasi chrysomele dicuntur, eaq; præcipue, quæ eo tractu cum persicis magnitudine certant. Maturescunt ineunte æstate mense iunio ante alios fugaces fructus, unde meritò Præcocia dicta. Ea parum genere, & naturæ dotibus à persicis disidere, testis est Galenus libro secundo de alimentorum facultatibus: sed non itò in uentriculo, ut illa, tam citò corrumpi. quanquam recentiores medici ea longè magis, quam persica, corruptioni obnoxia experientia contendunt. Insuper Medica mala, ut ex nomine cognosci potest, ex Media primùm aduecta sunt. hæc Latinis Citria, uel Citromala uocantur. Eorum arbor aurantium, ac limoniorum plantas magnitudine æquat. Folia, quæ perpetuò ei uirescunt, aurantijs parum, uel nihil refragantur, foraminibus uisum serè effugientibus ubiq; punctim traicta. Quamobrem nesciuerim ego, qua ratione Theophrastus (ut Theodorus interpretatur) ei folia assignauerit portulacæ, quæ illi nullis notis consentiunt. Quo fit, ut admirari non liceat, si recentiorum pleriq; existimauerint Theophrasti codicem hoc in loco scætere mendis, & quod ubi legitur $\acute{\alpha}\nu\delta\ \rho\acute{\alpha}\chi\upsilon\varsigma$, id est, portulacæ, legi

nostrum

nostrum

Plinij lapsus. Marcelli, & Simphoriani error.

Armeniaco-rum consideratio.

Medicorum malorum consideratio.

legi

10

20

30

40

50

legi

legi potius debeat *ἀράχνης*, id est, araneorum tela. Quandoquidem ijs fortasse uidebatur, quod, cum mali Medicae folia sint ubique minutis admodum punctis perforata, ita ut lintreoli spissioris modo sint transparentia, facile telis araneis comparari possent. In quorum sententia ego quoque perstiti, quousque Plinius inde me reuocauit. Quippe cum accuratius Plinium perlegissem, comperi Theodorum, alioquin uirum & Graecum natione, & Latinae linguae peritissimum, male Theophrastum hoc in loco fuisse interpretatum, & uocabuli significationem minus recte accepisse. Siquidem, ut apertissime declarat Plinius lib. XIII. cap. XXI. Adrachne arbor est arbuto admodum similis. Inquit enim, Adrachnem omnes ferè Graeci portulacae nomine interpretantur, cum illa sit herba, & andrachne uocetur, unius literae diuersitate. Ceterum adrachne est syluestris arbor, neque in planis nascens, similis unedoni, folio tantum minore, & nunquam decedente. Hinc ergo facile colligi potest, huic plantae, quae arbuti frondibus perpetuo uirescit laurinis similibus, Medicae mali folia comparasse Theophrastum. Citrea arbor omnibus horis pomifera est: alia namque matura cadunt, alia murescunt, alia uero subnascuntur. Haec Plinij aeuo non erant in Italia, ut ipse testatur lib. XII. cap. III. ubi inquit, sepius tentasse gentes, plantas à Media transferre ad se, quae tamen ibi diu uiuere nequiverunt, licet magna cultorum solertia fuerint enutrite. Nunc uero contra translatae factae sunt, atque cum Italia solo tantam inire gratiam, ut non modo in maritimis, sed in mediterraneis quidem tum hortis, tum uiridarijs, tum etiam nobilium lacuum ripis frequentissime feliciter germinet. Postquam cultu, & diligentia Palladij (is enim proditur primus artem adinuenisse) factum est, ut ex Media in Italiam translatae profuissent, ac propagauerint. Theophrasti etate Citria mala nondum in ciborum usum uenerant, eorum testimonio, quae ipse lib. IIII. de plantarum historiae memoriae prodidit, sed tantum odoris gratia uestibus inferebantur. Quin & eorum usus erat antidoti loco contra uenenam, ad quae demolenda semen praecipue efficacissimum habent. Refert Athenaeus, quod cum princeps quidam Aegyptius maleficos quosdam damnasset nebulones, quos suorum facinorum luere poenas, aspidibus secundum Aegyptias leges in praedam exponendos, in Citrium in itinere, dum ad bestiarum pabulum ducerentur, comederunt, quod caupona quaedam uicem eorum dolens, atque miseriam, illis dederat. Mox cum in theatrum descendissent, & ab immanibus, ferocissimisque feris demorsi essent, nihil sane molestiae senserunt. Qua de re praefectus non paruum cepit admirationem, & à militibus diligenter inquirens, an antidotum aliquod praesumpserint, certior factus est, citrium tantum ex integra simplicitate donatum, eos comedisse. Postridie uero insit uni praerberi, alteri denegari, & denuo in theatrum trudi ad supplicium. Quo facto, qui comederat, demorsus nihil incommodi passus est: alter uero à fera ictus undique, liuidus factus, confestim interijt. Narrat praeterea Theopompus Chius duodequadragesimo suarum historiae uoluntine, Clearchum Heracleotam Ponti tyrannum multos ueneno necasse: sed ille, inquit, plures adhuc interfecisset, si populum praestantissima citrij uis latuisset. Seruantur Citria mala diutius incorrupta, si hordei, uel milij accruis obruantur. Sed habita medicinae ratione, iam de eorum uiribus plenius differendum est. Citria itaque uenenis aduersantur, eorumque maxime semen. Citrij decoctum collutione, horis halitum commendat, suauitatemque accersit. Ipsa autem integra uestiarijs condita, uestes non modo gratissimo odore perfundunt; sed eas etiam à tineis, & blattis uindicant. Si cruda tamen manduntur, non facile coctioni obediunt: quin & crassum generant succum: ob hoc uesci ijs melle, aut saccharo conditis satius est, quod uentriculum commodè calefaciant, ac roborent: quamuis haec non sra aetas gula nimium indulgens in cibis citria cruda praeferat cum assatis carnibus esitata. Citria aduersus atram bilem, & morbos maestos, quos illa excitat, opitulantur. Semen priuatim scorpionum ictibus & potum, & appositum mirifice medetur. Acidus eorum succus flauam reprimat bilem, arceatque pestis contagia. Proinde recentiores medici ad febres pestilentes serapijs ex eo confectis feliciter utuntur. Ea principem in cibis obtinent locum, quae in Lacus Benaci ripis proueniunt; quae est parum mala. Limonia dicta magnitudine superent; maiorem tamen ceteris ab ore inueniunt gratiam. Quae uero ex Liguriae uiridarijs, & Adriatici, & Aegaei pelagi insulis, alijsque locis afferuntur, et si melopeponum modo crassescant, speciosaque magnitudine excellant; cum tamen insipido gustu non multum placeant, in cibis non aequè ac illa, praestant: uerum quod pulpa copiosiore consistit, officinis expetitur saccharo, uel melle asseruanda. Citrij mali meminit Galenus lib. VII. simplicium medic. sic inquit. Mali medicae fructus non amplius malum medicum, sed ab omnibus Citrium nuncupari adsolet. In semine quidem uincenem habet qualitatem acidam, & siccam; ut ipsum tertij sit ordinis resiccantium, refrigerantiumque. In cortice uero uicem desiccantem temperiem est fortius, non parum tamen habentem acrimoniae: proinde desiccet hic secundo excessu, non tamen frigidus est, sed aut temperatus, aut paulò infra. Porro caro eius pariter crassi succi est, & pituitosa, frigidaque: nam & ipsa editur, sicut & cortex. Semen omne edi ineptum est, tum humidum illud, & acidum, de quo primum differui: tum nucleus, qui in illo inuenitur, id quod re uera semen est. Hic amarus est, & digerendi uidelicet, siccandi, facultatem obtinens, secundo quodammodo ordine à temperatis recedens. Folia uero denique exiccandi, ac digerendi uim obtinent. haecenus Galenus. Vbi animaduertendum est, quod cum initio capitis inquit, In semine quidem uincenem habet qualitatem acidam, & siccam; ut ipsum tertij sit ordinis resiccantium, ac refrigerantium, Galenus non de nucleis intellexit, neque de uero eorum semine; sed tantum de acido Citrij succo, in cuius medio ubique includitur semen. Eam autem fuisse in hoc Galeni sententiam, eius uerba in calce ferè capitis ostendunt, quae ita sonant. Semen omne esui ineptum est, tum humidum illud, & acidum, de quo primum differui: tum nucleus, qui in illo inuenitur, id quod re uera semen est. Hic amarus est, & discutit, hoc est calefacit, & exicat secundo recessu. Quam rem male, meo quidem iudicio, assecutus Auicenna, utpote qui non rectè distinxerit, neque hac in re planè Galeni sententiam accepit, libro suorum canonum secundo semini Citrij secundam calidiorum, & siccorum sedem assignauit: tractatu uero, quem cordis uiribus dicauit, eidem tertiam frigidorum, & siccorum classem adscripsit, nullum quidem uerbum faciens de acido Citrij succo, quem à Galeno sub seminis nomine comprehensum fuisse demonstraui. Non longe natura, & uiribus à citrijs distat mala LIMONIA, & AVRANTIA dicta, & illa, quae ADAMI poma uulgo uocantur,

Theodori laplus.

sempo

Citriorum mira facultas.

Citriorum uires.

do mure

Citrij mali uires ex Gal.

Auicenna notatur.

Limonia, Aurantia, & Adami poma.

uocantur, nos uerò Lomie dicimus: tametsi Limonia, cum sint gustu omnibus ijs speciebus acidiora, ob id succo & frigidiora, & sicciora esse, argumento duci possit. Quin & Aurantia cortice calidiora censenda sunt, quandoquidem is reliquis acrior, atq; amarior gustatu deprehenditur. Aurantium (quemadmodum etiam de punicis superius diximus) in Italia tria obseruantur genera, dulcia, acida, & uinolenta, siue mista. Dulcia in omnibus partibus excalfaciunt. Aliorum uerò succus refrigerat, prout maiore, seu minore refrata sunt aciditate. Quocirca febricitantibus ad restringendam sitim, acida quidem, & uinosa, non autem dulcia sunt exhibenda. Fit è Limoniorum succo, sicut & citriorum, serapium ad restringendum bilis feruorem non inutile. Item & ad pestilentes febres, & eas, quæ contagione non uacant. Aqua, quæ è Limoniorum succo calentis aquæ balneo, & uitreis organis extrahitur, præterquam quòd mulieribus expetit pro succo ad faciem expoliendam, uirilignes ubicunq; sint, & totius corporis maculas emendat, uaros delet, & acaros interimit. Serapijs admixta febribus acutis, et contagiosis mirè succurrit. Epota uentris tineas enecat: id quod etiam præstat succus recenter expressus, uncia pondere potus. Ceterum non parum laboris impendisse uidetur Brasauolus in præfatione sui de simplicium examine libri, ut doceret, unde emanauerit Arantium uocabulum. Sed licet ibi plura de eius origine refrat; ea tamen, meo quidem iudicio, non multum no-
 20
 30
 40
 50

Nomina.

in uocabulo
nominati

in uocabulo
nominati

Ἄπια. PYRA.

CAP. CXXXII.



Pyrorum cõsideratio.

Pyrorum factas.

PYRORVM multa genera. Quæ tamen omnia adstringunt: proinde adduntur conuenienter in repellentia cataplasmata. Decoctum è siccis, & cruda ipsa aluum fistunt: ieiunos esitata lædunt. Achras pyrastri genus est, quod tardissimè maturefcit. Vim pyro adstringentio-
 30
 40

QVONIAM Pyra uulgatissima sunt non modò in Italia, sed ubiq; in tota Europa; ideo superuacaneum duxi eorum arbo-
 50
 60
 70
 80
 90
 100
 110
 120
 130
 140
 150
 160
 170
 180
 190
 200
 210
 220
 230
 240
 250
 260
 270
 280
 290
 300
 310
 320
 330
 340
 350
 360
 370
 380
 390
 400
 410
 420
 430
 440
 450
 460
 470
 480
 490
 500
 510
 520
 530
 540
 550
 560
 570
 580
 590
 600
 610
 620
 630
 640
 650
 660
 670
 680
 690
 700
 710
 720
 730
 740
 750
 760
 770
 780
 790
 800
 810
 820
 830
 840
 850
 860
 870
 880
 890
 900
 910
 920
 930
 940
 950
 960
 970
 980
 990
 1000

cerum Pyra collatione assequi, operæ pretium esset, ut unumquodq; eorum genus peculiarem, perspicuamq; habuisset descriptionem: quandoquidem fieri non potest, ut ex sola nomenclatura innotescant. Porro in uniuersum de eorum uiribus


viribus differentes, dicamus, sicuti etiam de malis diximus, quod pyrorum facultates, ex saporibus gustu dignoscuntur: cum dulcia natura distent ab acerbis, acidis, austeris, & ab his, quæ unum, uel plures præ se ferunt saporibus: & contra, hæc deinceps ab illis sint diuersa. Pyra (ut scriptum reliquit Galenus lib. v. simplicium medic.) esu stomacho gratæ sunt, quin & uim habent exiccandi. Atqui syluestribus magis adstringendi facultas inest: ob id etiam magis præstant contra fluxiones. Et libro II. de alimentorum facultatibus ita scribit. Quæ de malis diximus, si omnia ad pyra, & punice transferantur, nihil nouo alio super his sermone opus erit. Nam in ijs quoque alia austeræ tantum, uel acerbæ apparent: ueluti quædam acida, quædam dulcia, quædam denique ex horum mixture composita: sunt quæ nullam penitus huiuscemodi qualitatem exuperantem habent: quo fit, ut cum aqua sint, ac hebetia, nulla roborandi uim polleant. Talis igitur omnino pyrorum usus, qualis malorum. At pyris, præsertimque grandibus, quæ apud nos mænatæ uocantur, aliqua alendi facultas donata est. Proinde ea secta in tenues orbiculos, siccataque reponunt. Quibus coctis per hyemem, & uer, cum fames est, ciborum parum nutrientium uice uescuntur. Pyri fructus, qui ἄριον Græcis, Latini Pyra dicuntur: Arabibus, Humecche, Cirmetrg, seu Kemetri: Italis, Pere: Germanis, Eyren: Hispanis, Peras: Gallis, Poires.

Pyrorum uires ex Gal.

Nomina.

MESPILVS PRIMA.

MESPILVS ALTERA.



Μέσπιλον. MESPILVS.

CAP. CXXXIII.

MESPILVS, quæ à nonnullis aronia uocatur, spinosa arbor est, folio pyracanthæ, siue oxyacanthæ. Fert pomum suaue, exiguo malo non dissimile, tribus intus ossiculis: quæ ex causâ id nonnulli tricoccon appellauerunt. Tardè maturefcit, esu adstringit, stomacho gratum est, aluumque supprimit. Alterum mespili genus in Italia nascitur, quod aliqui setanium, alij epimelida uocant. Arbor folijs mali, sed minoribus. Pomum fert rotundum, esui aptum, umbilico latiore: quod adstringit, seroque maturefcit.

MESPILORVM hic à Dioscoride duo recensentur genera: quorum illa, quæ folijs est pyracanthæ, siue oxyacanthæ nostratibus haud quaquam ad stipulari uidetur. Quippe (ut sensu patet) nostrates Mespili folijs oblongis, Laurinus ferè similibus uidentur, non autem apij modo per ambitum incisis, ueluti oxyacantha. Fructum ferunt non quidem gustatu suaue, sed potius iniucundum, quod acerbis sit, & austerus. Quin & is quina includit ossicula, non sane terna, ut primo Mespilorum generi assignat Dioscorides. Caterum si fructum profert Italia, qui priori Mespilo legitime adscribi possit, eius nimirum arboris erit, quæ Neapoli, ubi copiosa feritur in hortis, uiridarijs, ac uicinis, Azarolo uulgo nominatur. Huius plures plantas uidi ego primum Neapoli in amplissimo uiridario Pompei Cardinalis

Mespilorum confid.

Azaroli de-
scriptio.

dinalis à Columna uia, qua itur ad poëta Maronis sepulcrum, uel ut uulgo dicunt à Pedigrotta. Arbor est mediocris proceritatis, cortice, ac materia pruno haud abfimilis: spinis horrida, non tamen admodum acutis: folijs laciniatis, apij æmulis. Ex quo perspicitur potest, eos Dioscoridis codices hoc loco scaterere mendis, in quibus deprauatè legitur, hanc arborem folijs esse pyxacanthæ, non autem, ut legitime legi debet, oxyacanthæ. Nam (ut superius suo loco explicauimus) oxyacantha folijs germinat dissectis; pyxacantha uerò buxi modo oblongis. Cuius rei illud manifesto est indicio, quod de hoc Mespilorum genere posteritatis memoriæ prodidit Theophrastus lib. III. cap. XII. cum inquit. Magnitudine arbor ista excellit, γυρό; comatur. Folium magna ex parte infissum, quod uel apium parte postrema imitatur, ampliore figura, quodq; promissum, neruosum, apio tenuius, oblongius, totumq; circumfusum est, & pediculo tenui, ac longo dependet: antequam decidat, uehementer rubet. Radice numerosa, altaq; arbor coheret: ob id diuturna, & inextirpabilis est. hæc tamen Theophrastus. Quæ sanè uerba certo sunt argumento, eam Dioscoridis lectionem planè deprauatam esse, quæ huic Mespilorum generi pyxacanthæ frondes reddit. Quinetiam solum explicant oxyacanthæ à Dioscoride eius in historia silentio dissimulatum, quod scilicet apij modo per ambitum sit dissectum. Sed illud etiam non ignorandum, tantam oxyacanthæ cum hac Mespilo intercessisse cognationem, ut si Mespilus hæc oxyacanthæ inseratur, omnium speciosissima proueniat, & longè magis fructifera euadat. Sed ut redeamus eò, unde codicis mendæ, quæ librariorum incuria est, nos diduxerant, dicimus, quod Azaroli uocata fructus nullis prorsus notis reclamant Mespilis, quæ primo loco à Dioscoride descripta sunt. Siquidem ij exigui sunt, terna includunt oscicula alijs Mespilis duriora; quanquam magnitudine, & forma dissimili, seram sentiant maturitatem, ori grati habentur, stomacho non inuicundi, & reliquis deniq; notis, ac qualitatibus illorum speciem adeo representant, ut non aliud hac in re asserendum putauerim, quam quod idem sint Azarola, & Dioscoridis Mespila à quibusdam Aronia dicta. Quæ porro Mespili aliquibus Setaniæ, & Epimelides appellantur, uulgaribus nostratibus colatae, nihil inter se dissentire comperiuntur. Quapropter nil mirum scriptis mandasse, Dioscoridem, alterum hoc Mespili genus copiosum in Italia nasci. Veruntamen Galenon Epimelidis appellatione aliam arborem à nostratibus Mespilis diuersam sumpsisse, liquidò constat. Quandoquidem libro VI. simplicium medicamentorum scribit, eius fructum acerbum esse, & uentriculo noxium. Epimelida autem à rusticis Italie incedonem nominari. Hoc insuper illud

Mespilus al-
tera.

Serap. lapsus.

Mespilorum
uires ex Gal.

Nomina.

confirmat, quod Galenus de utroque Mespilorum genere, seorsum diuersis capitibus tradiderit. In Mespilorum historia Serapio aperte hallucinari deprehenditur: quippe qui sorbi titulo omnia referat, quæ de utroque Mespilorum genere scripsit Dioscorides. Verum etsi hac in re is quidem aberret; declarat tamen primum Mespili genus nobis Italis Mauritanos secutus Azaroliam esse: nanque is Arabico idiomate Mespila Zaror appellat. Mespilorum uires recensuit Galenus libro VII. simplicium medicamentorum, sic inquit. Mespili fructum, alij tricoccum nominant, quod tria intus in uniuersum gerat grana, quorum unumquodq; arboris est semen, ceu ea, quæ in malis inueniuntur, ipsius mali; & acini, ipsius uitis; & ficus, minuta illa grana, quas cenebramidas Græci uocant. Arboris huius fructus admodum acerbus est, uixq; edi potest, uentrem strenuè coercens. Quin & in germinibus, & folijs acerba hæc qualitas non pauca reperitur. Et libro II. de alimentorum facultatibus sic inquit. Horum eadem quæque prædictis est ratio. Ambo enim adstringunt, sed multò fortius Mespila, quam sorba. Quamobrem alio fluenti in cibo accommodatissime exhibentur: sorba tamen ipsis sunt suauiora. Prorsus nanque nihil acerbi, uti Mespila obtinent, sed succus eorum citra acerbiteratem austerus est. Illud porro neminem puto latere, hæc omnia parçè, non affatim, ut ficus, uuasq; esse comedenda: nequaquam enim eis, ut cibus, sed ut medicamenti potius indigemus. Hæc nouisse longè tibi fuerit utilius, quam si primam huius dictionis ὄνον syllabam ab antiquis Atheniensibus per, o, solam prolatam, scriptamq; fuisse cognoscas. Arbor μεσπιλον, ἢ μεσπιλα Græcis, Latinis item Mespilus, & Mespila nominatur: Arabibus, Zaror, seu Zarur, & Alzarur: Italis, Nespolo: Germanis, Nessel: Hispanis, Nespelas: Gallis, Nespilier.

† Ne uideamur hic temerè communem lectionem immutasse, quæ est pyxacanthæ, lectorem admonere non alienū duximus, uariam esse huius loci scripturam in Græcis tum impressis, tum uetustis exemplaribus. Verum ea nobis magis probanda uisa sunt, quæ habent pyracantham, uel oxyacantham (idem enim esse putamus) innixi rationibus, quas in commentario adduximus.

Λωτὸς δένδρον. LOTVS ARBOR.

CAP. CXXXIII.

LOTVS arbor est vastæ magnitudinis, ferens baccam pipere maiorem, dulcem, cibus gratam, stomacho facilem. Aluum fistit baccis. Ramentorum ligni decoctum siue potu, siue infusione dysentericis, ac fœminis fluxione vuluæ laborantibus, auxilio est: rufat capillos: citam aluum cohibet.

Loti arboris
historia.

LOTVS arbor Latinis Celtis uocatur. Differentiæ generum plures (ut libro & capite IIII. de plantarum historia prodidit Theophrastus) eaq; maximè fructuum uarietate inter se discreta produuntur. Sed Loti proprium genus consurgit pyri magnitudine, aut paulò minore: folijs per ambitum serratis, alioquò ilicis uiderentur. Fructum profert magnitudine fabæ, qui uuarum modo maturescit, uariè colores immutans, gustatu prædulcis, suauis, atq; etiã stomacho salubris. Gignitur alter absq; interiore nucleo, qui non modò cæteris præfertur, quod uentriculo suauior sit; sed etiam quod uinum reddat. Numerosa hæc arbor in Phariide insula, ideo Lotophagia uocata, quod inibi Loti fructu uictitent incolæ. Cæterum non minor Lotorū copia in continenti, sed longè largior: plurima enim hæc in Africa, ubi tanta fructus & arboris copia narratur, ut diebus pluribus exercitum Ophelli Carthaginem petentis in cōmeatuum defectu, hoc tantum fructu uictitasse, ex historijs habeatur. Scribit Plinius lib. XIII. cap. XVI. Lotū arbore etate

LOTUS.



etate sua extitisse Italiae familiarem, ac uulgò cognitam, licet mutato solo, cœliq; climate, unde nobis allata est, à grata illa fructuum dulcedine degenerauerit. Dioscorides non alijs notis reddidit Lotum, quàm quòd arbor esset uasæ proceritatis. Cui subscribens Plinius lib. xvi. cap. xxx. sic inquit. Lotus præcipue domibus expetiitur, ramorum petulantia, latissima expatiantium umbra, & in uicinas domos sæpe transsiliens. Item eodem loco ita scribit. Loti fructus syluestris quidem est, sed cerasorum penè natura. Nulli breuior opacitas, nec aufert solem hyeme decidentibus folijs. Nulli cortex incundior, aut oculos excipiens blandius. Nulli rami longiores, ualidioresq; aut plures, ut dixisse totidem arbores liceat. Cortice pelles tingunt, radice lanas. Quamobrem putauerim ego, si modo hodie Loti nascuntur in Italia, eum non aberrare, qui ueram lotum, præsertim Dioscoridi, & Plinio, eam esse arborem dixerit, quæ in Tridentino, & Goritiensi agro uulgò Bagolaro uocatur: in Veronensi uerò, & in alijs quibusdam Italiae locis Perlaro. Siquidem licet harum arborum multæ pyri magnitudinem æquent; pleræque tamen conspiciuntur, quæ longè pyrum proceritate uincunt. Hæ itaq; præterquam quòd caudice constant crassissimo, ramis latissimis in altitudinem se extollentibus; cortice spectantur leui, colore in cæruleum nigrescente. Quo fit, ut is grato coloris aspectu respicientium oculos mirum in modum ad se alliciat, ut tradidit Plinius. Folijs uirent ilici proximis, per ambitum ferratis, asperisq; quæ medio autumnno flaccescunt. Fructus eis cerasorum similitudine, qui ut illa, longiore pediculo pendet. Is primo uiret, mox in candidum flauescit, deinde per maturitatem rubescit: denique, postquam maturuerit, nigricat, gustu suauis, non ingrato. Quæ omnes huiusce arboris delineationes, ac notæ Theophrasti, Dioscoridis, & Plinij loto planè respondere uidentur. Quare non equidem diffitebor, Lotum quoq; hoc æuo Italiae esse copiosam.

Lotus Italica.

Ruellij error.

Ceterum nesciuerim ego, quorum testimonio, & auctoritate fretus Ruellius lotum existimauerit plantam exiguam illam, quam Hetrusci uulgò Agrifolio dicunt: è cuius cortice (ut superius de paluro disferentes diximus) uti ex uiburno nostro, uulgò uerò lantana, quidam uiscum consiciunt, quo aues capiuntur. Quæ sanè opinio tantum abest ab historia loti, quam ex Theophrasto, Plinioq; retulimus, ut etiam ei prorsus aduersetur. Quippe quoniam Agrifolium arbor est, perpetua uirens coma, folijs admodum per ambitum aculeatis, exigua proceritate, & cortice uiridi: quæ notæ penitus loti descriptioni repugnant. Lotus scriptis tradidit Galenus libro vii. simplicium medicamentorum, his uerbis. Lotus arbor non ita multæ adstrictoriæ qualitatis est particeps, sed & tenuium partium est, & exiccatoria. Itaque lignorum ipsorum ramenta muliebri accommodantur profluuio, & dysenterijs, & cœliacis affectibus. Decoquantur uerò interim in aqua, interim in uino, nimirum prout usus poposcerit, nec infunduntur tantum, sed & bibuntur. Quinetiam quòd pilos defluentes cohibeat, non paruum signum est ipsum adstringentis esse cuiusdam, similiter mediocriter desiccantis facultatis. Dictum quippe est & in sermone de ladano, eiusmodi esse facultatis oportere, quod fluentes capillos esset cohibiturum. Planta, quæ Græcis λωτός δένδρον, Latinis Lotus arbor, & Celtis appellatur: Arabibus, Sadar, Sedar, seu Alsadar: Italis, Loto albero: Hispanis, Almez.

Loti uires ex Galeno.

Κορνύα. CORNVS.

CAP. CXXXV.

CORNVS dura arbor est, baccas ferens oliuæ modo oblongas, quæ primùm uirent, dein per maturitatem rubescunt, aut ceræ colorem repræsentant. In cibo adstringunt: profluuio alui, atque dysenteriae salutares, siue in edulio, siue in defruto exhibeantur. Muria, ut oliuæ, condiuntur. Sanies, quam uirentia folia torrendo refudarunt, impetigini conuenienter illinuntur.

CORNVS est uulgaris notitiæ. Ceterum (ut lib. III. de plantarum historia, cap. XII. memorie prodidit Theophrastus) sexus in ea duplex inuenitur. Namq; consurgit mas duodecim cubitorum altitudine: folio amygdalæ, nisi quòd pinguius, crassiusq;: cortice neruoso, & tenui: caudice non minus crasso. Fœmina uirgas paruas, sicut salix amerina, suo latere profert, & fruticosior est. Nodos ambæ, perinde ac uitex, tum germinatos, tum inuicem congruos habent. Materies maris excors, totaq; solida, cornibus densitate, firmitateq; similis, unde illi nomen. Fœminæ uerò medullam continet, & mollior est, atque cauatur: ob id ad uenabulorum usum inutilis. Qui Idam Troianam incolunt, marem sterilem dicunt; fœminam autem fructuosam. Nucleum fructus oliuæ similem habet, gustu dulcis, odoratuq; gratus. Flos oleæ, & floret, fructificatq; eodem modo, ut singulari pediculo plura profert. In Macedonia uerò (ueluti etiam in Italia) ambæ fructiferae sunt: sed mas per æstatem, fœmina uerò per autumnum

Corni consideratio.

o baccas

CORNVS.

Theophrasti
locus suspen-
ctus.

Cornorum
ufus in cibis .

Corni uires
ex Galeno .

Nomina.



baccas maturat , huius tamen baccæ tantum masculæ bonitate ce-
dunt, ut mandi uix possint . Porro cauendum est, ne Corni arbo-
res prope aluearia conserantur, uel à natura productæ ibidem
permittantur: quandoquidem apes flore eius degustato alio cita-
ta commoriuntur . At certè mirandum est, quòd scriptis man-
dauerit Theophrastus, Cornum arborè amygdalæ folio uirescere,
cui longè diuerso prorumpat . Eaq; propter dixerim ego, aut in
Theophrasti exemplaribus hoc loco mendum subesse, aut in Ida
monte prope Troiam tum soli, tum etiam cæli magis æstuante na-
tura, corno folia adeò restringi, ut amygdalæ quadantenus æmu-
la uideantur: etsi, meo quidem iudicio, potius putandum sit, Theo-
phrastru lectionem hoc in loco deprauatam esse . Fit ex baccæ-
rum pulpa quoddam obsonij genus cydonite non dissimile . Quin
& ex eorum decocto, & saccharo liquor ignis opere, & coctu-
ra conerescit, coagulatq; qui præterquam quòd gratissimo
placeat gustu, datur utiliter dysentericis, ac foeminis mensium
profluuiio laborantibus . Corni uires memorie prodidit Gale-
nus libro VII. de simplicium medicamentorum facultate, sic in-
quiens . Corni arboris fructus admodum acerbus est, esui aptus .
Itaque mirum uideri non debet, ipsam ualenter uentrem restrin-
gere, sicut & mespila . Folia quoque, & germina gustu acerba
sunt, ualenterq; desiccant . Itaque maxima uulnera glutinare
possunt, potissimum durorum corporum: at paruis uulneribus,
& mollioribus corporibus magis contraria sunt . Nam nimium
ea contendunt, ac plus satis desiccant . Arbor, quæ Græcis
κέραια, Latinis Cornus uocatur: Italis, Corniolo, ueluti fru-
ctus eius Cornole: Germanis arbor, Cornelbaum, Kurbeerbaum,
& Dierlem: fructus uerò Vuelsch kirsen: Hispanis, Cornizolos:
Gallis, Cormier .

SORBVVS.

OVÆ. SORBA. CAP. CXXXVI.

Sorboru
consideratio.

Sorborum ui-
res ex Gal.

Nomina.



SORBA colorem luteum referentia, priusquam
maturescant, dissecta, & sole siccata manduntur, ut al-
uum sistant. Eadem est functio molitorum farinae, si
polentæ loco sumatur. Quod & decoctum eorum in po-
tu præstat .

SORBA fructus sunt in Italia uulgatissimi, nullisq; non co-
gniti. Veruntamen illud non duxi prætereundum (ut hic nonnul-
la perstringam ex his, quæ de Sorbis latius tradit Theophra-
stus libro III. cap. XII. de stirpium historia) quòd in sorbo
etiam maris, ac foemine differentia dignoscitur, certo quidem
argumento, quòd una sterilis sit; altera uerò fructifera . Quin-
etiam in pomis discrimen, quòd alia sint orbiculata, & succo or-
doratiore, dulcioreq; placeant: alia uerò ouata, ut quæ etiam
pyri effigiem representent, gustui acidiora, & asperiora præ-
dictis, minusq; olentia . Sunt & syluatica Sorba, quæ maturi-
tatem adeptæ ori non insuauia habentur . Hæc adstrictoria ui do-
mesticis longè excellunt; si tamen immatura insolentur .

Sorba, testimonio Galeni tum libro VIII. simplicium me-
dicamentorum, tum libro II. de alimentorum facultatibus, ean-
dem adstringendi naturam præstant, quam mespila, sed imbecil-
liore effectu . Vtraque tamen in medico usu magis, quam in ci-
bis expetuntur, probanturq; . Sorbi fructus Græci οὔα, La-
tini Sorba: Itali, Sorbe: Germani, Speierling, Sporoepffel,
Sperbieren: Hispanis, Sorbas: Galli, Cormier, nominant .

Kox-



PRUNVS arbor est nota. Cuius pomum estur, sed stomachum malè habet, aluum mollit. Syriaca pruna, & præcipuè quæ Damasci gignuntur, exiccata stomacho utilia sunt: aluum adstringunt. Folia pruni in uino decocta collutione, & gargarizatu, uuam, gingiuas, & tonsillas fluxione laborantes reprimunt. Præstant idem syluestrium Prunorum bacca, post maturitatem exiccata: cum sapa uerò decoctæ stomacho utiliores redduntur, aluumque magis adstringunt. Gummi prunorum agglutinat: potum in uino calculos comminuit: ex aceto quoque illitum, lichenas infantium sanat.

PRUNORVM differentie inexplicabiles ferè sunt. Nam alia reperiuntur herbaceo colore persusa, alia rubeo, alia eburneo, alia luteo, alia purpureo: quædam deinde magna, quædam uerò parua, quædam mediocria: dulcia nonnulla, alia acida, alia unosa, alia dura, alia mollia: alia denique rotunda, alia oblonga, alia ouata conspiciuntur. Ceterum licet Dioscorides pruna Damascena sicca aluum sistere prodiderit: Galenus tamen aliter sensisse uidetur septimo simplicium censu, ubi sic inquit. Pruni fructus uentrem subducit; recens quidem plus, aridus uerò minus. Sed haud scio, cur Dioscorides pruna Damascena siccata uentrem sistere dicat, cum & ipsa perspicuo soluant, minus tamen ijs, quæ importantur ex Iberia. hætenus Galenus. Atqui in hoc Brasauolus Ferrariensis medicus nostræ ætatis clarissimus, aperte refragatur Galeno in simplicium medicamentorum omnium peritissimo æquè atque doctissimo, suo de simplicium examine, ubi Galenum scribit hac in re, non Dioscoridem fuisse deceptum. Quippe quod Galenus non animaduertit, Dioscoridem de siccis prunis Damascenis loqui: quæ præterquam quod sicca sunt, gustu etiam acida sentiuntur, & adstringentia. Qua quidem in re Brasauolus potius (pace sua dixerim) planè hallucinatus, & à recto ueritatis tramite lapsus deprehenditur. Quandoquidem non meminerit, quod non solum pruna Damascena sicca; sed etiam alia quàm plurima simplicia medicamenta deiectionem simul & adstringentem uim obtinent, ut manifesto testimonio sunt tamarindi, & myrobalana omne genus: item rhabarbarum, & alia pleraque, quæ præter id quod primum aluum deiciant, postea illam adstrictam relinquunt. Quam sanè prunorum facultatem etiam Brasauolus non perpenderit; Galenus tamen optimè nouit, & expertus est. Idcirco cum loco citato pruna Damascena sicca aluum ciere tradiderit, eadem etiam adstrictoria uel pollere, lib. II. de aliment. facultatibus his uerbis attestatur, Prunis æquè ac ficibus concessum est, ut uel exiccata utilia permaneant. Damascenis à Damasco Syriæ monte, in quo nascuntur, appellatis, prima laus bonitatis magna hominum opinione defertur. Proxima ijs, quæ in Iberia, & Hispania proueniunt. Verum hæc quidem nihil adstrictionis præ se ferunt: nonnulla uerò Damascenorum uel plurimum. Probatissima in his sunt, quæ cum mediocri adstrictione, magna, laxa que sunt. At parua, dura, acerbaque & in cibo praua sunt, & uentri subducendo minus idonea. hæc Galenus. Ex cuius uerbis satis constare arbitror, nulla ferè ratione, nec nisi inualidis admodum argumentis Brasauolum adductum fuisse, ut hac in re Galenum ipsum accusaret, quasi Galenus omnino ignorauerit, quam sapores, quam odores, quam ceteræ denique non fructuum modo; sed & omnium ferè simplicium medicamentorum qualitates naturam, & facultatem sortitæ essent. De quibus omnibus adeo doctè, & copiosè disputauit, ut parem unquam repererit neminem, ut omnibus perspicuum est ex suis primis quinque libris, quos de simplicium medicamentorum facultatibus accuratissimè conscripsit. Huic sententiæ æquè & rationibus accedit quoque communis medicorum experientia: nempe quod compertum sit, pruna Damascena laudatissima, ijs similia, quæ Galeno præferuntur, esu uentrem soluere non inefficaciter, adstricta aluo postmodum relicta, tamarindorum, & myrobalanorum modo. Sic igitur Galenum à Brasauoli reprehensione seruasse uolumus. Sed si Dioscoridem quoque tueri uelimus, nil aliud dicendum putauerim, quam quod pruna Damascena sicca aluum adstringere tradiderit, ut referuntur ad alia, quæ minus adstringunt: non tamen, quod uoluerit, ea esse deiectionis facultatis expertia. Porro pruna bilem deiciunt: proinde ea utiliter usurpant medici ad febres, aliosque biliosos affectus. Quin & seplastiarijs expetuntur: quippe qui ex ijs quotannis electaria, intinctus, liquoresque uarios parare consueuerint, quibus non modo sani gustu non ingrato delectantur; sed etiam qui languent, resocillantur. Habetur & in Aegypto prunus (ut Theophrastus est auctor lib. IIII. cap. IIII. de plantarum historia) insignis magnitudinis, fructum ferens natura, & magnitudine mespilis proximum; nisi quod rotundum nucleum habet. Florere incipit mense Iulio, fructum circa brumam perficit, nec folia dimittit. Qui circa agrum Thebanum habitant, propter arboris copiam fructum siccant, & osse exempto tundunt, offasque faciunt. Non dissi-

Prunorū consideratio.

Galenī tutela contra Brasauolum.

Prunorum usus.

10
20
30
40
50

Sebesten cōsideratio.

dent effigie à prunis, nec dissimili admodum sunt facultate fructus ij, quos officinae Arabes secute. SEBESTEN nominant, quiq; Græcis Myxa, & Myxaria uocantur. Quod etsi Dioscorides, & Galenus horum suis monumentis non meminerint; de ijs tamen à posterioribus Græcis, nempe Paulo, Aëtio, Psello, & Actuario frequens facta fuit mentio. Arbores feri in Italia ceperunt Plinij ætate: nunc uerò non ubique familiares, sed raris admodum hortis, & uiridarijs uirent. Arbor est pruno ualde similis, ei tamen magnitudine cedens. Cortex caudici candidat, ramis uerò uiret. Folijs comatur rotundis, ac firmis. Fructus adolefcunt exigui pruni magnitudine, nucleo intus triangulari forma, qui satis bacca proportionè respondet. Fructus maturitatem adepti, in atrium uirescunt, gustu sunt prædulci, ac lenta, tenaciq; pulpa. Ex qua Syri, & Aegyptij uiscum conficiunt, quod Venetijs Alexandrinum appellant, aucupijs commodissimum: Argumento sunt nuclei, qui in eo reperiuntur, color, & dulcedo, quæ gustatu deprehenditur. Pollent autem deiectionis facultate, non secus atque pruna, tam Græcorum, quam Arabum testi-

Fuchsij opinio reprobata.

monio: id quod etiam comprobatur quotidiana medicorum experientia. Tameſi contrarium ſenſerit Fuchſius medicus hac noſtra ætate celeberrimus: quippe qui ſuis in paradoxis cap. x xvii. ut forſaſſe in Arabes inueheretur, quos ubique ſerè odiſſe uidetur, nullam Sebeſtenis deiectionis eſſe facultatem contendit, quin potius ea adſtrictoria ui pollere. Sed longè diſſentit ab eo opinio noſtra, & uulgata, comprobataq; continua medicorum experientia. Quandoquidem quòd Sebeſtena aſſumpta in medicamentis alium cieant, teſtis in primis eſt Paulus Aegineta, qui libro vii. de ijs uerba faciens, ſic inquit. Myxa arboris fructus eſt, minor quidem prunis, facultate uerò conſimilis. Ex quibus Pauli uerbis elicitur, quòd ita uenirem molliant Sebeſtena, quemadmodum pruna. de quibus idem diſſerens eodem libro Galenum ſecutus: Pruni fructus, inquit, uentrem ſubducit, recens quidem magis, aridus uerò minus. Neq; huius rei neſcius Actuarius hæc pluribus commiſcet medicamentis, quæ bilem eiciunt, ut uidere eſt ſuo de compoſitione medicamentorum compendio. Eorum inſuper deiectionis alii facultatem maximè comprobant uulgaris experientia, clariffimum omnium lumen. Siquidem (ut iam millics expertus ſum) eorum pulpa drachmarum decem pondere deuorata, aut ad ſummum duodecim, eoſdem ſerè præbet effectus, quos Aegyptia ſiliqua caſſia uocata. His ergo rationibus, & auctoritatibus adducor, ut illam quoq; Fuchsij opinionem minus probem, quæ eſt, quòd electuarium de Sebeſten officinis dictum uentrem deiciat, non Sebeſtenorum facultate, ſed aliorum ſimplicium medicamentorum deiectionis ui prædicatorum, quæ ijs adduntur. Nam ſi id per ſe præſtant, ut oſtendimus, idem etiam alijs admixta præſtabunt. Quare, ut ingenuè dicam quod ſentio, non Fuchſius tantum, quem aliquin ſemper admiratus ſum, ut uirum doctiſſimum, & de medicina ampliſſime meritum; ſed plerique alij, nunquam adeò Græcis addicli eſſe deberent, ut prorsus à Mauritanâ familia deſciſcentes, nonnunquam & rationes, & experimenta, firma noſtræ artis, & ueritatis præſidia, cogantur deſerere. Sed ut eò noſtra reuertatur oratio, unde diuerſerat, dicimus auctoritatibus, & experientia freti, Sebeſtena deiectionis uim habere. Quocirca utiliter dantur ex bile ſcibricantibus,

ZIZYPHA.

Zizyphorum conſideratio.



Auicennæ de ſenſio contra Fuchſium.

atque (ut auctores ſunt Paulus, Aëtius, Psellus, & Actuarius) lingue aſperitatem mirificè leniunt: quin & pectori, atque tuſi opitulantur: uentris tuncas pellunt: urinae ardoribus à bile, uel ſaſa pituita prouenientibus maximam opem præſtant. Ceterum quoniam Sebeſtena nobis ZIZYPHA, quæ officinis Iuubæ dicuntur, in montem reuocantur, cum eorum Dioscorides uſquæ, quòd extet, meminerit, duximus non fore quidem ab re, hic id de eorum uiribus diſſerere, quòd à Galeno, qui ea Serica nominat (ſi tamen Serica eſſe Galeno Iuubas aſſerere liceat) libro xi. de alimentorum facultatibus proditur, ubi ſic ait. Ne his quidem, quid ad tuendam ſanitatē, morboſue proſtigandos ualeant, teſtis eſſe poſſum. Nam ab inſolentibus, ac eſſranatis pueris, & mulieribus cibo duntaxat expetuntur. Exiguum præbent alimentum, difficile concoquuntur: ideo ſtomacho non ſunt utilia. Eandem ſententiam ex ipſo Galeno ſumptam reddidit Auicenna, cui tantum illud addidit, quòd ea ad pectoris, atque pulmonis uitia conſerant, & quòd quidam (ut ferunt) cum maximè renum, tum etiam ueſicæ affectibus prodeſſe cenſeant. Verum quoniam (ut diximus) ſcribit Galenus, nullam ſe adinueniſſe in Sericis facultatem ad corporum aſſectus curandos, hinc capta occasione Fuchſius iterum digladiatur, honeſto quidem ſtudio, non modò cum Auicenna; ſed etiam cum cæteris Arabicæ familie auctoribus, aſſerens id omne, quòd de zizyphis Arabes ſuis monumentis commendant, omnino falſum eſſe, & à ueritate alienum. In quo tamen ſi uitiū aliquod Mauritanis adſcribendum eſt, illud quoque Græcis poſterioribus adſcribendum erit. Quandoquidem conſtat, Actuarium & Græcū, & medicum peritiſſimum ſuo de compoſitione medicamentorum uolumine, zizypha ad pectoris uitia compoſitis medicamentis compluribus admixcere, ubi ſcilicet ex calidiorum humorū redundantiâ morbus emerſerit: item eandem in his uſurpare, quæ bilem deiciunt. Quod & Nicolaum Alexandrinum in ſuis compoſitis medicamentis,

mentis, persæpe fecisse comperio. Ideoq; nil mirum, si ad hæc omnia prestare zizypha tradiderit Auicenna: namq; suo lentore, ac sua, qua agrè permeant, crassitie (ut rei ueritas adstruit) sanguinem crassum reddunt, qui flauæ bilis redundantia tenuior, quam par sit, redditur. Cum itaque tradat Auicenna, zizypha & pectori, & pulmone prodesse, non temerè quidem eum locutum esse crediderim (ut fortasse aliqui putant) sed illud ea ratione scripsisse, ut in morbis tantum calidis, & acutis intelligendum esset, in quibus medici utiliter zizyphis uti possint & debeant. Id quod eius uerba aperte indicant, cum dicat, quòd sanguinem incrassant. Neque enim erat Auicenna adeò ignarus, ut datis iam præmissis nesciret subinde conclusionem inferre. Sed certè pulchrum, atque tutum esse iudico, quòd quandoque cum mortuis luctemur. Et quoniam (ut sepe antea polliciti sumus) nulli medicorum scèta, nec huic magis, quam illi noster animus erit addictus, sed ueritati propagandæ, addam ex prædictis rationibus cum Auicenna, eos, meo quidem iudicio, labi, ac falli, qui zizyphis sanguinem expurgari, ac abstergi contendunt, quiq; ea ijs commiscet medicamentis, quæ pectoris affectibus frigiditate obortis parari solent, ut recentiorum nonnulli: qui zizyphis nulla eorum habita ratione ad quòduis pectoris uitium indifferenter utuntur, & plerunq; cum maximo egrotantium discrimine. Ceterum an Galeno Serica zizypha sint, dubitandum sanè fuerit, eion aliud Plinio fuisse reperiantur lib. xv. cap. xiiii. ubi sic habet. Aequè peregrina sunt zizypha & tuberes, quæ & ipsa non pridem uenere in Italiam. Hæc ex Africa, illa ex Syria Sextus Papinius, quem consulem uidimus, primus utique attulit, diu Augusti nouissimis temporibus in castrorum aggeribus sata, bacis similia, quam malis: sed aggeribus præcipuè decora, quoniam & tectam syluæ scandunt. Tuberum duo genera, candidum à colore Sericum dictum. Et libro xvi. cap. xxv. Ab anygdala, inquit, proximè florent armeniaca, dein tuberes, & præcoces: illæ peregrinæ, hæc coactæ. Item libro xvii. cap. x. Et zizyphæ ait, grano seruntur mense aprili. Tuberes melius inferuntur in pruno syluestri, & malo cotoneo, & in calabrice, ea est spina syluestris. hæc Plinius. Columella tamen tuberum nisquam, quod legerim, meminit, sed zizyphorum libro ix. cap. iiii. duo tradidit genera, quòd harum floribus maxime delectentur apes, nempe rutilum, & album. Quo fit, ut suspicandum sit, Plinij codicem hoc in loco deprauatum esse. Illud suspicionem auxit, quòd inter Arabes Auicenna, & inter Græcos recentiores Symeon Sethi, duas zizyphi species scriptis mandauerint, & quòd tamen in Plinio una tantum legatur zizyphus. Verùm cum Actuario, Nicolao Myrepsico, & Symeoni Sethi ζίζυφα, ζίζυφα, καὶ ζιτζίφα (tot enim modis scripta inueniuntur) ea esse uideantur, quæ Galeno serica, eademq; Auicennæ, Serapioni, alijsq; pluribus Mauritanis, mihi quidem statuendum uidetur, Galeno serica non aliud designare, quam zizypha. Ex his præterea omnibus maximum esse argumentum crediderim, in Plinio hic subesse mendam, & illi de zizyphis id adscribendum esse, quod de tuberibus deprauatè fortasse legitur. Fructus pruni, qui κοκκύμηλα Græcis, Pruna Latinis appellantur: Arabibus, Anas, Auas, seu Agias: Italis, Prune, & Succine: Germanis, Praumen, Pflaumen, & Kriechen: Hispanis, Prunas, Andrinas, & Amexas: Gallis, Prune. Fructus uerò, qui Græcis recentioribus, μύξα, μύξα, καὶ μύξαια, Latinis similiter Myxa, & Myxaria, atque etiam Sebestena Mauritanorum imitatione dicuntur: Arabibus, Sebesten, Motheica, Muleita, & Mokaita. Vulgo & officinis, Sebesten: Gallis, Sebeste. Fructus præterea, qui item recentioribus Græcis ζίζυφα καὶ ζιτζίφα, & Galeno σπύρα, Latinis Zizypha uocantur: Arabibus, Hunen, Zufalzel, seu Hanab: Officinis, Iuiubæ: Italis, Giuggiole: Germanis, Rotburstbeerle: Hispanis, Azufcisa: Gallis, Iuiubes.

Nomina.

ARBVTVS.



Κόμαρος. ARBVTVS. CAP. CXXXVIII.

ARBVTVS, siue vnedo, arbor est cotoneæ malo non dissimilis, tenui folio: cuius fructus pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo. huic memæcylo cognomen est. Maturus aut flauet, aut rubescit: in esu acerofus, stomacho aduersatur, capitisque dolorem mouet.

ARBVTVS in Hetruria frequentissima prouenit, ubi uel per hyemem perpetuis uirescit frondibus. Hæc etsi Dioscoridi reddatur malo cotoneæ adsimilis, magis tamen putauerim, ab eo arboris proceritatem representari cotoneæ, quam folia, & caudicis corticem. Vel deprauatus fortasse (ut magis suspicor) est hoc in loco Dioscoridis codex: quandoquidem Serapio, Dioscoridis ipsius testimonio, Arbutum non describit in uniuersum cotoneæ malo similem, sed eam tantum proferre folia malo cotoneæ minora. nec scribit tenuia habere folia, ut uulgata habet Dioscoridis lectio. Siquidem, ut palàm est, Arbuti folia in-

Arbuti consideratio.

o 3 sunt

sunt laurinis, & iligneis crassiora. Meminit Arbuti Theophrastus libro 111. cap. XVI. de plantarum historia, sic inquiens. Arbutus, quæ pomum cibo idoneum ferat, magnitudine non nimium præstat: corticem tenuem, tamarici similem habet, folium inter ilicem, & laurum: floret mense iulio. Flores singulari appendice parte postrema racematim coherent, specie quisque myrto oblongo similis, & magnitudine tantus: non foliatus, concavus, tanquam ouum exalptum, ore aperto. cum autem defloruerit, retinaculum perforatur: quodq; defloruerit, tenue, sicut uerticillus circa fustum. Fructus anno integro maturefcit, ut simul hunc haberi, atque alterum flore sponderi contingat. hætenus Theophrastus. Quæ in Hetruria nascitur, folia profert laurinis, iligneisue similia, breuiora tamen paulo, crassioraq; colore potius pallido, quam uiridi, in ambitu ubique ferrata, rubra per medium excurren- te. Caudex cortice uestitur subrubro, aspero, squamosoq; a quo rami prodeunt rubentiores, ac leuiores. Floret mensibus iulio, & augusto, floribus candidis, paruis, lilij conuallij uocati figura, racematim dependentibus. E quibus fructus gignuntur rotundi, sorborum ferè magnitudine: qui primo exortu uirent, deinde flauescunt, maturi uerò rubent, aspero tactu, nullo intus osiculo, fragorum modo, quorum etiam effigiem referunt. Sapor his insipidus, simul & austerus: quinciam dum eduntur, linguam, & palatium stimulant acerosa quadam substantia, qua exterius conteguntur, ita ut planè acerosi uideantur. His maxime delectantur turdi, & merule. Quo fit, ut hyeme, quo tempore ipsa poma maturitatem sentiunt, eiusmodi aues inibi laqueis, retibus, alijsq; aucupij generibus facile capiantur. Arboris folia coriarijs expetuntur. Sunt qui credant, arbutum maximam opem præstare aduersus pestem. Quamobrem aquam, quæ ex folijs extracta sit, admisto osse in cerui corde reperto, ubi statim morbus inuasit, magno (ut ipsi aiunt) iuuamento ægrotantibus exhibent. Arbuti meminit Galenus libro V11. simplicium medicamentorum, ubi paucis inquit. Arbutus arbor ipsa qualitate acerbâ unâ cum fructu est. eum memolum nuncupant. Est autem hic, & infensus stomacho, & capiti dolorem inferens. Huius arboris nomen Græcum est ἄρβυκος: Latinum, Arbutus: Arabicum, Hatiladib: Italicum, Albatro: Hispanis, Madronho, aut Madromeiro: Gallis, Arbouces.

Arbuti usus, & uires.

Nomina.

Ἀμυγδαλαί.

AMYGDALAE.

CAP. CXXXIX.



Amygdalorū consideratio.

Amygdalorū uires ex Gal.

AMYGDALAE tam dulces, quam amaræ fructus sunt ubiq; uulgò notissimi. Differunt tamen inter se: nam amaræ maiore excalfaciendi, exiccandiq; facultate præditæ sunt, quam dulces. quo fit, ut etiam dulcibus longè præferantur ad crassos, pituitososq; humores expectandos. Galenus dulces paucis perstringens libro 11. de alimentorum facultatibus, sic inquit. Amygdalæ nihil prorsus adstrictoriæ facultatis sortitæ sunt: sola enim extenuandi, atque abstergendi uir pollut: qua tum uiscera purgant, tum humorum è pulmone, ac thorace exereatus moliantur, ac promouent. Et de utroque Amygdalarum genere differens libro V1. simplicium medicamentorum, primò amaras, deinde dulces profequitur his uerbis. Amygdala, quæ quidem palàm amara sunt, omnino extenuandi uim possident: quod & qualitas ipsa indicat, & experientia comprobat. Ac de amara quidem qualitate in quarto horum commentariorum proditum est. Ceterum duo experientiæ exempla proponi

AMYGDALAE amaræ radicum tritarum decoctum uitia cutis in facie corrigit. Illitæ nuces idem munus præstant: menses admotæ ciunt: capitis dolori auxiliantur, illitæ fronti, aut temporibus cum aceto, uel rosaceo: epinyctidas sanât ex uino: item putrescentia ulcera, & quæ serpunt, & morsus canum cum melle. Earum autem esu dolores finiuntur, aluum emolliunt, somnum faciunt, urinam cient: contra sanguinis reiectiones cum amylo, † & mentha assumuntur: renum uitijs, & pulmonum inflammationibus ex aqua in potu, aut eclegmate cum resina terebinthina dantur: calculosis, difficilique urinæ in passo auxiliantur: & illinctu cum melle, & lacte hepaticis, tussi, & inflationibus coli, nucis auellanæ magnitudine. quinis, septenisue præsumptis, ebrietatem non sentiunt potores. Vulpes si cum quadam esca eas uorauerint, emoriuntur. Gummi eius calfacit, & adstringit: reijcientibus sanguinem, potum auxilio est: impetigines, quæ summum corpus occuparunt, illitum cum aceto tollit: tussi uetustæ cum diluto uino potum medetur: calculosis cum passo bibere prodest. E' nucibus Græcis, dulces cibo idoneæ, sed multò minus ualent in remedijs, quàm amaræ: attamen extenuant, urinam ciunt. Recentium seu cum suo putamine, humida stomachi uitia emendantur.

50

proponi satis est, unde uim eorum possis discere. Siquidem ephelin expurgant, & excretionibus ex pectore, pulmoneq; crassorum, lentorumq; humorum impendio conferunt. Porro hæc ostensa sunt genere quidem incidentis, specie uero extergentis esse facultatis. Quin & quod per accidens facultatem item habeant ab obstructione liberandi, & ipsum supra demonstratum est, sed & experientia monstrat: nam in iecore crassorum, uiscosorumq; humorum in extremis uasis impactorum obstructiones abunde expurgant, expediuntq;. Quin & laterum dolores ab huiusmodi causa natos, & lienis, & coli, & renum sanant. Porro & ipsa arbor uniuersa similem sortita uim est. Nam huius radices coctæ, atque illitæ ephelas purgant. Quotquot uero sunt amygdala dulcia, & ipsa leuiculam amaritudinem possident, quæ tamen dulcedine superante occultatur: ceterum id temporis spatium clarum fit. Demonstratum autem retrò est, qualitatem dulcem moderatè esse calidam. hæc Galenus. Amygdale, ut Theophrastus, & Plinius prodidere, ex amaris dulces fiunt, si circumfisso stipite, & ab ima parte circumforato, destuens undique humor abstergatur. Et contrà, dulces amarescunt, si primo germinatu tenellæ arbores à pecore decacuminentur. Amygdale (ut etiam tradidit Galenus) non multum suppeditant alimenti: quanquam eis plerique utuntur & ad roborandam uenerem, & ad reficiendas uires. Hæc ut Græcis ἀμυγδαλα, ita etiam Latinis Amygdale uocantur: Arabibus, Lauz, Kauz, seu Lauzi: Italis, Mandorle: Germanis, Mandelkern: Hispanis, Almendras: Gallis, Amandes.

Nomina.

† In uulgatis Græcis exemplaribus hic non legitur καὶ ἄνθος μῦον, id est, & mentha. Verùm dictionem hanc uertit Marcellus ex antiquis codicibus, quos habuisse testatur. eam quoq; & Oribasius, & Serapio ex Dioscoride transcribunt. Quæ ut ueræ Dioscoridis lectioni adstipulantur; ita hoc loco mentham addendam esse putauimus.

20 ΠΙΣΤΑΚΙΑ. PISTACIA. CAP. CXL.

PISTACIA, quæ constat in Syria gigni, pineis nucibus similia sunt, & stomacho amica. Trita cum uino contra serpentium ictus profunt, siue edantur, siue bibantur.

PISTACIA. STAPHYLODENDRON.



PISTACIA, quorum est communis in officinis usus, ex Syria Venetias importari solent. Quæ & Syria (ut Plinius auctor est) Lucius Vitellius censor in Italiam primus intulit, cum legatus in ea prouincia fuisset, nouissimi Tyberij Cesaris temporibus. Horum arbores Venetijs, Caietæ, Neapoli, & in alijs Italiae locis uidimus, folijs lentisci maioribus, colore ex uiridi in luteum inclinante, ac eodem ordine extremis ramusculis emergentibus, e quibus racematim suis quæq; pediculis pendent pistacia. Hæc (ut libro 11. de alimentorum facultatibus scriptum reliquit Galenus) parum præbent alimenti; tametsi infarctas humore iocineris uias expediunt, & à uitijs liberent. Porro an stomacho noxia sint, an utilia, an aluum molliant, an adstringant, nullum huius rei certum habere testimonium scribit

Pistaciorum confid.

Pistaciorum uires ex Gal.

scribit Galenus. Cuius sententiæ refragatur Auicenna, qui eum palam, & nominatim Galenum refellere nollet, libro secundo hac dicendi ratione utitur, his ferè uerbis. Inquit quidam, non inuenio, quòd Pistacia stomacho profint, aut sanè officiant. Ego autem dico, quòd nauseam discutiunt, & uentriculi os roborant. Argumento est subamara, subausteraq; qualitas, quæ gustu in ijs deprehenditur. Hac igitur ratione fructi medicorum nonnulli, non modò ad iocineris infarctus Galenum secuti pistacia exhibent; sed ad iecur ipsum, uentriculumq; roborandum, ea tam cibis, quàm medicamentis immiscent. quin & ad conciliandam uenerem, & ad pinguedinem inducendam macie, & marasmo affectis commendant. Quibusdam in locis pistaciorum syluestrium nomine appellantur cuiusdam arboris fructus, quam Plinius libro, & capite XVI. STAPHYLODENDRON nominat, etsi à pistacijs effigie, & sapore plurimum distideant. Planta hæc humilis est, folio sambuci, materie admodum imbecilli, floribus albicantibus, racematim dependentibus, quemadmodum & fructus: qui folliculis prouenit, rursò colore, ciceris effigie, maior tamen: in quo subirens nucleus includitur, sapore dulcis, sed nauseam commouens. Sapore pistacijs similes sunt Pineti nuclei, qui in strobilis includuntur. Hi enim (ut loco citato tradidit Galenus) corpus alunt, bonum procreant succum, sed crassum; tamen si ægrè concoquantur. Verim, si Auicennæ etiam credimus, digerunt, leniunt, resolunt, ac impinguant. Profunt præterea pulmonum uitijs, purulenta excreantibus, & tussi molestatis: sed priusquàm edantur, aqua calida macerare eos oportet, alioquin uentriculum lædunt. Semen augent, & uenerem excitant. Renes, & uescicam non modò expurgant; sed etiam roborant, eorumq; ulcera prohibent. Vrinæ stillicidio opem mirificè præstant. Quam ob causam strobilini nuclei apud recentiores medicos in frequentissimo habentur usu ad huiuscemodi affectus. Quæ nucs Græcè ΠΙΣΤΑΧΙΑ, Latine quoq; Pistacia, & Pistacea appellantur: Arabicè, Pistech, aut Feastuch: officinis & Barbaris, Pistici: Italis, Pistacchi: Germanis, Vuelsch Bimpernuszlun: Hispanis, Alhocigo: Galis, Pistaches.

Staphylo-
dron.

Nuclei pinei
uires.

Nomina.

Κάρυον βασιλικόν. NVX IVGLANS. CAP. CXLI.



Nucum Iu-
glandiū con-
sideratio.

Iuglandiū ui-
res ex Gal.

NV CES Iuglandes, quas nonnulli Perficas uocant, sunt difficiles concoctu, stomacho inutiles, biliosæ, capitis dolorem inferentes, tussientibus inimicæ: uomituris tamen ieiunis in cibo aptæ. Cum ruta uerò, & caricis præsumptæ, & à summo cibo, uenenis resistunt, nec minus si à ueneni hauustu comedantur: largius esitata, tineas latas pellunt: illinuntur mammarum inflammationi, abscessibus, luxatisque, cum mellis exiguo, & ruta: cum cepa autem, sale, & melle, canis, hominisque morfui proficiunt: tormina, cum calyce suo perusta, & umbilico admota, sedant. Putamen combustum, tritumque in oleo, & uino, infantium capite peruncto, nutrit capillum, alopecias replet. Siftunt menses nuclei usti, si triti ex uino admoueantur: iisdem è ueteribus illiti carbunculis, gangrænis, & ægilopijs medentur: alopecijs commanducati, & impositi præsentis sunt remedio.

Nucibus tussis oleum exprimitur. Recentiores stomacho innocentiores sunt, utpote suauiore: itaque allio mistæ eximunt acrimoniam. liuores in corpore illitu tollunt.

NV CES Iuglandes, quæ in communi sunt usu, itemq; arbores, à quibus eduntur, omnibus uulgo in Italia notiores sunt, quàm ut à nobis representari debeant, cum nulla arbor Nucubiq; frequentius occurrat. Hæc Latine Iuglandes, quasi Iouis glandes interlitis literis appellantur. Quo nomine primo mundi æuo eas appellatas esse, plures tradidere auctores. Quippe cum homines primùm glandibus tantùm diu uictitassent, inuenta tandè arbore, quæ nucs ferebat, degustato nucleorum sapore, horumq; dulcedine mirum in modum allecti, nucs Iouis glandes ob excellentiam appellauere. De ijs differens Galenus libro VII. simplicium medicamentorum, ita scriptum reliquit. Nucis arbor tum in folijs, tum in germinibus adstrictionem quandam possidet: cæterum euidentem, multamq; in nucis putamine recenti pariter & secò. proinde eo tinctorum quoque uti solent. At nos eius expressi succo similiter, ut mororum, & ruborum in melle decocto, uice stomachici medicaminis utimur, & ad omnia reliqua adhibemus, ad quæ modò dicti succi conuenire censentur. Porro nucis ipsius id, quod edendo est, oleosum est, & tenue: itaq; ob id etiam facile exprimitur, & quò diutius reconditum fuerit, magis tale efficitur. Quamobrem oleum ex eo inueterato exprimere liceat. Tunc sanè admodum fit per halitum euaporatorium. Itaque quidam eo gangrænas, & carbunculos, & ægilopas sanant, ac nonnulli ad νευρότρωτα, hoc est, neruorum uulnera utuntur. Et libro II. de alimentorum facultatibus sic inquit. Habet Iuglans & adstringentis qualitatibus non exiguum, quæ temporis processu marcescit, degenerante tota eius substantia in pinguem succum, adeò ut cibo prorsus fiat inidonea, quòd ueteri oleo, sua pinguitudine

Iuglandiū ui-
res ex Gal.
Iuglandiū ui-
res ex Gal.
Iuglandiū ui-
res ex Gal.

dine adstilis appareat. Viridis autem, atque etiamnum humida, neq; adstringentis qualitatis, neq; oleosae conspicue est particeps; sed magis est quodammodo & ποικη, id est, qualitatis expers: quod saporis genus aqueum (ut dixi) uocare consueuimus. Iuglans facilius, quam auellana concoquitur, stomachoq; utilior est, & multo magis, si una cum caricis edatur. Proditum autem est a plerisque medicis, si ambo haec cum ruta ante alios cibos sumantur, hominem non magnopere a lethalibus pharmacis laedi posse. Constat praeterea humiditas deiectioni magis, aridas uero minus conuenire. Non pauci quoque cum garo iuglandes praesumunt, uentris subducendi gratia. Ad hoc autem uirides aptiores sunt, utpote quae adstringentis qualitatis minus participes sunt. Quin & aridarum quoq; ubi prius in aqua fuerint maceratae (ut nonnulli faciunt) similis, ac uiridium facultas habetur. haec Galenus. Caterum Iuglandes uirides de-

20 maccho utiles euadunt, & ori non ingratae. Sed quoniam sermo nobis est de nucibus, cum Dioscorides, Galenus, ac caeteri posteriores Graeci de Indicis, Myristicis, Metellis, ac Vomiceis nihil, quod constet, memoriae prodiderint, haec ea non dissimulanda putauimus, neq; alienum duxi recensere, quae de ijs ex Mauritanorum monumentis, & recentiorum quorundam historijs sum consecutus. Sed primo de Indicis dicamus. Nuxes igitur INDICAE myropolijs omnibus uulgatissimae, fructus sunt arboris cuiusdam (ut Mauritani auctores sunt) palmae effigie, praegrandes, magnorum melonum instar, ab arbore dependentes: namq; magna inuolucrorum mole obteguntur. Cortex ijs exterius colore coest in atrium rufescente, subdurus, tenax, callosusq;: intus uero uillosa materie compactus, quae manibus extrita in capillamenta fatiscit. Subtus est putamen triquetrum, uillosum, barbatumq;, cornu instar praedurum, eiusdem ferè coloris nucleum continens, oui asserini magnitudine, intus concuum: substantia illi pinguis, crassitudine semidigitali, diuiscula, tenax, callosaq;, albicans, sapore dulci, butyrum referens, tenui sed aspero oblecta cortice, putaminis colore. Probantur recentes, eaq; praesertim, in cuius concauitate liquor quidam dulcis includitur: siquidem hoc argumento recentiores facile cognoscuntur. Excalfaciunt secundo abscessu, humectant uero primo. In cibis sumptae, etsi noxium admodum succum non gignant; uentriculo tamen laborem inferunt: semen augent, & uenerem excitant. Oleum, quod e nucibus Indicis exprimitur, utiliter haemorrhoidibus inungitur, oleo praesertim admixto, quod e persicorum nucleis elicitor: per se illitum lumborum, & genuum dolores mulcet, & uentris animalia pellit. Quod uero recentes nuxes pressae stillauerunt oleum, densum est, candidum, & pingue: in summa substantia, qualitate, sapore, ac deniq; facultatibus butyro non dissimile, sed longe melius subministrat alimentum. Nux Indica laetore sagina corpora reficit. Idcirco strigosas mulieres mirum in modum impinguat, & ad crassitiam reducit. haecenus de Indicis.

Iuglandes co- ditae.

Nucis Indice confid.

Oleum ex nucibus Indicis.

Nucis Myristicæ confid.

NUX MYRISTICA.

30 His succedunt MYRISTICAE, quae uulgo officinis ob odoris praestantiam Muscatae, quasi moschatae dicuntur. Haec (ut referunt ij, qui Indica litora perlustrarunt) proueniunt copiosissime in insula quadam nomine Badan: ibiq; eas proferunt arbores quaedam nostratibus persicis haud absimiles, angustioribus tamen folijs, ac breuioribus. Haec post foliorum germinationem, florem statim emittunt, quem Macim Arabes uocant. Panditur is syluestrium rosarum modo: e cuius medio nux erumpit, & processu temporis perficitur, & ubi maturitatem senserit, macis rosarum instar, expansus eam circumplectitur: quam postea suo tempore cultores legunt certatim, & quam quisque potest uberius, quonia sunt ibi omnia communia. Arbores absq; cultu, suppeditante tantum natura, suos fructus edunt. Myristicae nuxes suo maci, tanquam rete comprehensae, Venetijs in officinis quam plurimis uisuntur, duro putamine concluse, auellanae modo, colore subnigro: quo fracto compactilis subest globulus, nucleus uice, & is est nux Myristica, quam usitare solemus. Praesertim recentes, quae nullam praesenserint carie: item ponderosae, farctae, praepingues, humore redundantes, ita ut adacta acu confestim e uulnisculo exeat humor. Siccant (ut Mauritani scribunt) & excalfaciunt ordine secundo completo. Adstringunt, oris suauitatem commendant, & foetentis animae uirus commansae abolent: lentigines in facie emendant, uisum aciunt, uentriculum & iecur roborant: lienem absimunt, urinam ciunt, fluentem aluum sistunt, flatus discutunt, & frigidis uteri affectibus mirifice prosunt: & ut in uniuersum dicam, facultas eis eadem, quae & caryophyllis. E recentibus prius contusis, & in cacabo calefactis praelo exprimitur liquor, qui refrigeratus cere nouae instar concrescit, fragrantissimum spirans odorem, neruorum & articulorum diuturnis doloribus a frigore excitatis utilissimus: quin & ueneris inunctionibus maxime expetitur. Myristicas nuxes ueteribus Graecis igno-

Myristicarum uires.



40 50 tas fuisse illud sidem facit, quod Theophrastus, Dioscorides, & Galenus earum, quod in suis monumentis legerim, nusquam meminerunt. Quare & hic quoque asserere non dubitauerim, macerem (ut in eius mentione diximus) Dioscoridi, & Galeno myristicae nuxis florem esse nequaquam. Nam si ad eos floris cognitio peruenisset, ueri quidem simillimum

Nuces uomi
ca, & metelle.

Multorum er
ror.

Fuch. lapsus.

Anacardij mē
tio, & uires.

Nomina.

millimum est, quod etiam fructus notitiam habuissent : quos, certo scio, ob suas admirabiles facultates, & nature doctes nunquam scriptis dissimulassent. Præter odoratas, eas etiam nucem memorant Mauritaniam, quas VOMICAS, & METELLAS uocant. Sed tam officinæ, quam medicorum uulgius has magno errore confundunt, quod plerunq; legitimas uomicas metellarum loco usurpent, & contra metellas nonnunquam uomicarum uice. Nam Vomicas quidem eas appellant errore ducti, quæ lupinorum instar compressæ sunt, & tenui quadam lanugine contextæ, quarum esu canes necantur. Metellas uero, quæ nonnihil extuberantes, quibusdam nodis, ueluti paruis oculis, per ambitum sunt refertæ. At eorum lapsus facile deprehendi potest Serapionis testimonio, qui Abrahami auctoritate reddidit nucem Vomicam colore inter glaucum, & album, auellana paulo maiorem, nodosamq;. Quibus notis eas esse præditas constat, quas seplasiariorum uulgius metellas appellat, quæ nullo modo respondent legitimis metellis à Serapione descriptis, his uerbis. Nucis metellæ arbor, uomicæ arbori non dissimilis, fructum gerit mandragoræ, oleosum, hirsuto cortice, sapore non inuicundo. Quæ notæ perspicuo adstipulantur ijs, quas Vomicas nuncupant: eæ siquidem corticem habent hirsutum, oleosæ sunt, & gustui non ingrata. quin & facultatibus, non autem notis (ut quidam falsò existimant Serapionem intellexisse) mandragoræ fructus referunt, cum auctore Serapione, quarto refrigerent excessu, ita ut drachmarum duarum pondere esitata interimant, minore uero mensura temulentiam faciant. Quos quidem effectus præstare uidemus non modo in canibus, sed etiam in hominibus, quibus hæc data fuerint, quas uomicas esse contendunt. siquidem Serapio de Vomicarum facultatibus differens, nullam lethalem uim eis adscribit, sed quod tantum duarum drachmarum pondere cum anethi decocto, uel sale haustæ, mirifice uomitum eliciant. Quamobrem dixerim ego, illas, quibus callosa tubera super eminent, nodiq; uisuntur, oculorum fræ instar, legitimas esse uomicas: metellas uero, quæ pressæ, & hirsutæ canibus necandis aptissimæ habentur. Cæterum nesciuerim ego, quæ ratione ductus Leonartus Fuchsius ultimo libello, ubi tantum stirpium imagines in exiguum formam contraxit, dixerit nucem metellas hispidos esse fructus peregrinæ illius plantæ, quam antea magno uolumine Stramoniam uocauerat. Quod prorsus reclamare uidetur Mauritaniorum sententiæ, à quibus harum historias accepimus. Sed quoniam scribenti mihi de Nucibus omnibus ANACARDIA sese obtulere Græcis ueteribus ignota, cum & ipsa in officinarum usu expetantur, de eis quoq; uerba facere ex Arabum testimonio, non quidem ab re fore duximus. Sunt igitur Anacardia (ut testis est Serapio) fructus cuiusdam arboris auicularum corculis non dissimiles, unde & nomen, colore etiãnum cordis modo rufescente, cum scilicet ab arbore decerpuntur. Inest ijs liquor mellis crassitie sub cortice residens, sanguinis modo rubicundus, sub quo est & nucleus parue amygdalæ effigie. Nascuntur in Sicilia montibus, qui continue igneas eructant flammæ. Excalfaciunt, & exiccant tertio excessu. Præstat in medicina liquor; etsi myropole communi errore & cortice, & nucleo utantur. Anacardia (ut aiunt) labantes reuocant sensus, memoriæ iacturam refarciunt, & nervorum, & cerebri affectibus, quos frigida causa attulerit; auxiliantur: nihilominus sanguinem exurunt, & cutim ulcerant. Quare Anacardia iuuenibus noxia sunt, cum & adurant, et deleteria facultate non uacent: cui tamen remedio est lac affatim potum, & oleum ex eorum nucleis expressum.

NUCES AVELLANAE.



Hactenus de uarijs nucibus, nunc earum nomina sunt nobis reddenda. Nucis communis usus Græci uocant κάρυα βρασιλικά: Latini, nucem Juglandis: Arabes, Ieuz, Leuz, aut Giauzi: Itali, Noci: Germani, Nussen, & Vuelschnusz: Hispani, Nuezes: Galli, Noix. Nux uero, quæ ex India deferitur, recentioribus Græcis κάρυον Ἰνδικόν appellatur: Latinis, Nux Indica: Arabibus, Neregil, Dabig, seu Giauzi alhend: Italis, Noce d'India: Germanis, Indianisch nusz: Hispanis, Nuez de las Indias: Gallis, Noix d'Indie. Nux deinde, quæ μωσχοκάρυον, μωσχοκάρυον διον, κάρυον μυρισικόν, ἢ κάρυον ἀρωματικόν Græcè, Nux myristica, aut Nux moschata Latine dicitur: Ieuzbaue, Iusbaue, seu Giauzi ban, Arabicè: Noce moscada, Italicè: Muschat nusz, Germanicè: Nuez de especie, Hispanicè: Nois muscades, Gallicè. Nux præterea, quæ Arabibus Leuz alkei, seu alke, officinis ac Barbaris Nux uomica, & Italis Noce uomica nominatur. Nux deniq; Arabica uoce Leuz alrachaba dicta, Latina Nux metella: Barbara, Nux metel: Italica, Noce metella nuncupatur. Quod autem κάρυα ἀπείδιον Græci, Latini item Anacardiu dicunt: Arabes, Baladar, seu Beladur: Hispani, Anacardo.

Κάρυα ποικιλία. NUCES AVELLANAE. CAP. CXLII.

NUCES auellanae, quas & leptocarya uocant, stomacho infestæ sunt: ipsæ tamen trita, & in aqua multa potæ, tussi veteri medentur: tosta, & cum exiguo piperis potæ, destillationem concoquunt. Crematarum cinis cum axungia, aut adipe urfi perunctus, alopecij capillum reddit. Aiunt nonnulli uista earum putamina,

tamina, & in cineris speciem redacta, cum oleo, caesiorum oculorum pupillas infantibus denigrare, perfuso sincipite.

AUPELLANAE nuces ideo Graecis Ponticae dictae sunt, quod in Graeciam (ut Plinius inquit) e Ponto primum allatae fuerunt. In Italia tamen & in urbanarum, & in syluestrium genere numerosae reperiuntur. Ceterum ex domesticis aliae oblongae, aliae rotundae sunt: ueruntamen oblongas & praestantiores, & gustui gratiores esse constat; & illae praesertim, quae putamine uehementer rubent, & fractu minime sunt contumaces, quales sunt Vicentinae. Oblongae serius maturitatem sentiunt, celerius uero rotundae. quapropter illae uetiori sunt nucleo, diuque perdurant. Syluestribus coryletis fere innumeris scatent Tridentini montes, quae oblongas pariter, & rotundas largiuntur nuces, tanta ubertate, ut eas rura saccis legant, ubi maturitatem senserint. Auellanae (ut memoriae prodidit Galenus tum libro VII. simplicium medic. tum secundo de alimentorum facultatibus) plus habent essentiae terrestri, ac frigidae, quam Iuglandes. quin & plus praebent alimenti: siquidem densiores sunt, & minus pingues. Dioles auctor est, Auellanas nuces minus amygdalis alere, cibus in uentriculo supernatare, largius esitatas caput tentare; innocentiores tamen esse uirides, quam aridae. Nuces, quae καρύνα ποικιλία, καὶ λεῖπονάρυνα Graecis, Latinis Nuces Ponticae, nuces Praenestinae, & nuces Auellanae dicuntur: Arabibus, Agileuz, seu Bunduch: Italis, Nocciuole, Auellane, & Nocelle: Germanis, Haselnusz: Hispanis, Auellanas: Gallis, Noyssette, & Melline.

Auellanarum confid.

Auellanarum uires ex Gal.

Nomina.

Μορέα. MORVS.

CAP. CXLIII.

MORVS arbor nota est. Cuius fructus aluum solui, stomacho inutilis est, & facile corruptionem sentit. Hoc idem praestat mori succus: decoctus autem aereo uase, atque insolatus, adstringentior redditur. Facit ad fluxiones, nomas, & tonsillarum inflammationes, addito mellis exiguo. Sed inolefcit uis eius adiecto scissili alumine, galla, croco, & myrrha: item myricae femine, iri, & thure. Immatura mori poma siccantur, tusaque acinorum rhois vice, obsonijs miscentur, ut coeliacos iuuent. Radicis cortex decoctus in aqua, & potus aluum resoluit: latas ventris tineas excutit: his quoque auxiliatur, qui aconitum hauserunt. Folia trita ex aceto illita, ambustis igni medentur: tinguntque capillum, vitium, & fici nigrae frondibus simul coctis in aqua caelesti. Succus foliorum cyathi mensura potus, contra phalangiorum morsus auxilio est. Feruefacti corticis, & foliorum iure, dentes aptissime in dolore coluuntur. Radix circiter messem incisa, facto in ambitu scrobe, succum emittit, qui postridie concretus inueniri solet. Is in dolore dentium efficax est: tubercula discutit, & aluum purgat.

EST ET Mori utrunque genus album, & nigrum passim uulgaris notitiae in Italia; praecipue his in locis, ubi bombyces sericifici aluntur. Constat alba mororum poma adstringentem facultatem longe minorem, quam nigra esse adeptae (etsi Dioscorides, & Galenus alborum non meminerint) ex multa & perspicua, sed paululum insipida dulcedine, quae gustatu deprehenditur: siquidem in maturis nulla adstringendi uis plane percipi potest.

Mori confid. ratio.

Mori uires ex Gleno.

Morus nouissima urbanarum germinat, foliaque emittit: eaque propter ueteribus dicta fuit arborum sapientissima.

MORA (ut prodidit Galenus libro VII. simplicium medicamentorum, item secundo de alimentorum facultatibus) matura quidem uentrem subducunt, immatura uero ubi aruerint, admodum restringunt. Itaque ad dysenterias accommodata sunt, item ad coelias, & quascunque alias fluentes affectiones. Porro quod maturorum succus ad oris medicamenta sit utilis, propter eam uidelicet, quae inest illi, adstrictionem, neminem latet. Praeterea ad alia complura particularia, quae mediocrem exposcunt adstrictionem, competit. At immatura mora praeter acerbicatem, sortita sunt & aciditatem, & tota adeo arbor in omnibus suis partibus mistam aliquam uim obtinere uidetur, ex restringente, & purgante compositam. Attamen in radicis cortice purgatoria cum quadam amaritudine exuperat, adeo ut & latas interaneorum tineas perimat. In alijs autem partibus restringens uincit; in folijs tamen, & germinibus quodammodo media utrisque temperies est. Mora ubi primum mansa fuerint, ingesta citissime transeunt, & alijs cibus suo ueluti ductu uiam struunt. Verim secundo loco sumpta, celerime alijs unum cum cibus corrumpuntur: id quod etiam faciunt, si cum eduntur, prauo in uentriculo humori occurrant. Quod si corruptionem non sentiant, corpus quidem humectant, sed non plane refrigerant, nisi actu frigida assumantur. Paucissimum ministrant alimentum similiter atque pepones;



Serici mētio, & uires.

pepones; haud tamen uomitum cient, nec stomacho, ut illi aduersantur. De Moris autē, quæ rubi ferunt, lib. III. in Ruborum commentatione, Deo fauente, latius differemus. Sed quoniam mori folijs & uescuntur, & aluntur uermiculi, qui admirabili naturæ spectaculo nobis SERICVM uellus conficiunt, quo recentiores medici in his, quæ cordi conueniunt, medicamentorum compositionibus utuntur, ut, quantum per me fieri potest, omnibus rei medicæ studioſis fiat satis, ea de Serici uiribus hic perstringam (quandoquidem non inuenio e ueteribus Græcis, qui de hoc quicquam prodiderit) quæ Auicenna posteritatis memoriæ commendauit tractatu, quem de uiribus cordis inscripſit. Sericum itaq; (eodem auctore) mirificè exhilarat. qua in re crudum eo longè præstat, quod ignem fuerit ex-pertum; tametsi coctum quandoque in usum ueniat, uerum antequam in insectorum cortinis immersum inficiatur. Excalfacit sericum, resiccataq; ordine primo: exiccat, & attenuat ea naturæ dote, ut cor recreet, letumq; efficiat. Quapropter laxat, firmat, purificat, & illustrat spiritus. neque eius facultas uni tantum assignatur spirituum ge-neri in una tantum dispositione; sed ei proprium est, omnibus æquè spiritibus opem ferre, ita ut spiritus tam uitales, & animales, quàm naturales reficere ualeat. Cæterò quanuis negauerit Auicenna decoctum sericum, & fullonum coloribus imbutum in medicos uenire usus; Mesues tamen in eo serapio, quod de pomis inscribitur, id sericum admit-tit, quod cocco legitime sit infectum. Idq; similiter inserit in ea medicamenti compositione, quam Alchermes, ipse nuncupauit. Arbor, quæ μογέξ, ἢ συκομορος Græcè, Latine MORUS appellatur: Italice, Moro. Eius fructus Græcis συκομύρον, Latinis Morum dicitur: Italis, Moro. Arabes utrunque Tut, seu Thut nominant: Germani, Maulberbaum, & Maulber: Hispani, Moras del moral: Galli, Meurier & Meure.

Nomina.

Συκομορος.

SYCOMORVS.

CAP. CXLIII.



Sycomori hi- stor. ex Theo- phraſto.

Sycomori mē- tio ex Gal.

SYCOMORVM, aliqui etiam fycaminū, id est, mo- rum, vocant, cuius fructus fycorum etiam, propter inefficacem gustum, appellatur. Arbor est magna, fico si- milis, frondosa, multo lacte abundans: folijs mori: po- mum ter, aut quater anno fert, non ramis, ut fico, sed cau- dice ipso, caprifico non dissimile, dulcius grossis, sine gra- nis interioribus: quod non matureſcit, nisi vngue, aut ser- ro scalpatur. Nascitur plurimum in Caria, Rhodo, locis- que non multi tritici feracibus: vbi prouentu fecundo, restibiliq; iuuamentum adfert, cum annonæ caritas pre- mit. Pomum aluo vtile est, sed perquam exilem præbet alimoniam: stomacho aduersatur. Succus primo ue- re tenera arbore antequam fructum ferat, eximitur, lapi- dis icu summo cortice desquamato: si enim altiore pla- ga uioletur cortex, nihil effluet. Spongia, aut uellere la- cryma excipitur, quæ ficcata, & in pastillos coacta, ficti- li vase reponitur. Vis succi emollit, vulnera congluti- nat, discutit collectiones coctioni repugnantes: bibitur etiam, aut illinitur contra serpentium morsus, duratos lienes, stomachi dolores, & perfrictiones. celerrimè te- redinem sentit. Gignitur & in Cypro arbor genere di- stans, quæ cum sit vlmus, prædita tamen est folijs fyc- omori, fructu pruni magnitudine, multò dulciore, supra- dictis cætera similis.

SYCOMORVS (ut Theophrastus est auctor libro IIII. capite I I. de plantarum historia) arbor est moro nostrati simi- lis, quippe folio, magnitudine, aspectuq; proxima. Fructum præ- ter cæteras peculiariter gignit: non enim germinibus, non ramis extremis, sed caudice pomum parit magnitudine ficus, & visu proximum, succo atq; sapore caprificis sanè simile, ue- rùm longè dulcius, granisq; internis omnino carens, multitudine numerosius matureſcere nequit, nisi scalpatur. Scal- pitur autem unguibus ferreis: & cum scalpata poma sunt, ad quartum diem matureſcunt: hisce ablatis, alia, & alia ex eodem loco subnascuntur, terno ita, & quaterno partu copiosa. Lactuosa arbor admodum est, & materies (quod sit solida, robusta, & nigra) ad multa commoda existit. Hæc inter cæteras arbores id sibi propriū uendicauit, quod cæ- sa continuo uiret, neq; siccatur unquam, nisi aqua obruatur. Eaq; propter & lacubus, & stagnis demergitur, madefa- ctâq; in profundo siccatur, cumq; sicca omnino fuerit, superfluitat, atq; innatat. hæcenus Theophrastus. De Syco- moro differuit Galenus libro II. de alimentorum facultatibus, ubi ita scriptum reliquit. In Alexandria Sycomori plā- tam uidi unâ cum fructu, parua, candida, sic uel ad similem. Is fructus nullam habet acrimoniam, exigua dulcedinis est particeps, estq; facultate humidior quodammodo, ac frigidior, ueluti mora. Quinimo inter mora, ac ficus medium iure quis ipsum collocarit, atque hinc nomen ipsi inditum esse mihi uidetur. Ridiculi nanq; sunt, qui fructum hunc ob id aiunt Sycomora fuisse nominatum, quod paruis ficibus assimiletur. Ipsius autem nascendi ratio ab alijs arborum fructibus

fructibus quodammodo est diuersa: haud enim ex primoribus ramulis, ac germinibus, sed ex prægrandibus ramis, caudiceq; enascitur. hæc Galenus. Sycomoro similis est (ut loco citato memoriae prodidit Theophrastus) quæ in Creta uocatur Cypria ficus: nam & ipsa fructum edit, caudice, ramisq; crassissimis. Differt tamen à priore, quod germen quoddam emittit sine ullis folijs, radice simile, cui fructus præpilatur. Caudex arboris magnus, & populo albæ proximus, eiusq; folia ulmum representant. Quater anno fructum fundit, sed nullum ad maturitatem perducit, nisi pomo ipso immaturo inciso, emissosq; lacte. Dulcedo ficibus non absimilis, & interna grossis planè conueniunt. magnitudo autem pruni est. hæc Theophrasti uerba. Quæ sanè maximo sunt argumento, hanc quoque plantam in Sycomori genere annumerandam esse. Cæterum aperte hallucinantur ij, qui putant arborem Sycomorum esse, quæ plerunq; uisitur in monachorum claustris uulgò uocatis, & in templorum plateis, ubi mortuorum cadauera humanantur, è cuius baccis monachi uerticillos factitant, quibus mulieres suas numerant preces. Hanc (ut Bellunenſis castigauit) Azadaracht appellat Auicenna, quam deleteriæ facultatis participem esse prodit Fen sexta quarti, ut latius libro sexto dicemus. Arbor, quæ Συκόμορος Græcis, Latinis Sycomorus, & ficus Aegyptia nominatur: Arabibus, Mumeiz, Iumeiz, Aliumeiz, seu Giumeizi: Italis, Sicomoro, & Fico d' Egitto.

Ficus Cypria

Vulgaris error.

Nomina.

Σύνα. F I C I.

C A P. C X L V.



FICI maturæ recentes stomachum lædunt, aluum soluunt, sed facillè contracta ab eis fluxio sistitur: sudorem euocant papulasq;e, sitim sedant, calorem restinguunt. Siccis natura excalfaciendi, uires alunt, sed sitim magis stimulant, aluo utiles: rheumatismis uentris, & stomachi contraria: gutturi autem, arteriæ, renibus, uesicæ, & ijs, quos longa ualetudo decolorauit, anhelatoribus, hydropicis, comitialibus aptissimæ. feruescit cum hyssopo, & potæ, thoracem purgant: tussi ueteri, diurnisq; pulmonum uitijs conueniunt. aluum molliunt tussæ cum nitro, & cnico, dein manducata. Decoctum arteriæ, & tonsillarum inflammationibus gargarizatu prodest. cum hordeacea farina cataplasmatismis miscentur, & in muliebres fatus cum scæno-græco, & ptisana. Cæterum cum ruta coctæ, torminibus infunduntur: coctæ, illitæque durities discutunt: parotidas, & furunculos emolliunt: panos ad maturationem perducunt, maximè nitro, iri, aut calce addita. Crudæ, si cum antedictis tundantur, eadem efficiunt: cum malicorio, pterygia purgant: cum atramento sutorio, deploratis ferè tibiæ fluxionibus, & cacoëthis ulceribus medentur: quin & cum uino decoctæ addito absinthio, & hordeacea farina, utilissimè hydropicis illinuntur. Crematæ cum cerato sanant pernioles: pruriges, sonitusq;e, si crudæ terantur, & sinapi, liquoreq; aliquo exceptæ auribus instillantur. Tam syluestris, quàm fatiæ fici lacteus succus coaguli modo lac contrahit, concretumq;e dissoluit, ut acetum: exulcerat corpora, meatus aperit. soluit aluum, uulnam recludit cum

trita nuce Græca potus: menstrua ciet cum luteo oui appositus, aut Tyrrhenica cera: podagricorum cataplasmatismis cum farina scæno-græci, & aceto utilis: lepras, lichenas, uirilignes, uitia cutis in facie, pforas, ulcera in capite manantia, cum polenta expurgat: instillatus plagæ, percussis à scorpione, uenenatorum icibus, & rabiosi canis moribus auxiliatur: prodest dentium dolori lana exceptus, & cauis eorum additus: uerrucarum informicationes tollit cum adipe, circumlita in ambitu carne. Hoc idem præstat succus è teneris ramis syluestris fici, qui lacte prægnantes, silente adhuc oculo, tussi exprimuntur, & siccatus in umbra reponitur. Et lac, & succus imponuntur exulceratorijs medicamentis. Decocti cum bubulis carnibus ramuli ficulni, facillè afferunt decoctionem. Lac efficiunt, quod magis soluat, si inter coquendum ficulneo furculo, spathæ loco, moueatur. Grossi, quæ erinei nonnullis uocantur, coctæ illitæ, strumas, nodosq;e omnes emolliunt. Crudæ formicas, uerrucas, & thymos, nitro, farinaq;e additis, tollunt. Folia eadem possunt. Illita cum sale, & aceto ulcera in capite manantia, epinyctidas, & surfures sanant: ijs sicofæ extuberationes, & palpebrarum scabritiæ perfricantur. Nigræ ficus, folijs, cauliculisq;e, candidæ uirilignes perunguntur: faciunt ad canum morsus, & ulcera, quæ ceria, id est, fauos, uocant. Grossi cum syluestris papaueris folijs ossa extrahunt: furunculos cum cera discutunt: contra muris aranei morsus, & scolopendræ uenena,

p cum

cum eruo, & uino illitæ, auxiliantur. Fit ex cinere ficus tam syluestris, quàm satiuæ lixiuiû, crematis ramorum cauliculis, quod subinde macerari opus est, & inueterascere: siquidem inter caustica intelligitur. Gangrænis prodest: nanque expurgat, & consumit, quæ excrescunt, eoque sic utendum est: spongia assiduè hoc lixiuio imbuta superponitur. Interdum dysentericis, & in fluxiones uetustas, & sinus cuniculatim exedentes, magnosque, instillari conueniet. Etenim purgat, conglutinat, carne replet, & oras committit, non secus atque emplastra, quæ cruentis vulneribus iniiciuntur, enæma uocant. Bibitur ad discutiendum sanguinem concretum, & contra præcipitationes, rupta, conuulsa, cum cyatho aquæ recenter colatum, addito olei exiguo: cæliacis, dysentericis, per se cyathus datus prodest: neruorum uitijs, conuulsionibus, commodè illinitur ex oleo, utpote quod sudores moueat: aduersus gypsi potum, & phalangiorum morsus bibitur. Hæc eadem præstant reliqua lixiuia, præsertim quernum: omnia tamen adstringunt.

Ficorum consideratio.

Ficorum facultas ex Gal.

FICI fructus sunt in Italia uulgò notissimi. Quarum etsi plura notentur genera in candicantium, & nigrescentium discrimine; sunt tamen omnibus notiores ob frequentissimum in autumno earum in cibis usum, quàm ut nobis præstantiores representare, ac describere sit opus. Siquidem omnes satis gustus edocuit, eas esse laudatissimas, quæ planè maturæ pinguedine, & sapore cæteras antecellunt. Sed ut præter id, quod à Dioscoride proditum est, earum omnibus facultas innotescat, & temperamentum: quin & ut omnes cognoscant, quod præbeant alimentum, quamq; utilitatem, ac noxam inferre possint, ea paucis edisseram, quæ ex Galeno deprompsi, qui in primis lib. 11. de alimentorum facultatibus sic scriptum reliquit. Ficus tametsi minus prauis succi gignant, quam cæteri omnes non modò fugaces, sed etiam autumnales fructus, non tamen id uitium prorsus effugere potuerunt. Ceterum hæc ipsi insunt bona, nempe quòd comestibiles sint, & facile in totum corpus peruadant, penetrentq; Nam & abstergenti diu pollent haud obscura: cuius gratia post ipsarum esum nephritici multas arenulas excernunt. Cum porò omnes autumnales fructus exiguum corpori alimentum præbeant, minimè omnium ficibus id usuuenit. Carnem tamen non compactam, neque firmam generant, ceu panis, & suilla caro, sed turgidulam, & subinancem, ueluti fabæ. Quin uentrem flatibus implent & ipsæ, & non mediocrem hinc profectò molestiam intulissent, ni etiam celerem descensum essent adeptæ, cuius beneficio, cum celeriter peruadant, flatum quem excitant, non diu manet, atque ob id minus cæteris, autumni fructibus ledere consueuerunt. Ceterum maturæ ficus immaturas non mediocriter antecellunt, quod & in alijs quidem omnibus cernitur fructibus: quanquam non tantum in illis discrimen existit. Siquidem ad plenum maturæ ficus paulò minus omni prorsus noxa uacant. Et sequenti capite, ubi uuarum facultates recenset, sic inquit. Ficus, & uua quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent; ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimumq; prauis succi habent, præsertim cum exactam maturitatem fuerint adeptæ. Porò quòd ipsa nutriant, maximo argumento sunt ij, qui uinearum fructum custodiunt: siquidem hi cum duos menses solis uis, ac ficibus, quorum custodia præsumt, uescantur (nisi fortè panis quidpiam cum illis addant) obese tamen, ac pingues fiunt. At caro, quæ ex ipsis gignitur, haud quaquam est firma, ac densa, quemadmodum ea, quæ ex carnibus fit; sed laxa est, ac præhumida: ob id celeriter etiam, cum uesci ipsis desierint, contrahitur, ac confidet. Idem etiam de Ficibus sicis differens loco prius citato, ita scribit. Caricæ multiplicem quidem habent utilitatem; si quis tamen largius esitauerit, ab eis offendetur: non admodum enim probum sanguinem gignunt, quapropter pedicularum quoque agmen eas comitatur. Incidendi, extenuandiq; uim habent, qua & uentrem ad excitationem irritant, & renes expurgant. Iecori autem, lieniq; inflammatione obese sunt noxiæ, quemadmodum & ficus, non peculiari quadam exunia facultate, sed communi ratione dulcium omnium ciborum, ac potuum. Obstructis autem illis, aut scirrhotentatis, ipsæ ex sese nihil prosunt, nec obsunt: sed medicamentis incidentibus, ac extenuantibus, & abstergentibus mistæ, non mediocriter auxiliantur. Ideoq; nonnulli medicorum in dictis lienis, ac hepatis affectibus exhibent ipsas longè ante cibum cum thymo, aut pipere, aut zingibere, aut pulegio, aut saturcia, aut calamintha, aut origano, aut hyssopo. Ad eundem etiam modum, si caricæ cum alio quopiam eorum, quæ facultatem habent acrem, aut omnino incidendi, ac extenuandi assimantur, non folium sic affectis; sed sanis quoque utiles erunt. Siquidem iecoris meatus, per quos fertur alimentum, apertos esse non egrotantibus modò; sed benè ualentibus etiam tutissimum est. Proinde hoc pacto ficus cum sale extenuante, aceto, & garo præparatas uulgò comedunt, quòd id utile esse experientia didicerint. Verisimile autem est, ipsorum nonnullos medicos cuiusdam consilio adductos, ficus hoc modò primò comedisse; deinde eam notitiam ad uulgus dimanasse. Qui uerò cum cibo aliquo incrassante ficus, & caricæ edunt, non mediocriter offenduntur. Item libro VIII. de simplicium medicamentorum facultate idem Galenus ita scribit. Ficus aridæ uim habent excalfaciendi ordine primò etiam completo, aut secundo incipiente: habent uerò etiam partium tenuitatè quandam. Ex istis duobus idoneæ sunt, quæ tumores duros concoquant: statim uerò etiam ea discutunt. Atque ipsæ per se illitæ eiusmodi uim obtinent. Sed & decoctum earum eiusdem utique naturæ est. Verum ubi magis concoquere consilium est, miscenda est farina triticea: ubi uerò plus discutere, hordeacea. panis horum in medio est. Sed hæc magis sunt propria tractatus de medicamentorum compositione, & rationis curandi. uerum in præsentia hæc de caricis nouisse sufficiat. Porò scire oportet, quòd quæ pinguiores sunt, magis possunt concoquere: quæ uerò gustu acriores, magis tum extergere, tum discutere. Ceterum quod ex ijs plurimum in aqua coctis efficitur, simile est melli; non solum consistentia, sed & facultate. Porò ficus uirides comestæ, propter admixtam humiditatem, facultatis sunt imbecillioris: subducunt tamen aluum utraque tum humide, tum sicæ. Ficus arbor calidæ, tenuiunq; partium temperaturæ est, ceu indicant tum liquor eius, tum foliorum succus: ualenter enim eorum uterque calidus est. Itaque non mordicat tantum, aut absterget

sterget uehementer; sed & ulcerat, & ora uasorum reserat, & formicas, quas myrmecidas uocant, eijcit: quinetiam purgare potest. Porro ficus agrestis, quam erincum Græcè (Latine caprificum) nominant, tum liquor, tum succus ad omnia quam satius ualentior est. Sed & crassa, hoc est, rami earum adeo sunt calide, tenuiumq; partium temperamento, ut carnes bubulas duras, si coquendis adijciantur, friabiles, ac teneras efficiant. hæc de ficibus Galenus. Democritus præcoces ficos fieri pollicetur, si oleo, & columbaceo fumo arbor illinatur. Et contra, serotinas; si primæ grossi, cum fabæ magnitudinem excessere, detrahantur. Ficum arborem item atque laurum, è caelo fulminibus non ici compertum est. Fici fructus οὐνά Græcis, Latinis Fici, & Ficus appellantur: Arabibus, Sim, Fin, seu Tin: Italis, Fichi: Germanis, Feighen: Hispanis, Higos: Galilis, Figuier.

Fici præcoces.

Nomina.

Περσέα.

PERSEA.

CAP. CXLVI.



PERSEA arbor est in Aegypto, fructum ferens cibo idoneum, stomacho utilem. in quo phalangia cranocolapta nomine inueniuntur, præsertim in Thebaide. Arida folia in farinam redacta, illitu sanguinis eruptiones sistunt. Arborem hanc prodiderunt aliqui in Perside exitiosam esse, translataque in Aegyptum, mutata natura in cibos receptam.

QUEMADMODUM superius in malorum commentatione prodidimus, Persea arbor Aegyptia non est (ut putat Marcellus Virgilius Florentinus) nostras Italica malus persica, sed planta plurimum disidens ab ea, ut & Dioscoridis, & Galeni testimonio facile probari potest: quandoquidem ij utranque, sed ut alteram ab altera diuersam, diuersis capitibus tradiderunt. Hæc (ut libro IIII. de plantarum historia cap. II. scribit Theophrastus) arbor est Aegypti, aspectu magna, forma mosaq;: folio, flore, ramo, totaq; figura potissimum pyro uicina; nisi quod altera folio perpetuo, altera deciduo est. Fructum abunde parit, omniq; tempore perficit: quippe nouus anniculum semper occupat. Maturitas anniuersariorum afflatu conficitur: reliquum cruditiorem auferunt, atque recondunt. Est magnitudine pyri, figura oblongus, amygdalæ modo, colore herbidas. Nucem intus habet, ut prunum: uerum longè minorem, mollioremq;. Caro eius suavis, ac prædulcis manditur, concoctaq; facilis, & innocua, etiam largiore cibo sumpta. Radice arbor exuperat, tum longitudine, tum etiam crassitudine, multitudineq;. Materie constat robusta, dura, uisq; decora, ueluti lotus. Quapropter ex ea & simulacra, & lectulos, & mensas, & reliqua similia faciunt. Ex his igitur Theophrasti uer-

Persea arboris consideratio.

bis, si Persea nota, ac delineationes cum nostra persica malo diligenter conferantur, liquido patere arbitror, has plantas inter se diuersas esse. De Persea uerba faciens Galenus lib. II. de alimentorum facultatibus, hæc memorie commendauit. Hanc etiam plantam uidi in Alexandria, quæ & ipsa magnis arboribus est annueranda. Tradunt autem fructus huius apud Persas adeo noxium esse, ut edentes interimat: in Aegyptum uerò translatum, in esculentum mitescere, & pyrorum, malorumq; modo, cum quibus & magnitudine conuenit, estari. Eadem recensuit Galenus libro III. de compositione medicamentorum secundum locos, ubi de cephalæa curatione agens, sic inquit. In sola Alexandria perseæ arborem uidi, at non in alia Romanis subdita gente. Quidam perston ipsam appellant, a iuntq; in Persis lethalem eius arboris fructum esse, eiam tamen is in Aegyptiorum regione innocuus existat. hæcenus Galenus. Ex cuius etiam uerbis palàm esse crediderim, perseam à persica malo prorsus disidere, cum in tota serè Europa persica malus frequentissima proueniat. Quin & ex ijs facile dixerim, Columellam errasse, quod existimauerit, persica ea esse poma, quæ à Persis ad Aegyptios allata perseæ dicuntur, ut libro cultui hortorum dicato his uersibus testatur.

Persea mentio ex Gal.

Columella plus.

Tunc præcox bifera descendit ab arbore ficus, Armenijsq; & cereolis, prunisq; Damasci Stipantur calathi, & pomis quæ Barbara Persis Miserat (ut fama est) patrijs armata uenenis. At nunc expositi paruo discrimine lethi Ambrosios præbent succos, oblita nocendi. Arbor, quæ Περσέα Græcis, Latinis similiter Persea nominatur: Italis, Perseo Græcè uocis imitatione dicetur.

Nomina.



Iberidis confideratio.

Iberis, & lepidium idem.

ita à regione, in qua amicus eius curatus fuit. Describit autem ipsius formam ijs carminibus.

Herba hec ubiq; multaq; frequens nascitur,
 Monumenta iuxta antiqua, muros, & ueteres.
 Tritasq; quondam publice pedibus uias,
 Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola.
 Semper uirescens, folijs nasturtij
 Florentibus uere, attamen maioribus.
 Caulem cubitalis longitudinis gerit
 Paulo minorem, aut rursus ampliozem: ab hoc
 Aestate pendent folia, donec multa hyems
 Sarmetitiam deducat hec ad imaginem, &
 Deiecta, & exiccata deperant gelu.
 Adnata radici tamen carnes alia.
 Aestate florem fert colore lacteo,
 Multum tenuem, uariumq; ualde, cauliculus.
 Ad quem sequitur semen penitus sic exiguum,
 Visum fere ut fallens, oculos quoque effugiat.
 Odorem habet radix at inde acerrimum,
 Verò similem quam maxime nasturtio.

Iberidis caput additum.

Huc illud etiam accedit, quòd Galenus item loco citato, Hygiæ Hipparchi auctoritate, Iberidem, & Lepidium idè esse testatur his uerbis. Si coxendicum dolores lenare est animus, herbam Iberidem, quam aliqui lepidium uocant, aut nasturtium syluestre colligito. Ex cuius certè sententia asserere non dubitauerim, Iberidem apud Græcos eandem esse cum Lepidio. Vnde perspicuum est, hoc Iberidis caput huiusce primi uoluminis calet accreuisse nimia uel librariorum, uel medicorum curiositate. In quam sententiam cum antedictis causis, ea ratio me potissimum deducit, quòd constat, huius primi uoluminis calcem, non esse legitimum locum, in quo Iberidis historia fuerit collocanda: quandoquidem eiusmodi herbas Dioscorides lib. I. ordinatè disposuit, ac de eis differuit, ubi priuatim lepidio, quod Damocrati Iberidem existimamus, propriam assignauit sedem. Idcirco rectè Paulus Aegineta Lepidium Iberida etiã appellari scribit, & ex tertio excelsa facientium ordine esse, ac nasturtio uiribus proximum. Et lib. III. in ischiadis curatione: In totum, inquit, ischiadicos restituit sanitati iberidis herbae usus, quam lepidium quoque appellant.

Quare

† IBERIS, siue cardamantica, folia habet nasturtij, uere uirentiora: caulem cubitalem, aut minorem, in incultis nascitur. Aestate lacteum florem promit, quo tempore efficacior est. Radices duas nasturtio similes habet, calfacientes, & adurentes. Ipsæ enim ischiadicis cum falsa axungia emplastri modo utiles, quaternis horis alligatæ, ut dein in balneas descendatur, & postea oleo cù lana locus perungatur.

VIDIMVS primùm Iberidem, quam nobis indicauerat Iulius Alexandrinus medicus Tridentinus, qui nunc ob præclara sui ingenij, & doctrinæ dotes, apud Sereniss. Ferdinandum Regem Roman. artem medicam exercet, extra ciuitatem Tridenti, ubi uulgò dicitur alle Laste, effigie nimirum, qua describitur à Dioscoride, ac alijs pluribus Græcis auctoribus. Huius Galenus in simp. censu nusquam separatim meminit, sed hanc, & Lepidium non nisi nomine differre prodidit. Quod etiam idem testatus est libro X. de compositione medicamentorum secundum locos circa finem de coxendicum curatione agens, ubi ex Damocrate sic inquit. Damocratis extat libellus, qui Clinicus inscribitur, in quo uersibus iambicis, quemadmodum solet, de tribus differit medicamentis. Ac primò quidem de eo differit, quod ex herba constat, quam ipse Iberidem appellat, quod ad coxendicum dolores commendauit. In Iberide medicum quendam amicum suum curatum fuisse ait herba, quam (ut dixi) ipse Damocrates Iberidem uocat, ut qui tantum uisu herbam cognouerit, nomen autem eius nullum audierit, cum etiam id ipsum ignorauerit is, à quo eius usum didicerat. Porro ex notis, quibus eam representat, uidetur iberidem appellare, que à Græcis lepidium nominatur, appellatione du-

Quare aperte hallucinari deprehenduntur monachi illi uenerandi, qui in Mesuem commentarios scripsere, cum ex-
pese contra Galeni, & Pauli auctoritatem, & contra rationes, quas superius adduximus, aliud à lepidio iberidem
esse contendant. Quos tamen excusatos habeo, utpote qui fortasse maius studium rebus diuinis impenderint, quam
ut certam simplicium medicamentorum cognitionem assequi potuerint. Ceterum non ignorandum est, Paulum
præter Iberidem, de qua nunc agimus, alterius etiam meminisse ab illa longè diuersæ, cuiusq; item usum ad ischiadas
commendasse. Quod eius uerba demonstrant, quæ eodem loco ita sonant. Quæ uerò apud nos Iberis fruticosa na-
scitur similibus lauri folijs, & multo amplioribus, respondere multa experimenta testantur, non solum in coxarum,
sed in alijs quoque diuturnis affectibus. Huic planè adscribitur Lepidium, quod Plinio lib. XIX. cap. VIII. his
paucis describitur. Exit lepidium in cubitalem altitudinem, folijs laurinis. Quibus sanè notis satis apparet, hoc se-
cundum Iberidis genus, uel lepidij dicamus, quod lauri folia mittit, eam esse stirpem, quæ hodie passim in hortis fre-
quens nascitur, à quibusdam Piperitis ob uehementem eius acrimoniam dicta. Itaque manifestè aberrarunt uiri alio-
qui clarissimi Barbarus, & Ruellius, cum lepidium illud esse putauerint, quod uulgus herbariorum Raphanum ru-
sticatum appellant. Veruntamen folia, quæ huic raphano insunt, uerbasco maiora, & belemio equalia, manifestè
declaran, his legitimum non innotuisse lepidium, nisi forsàn lepidium Raphani nomine acceperint. Plantæ, quæ
ἰβερὶς, καροδάμαντον, καὶ ἀγριον ἀράκου Græcis dicitur, nomē Latinum est Iberis, & Lepidium: Arabicum,
Seitaragi, Ascetaragi, seu Sitharegi, & Hausab: Italicum, Iberide, & Lepidio: Germanicum, Vuilder kresz:
Hispanicum, Nasturtio montesino: Gallicum, Chasse rage, Passeraige, & Nasitort sauuage.

Monachorū
Ipsus.

Iberis altera
Paulo.

Barbari, &
Ruel. lapsus.
Nomina.

† Quod caput hoc de Iberide accreuerit in Dioscoride, etiq; adscriptum sit, illud maxime corroborat rationes in
commentario allatas, quod reperti sint uetustissimi Græci codices, in quibus hoc caput non legebatur.

LIBRI PRIMI FINIS.